UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Unius Necessarii pars ...

Ubi agitur De Effectibus - qui primi, ac per sese ex notitia Dei consequuntur: De Æstimatione nimirum, in qua habendum, déque ardore, quo amandum est illud incomparabile objectum

Rogacci, Benedetto

Pragae, 1721

urn:nbn:de:hbz:466:1-54508

Visual Library

Th. 3178.

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

UNIUS NECESSARII PARS II.

Ubi agitur

DE

EFFECTIBUS,

qui primi, ac per sese ex notitia DEI consequuntur:

DE

Æstimatione nimirum, in qua habendum, déque ardore, quo amandum est illud incomparabile objectum.

Collegii Societatis Jesu paderani 1726.

OPUS

P. BENEDICTI ROGACCII

è Societate JESU

Italicè primò vulgatum, & Latinè nunc redditum.

PRAGÆ, Typis Universitatis Carolo-Ferdinandeæ in Collegio Societatis JESU ad S. Clementem, Anno 1721.

Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, & ex tota anima tua, & in tota mente tua. Hoc est maximum, & primum mandatum, Matt. 22.

Qui non diligit, non novit Deum. Ioa. ep. 1. c. 4.

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

MICHAEL ANGELUS TAMBURINUS

Præpositus Generalis Societatis JEsu.

CUm librum, cui titulus: *Unius Necessarii Pars secunda*, Authore P. Benedicto Rogaccio Societatis nostræ Sacerdote, aliquot ejusdem Societatis Theologi recognoverint, & in lucem edi posse probaverint; facultatem facimus, ut typis mandetur, si iis, ad quos pertinet ità videbitur: cujus rei gratiâ has literas manu nostra subscriptas, & sigillo nostro munitas dedimus Romæ 23. Januarii 1717.

Michaël Angelus Tamburinus.

IMPRIMATUR,

SI videbitur Reverendissimo Sacri Palatii Magistro.

N. Cardinalis Caracciolus Provic.

Die 20. Martii 1717.

IMPRIMATUR

EXtra urbem servatis servandis. Datum Romæ ex ædibus nostris in Palatio Quirinali.

Gregorius Selleri, Ordin. Prædicatorum S. P. A. Magister.

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

INDEX.
CAPITUM.

Caput I. *De fructu ex* DEI *notitia decerpendo.* p. 1.
Cap. II. *DEUM super omnia æstimandum, imò nihil præter ipsum in magna æstimatione esse habendum.* p. 11.
Cap. III. *De summa æstimatione, in qua haberi debent omnia ad* DEUM *pertinentia, & primò illius servitus.* p. 24.
Cap. IV. *De æstimatione, in qua* DEI *amicitiam haberi par est.* p. 42.
Cap. V. *Quanti æstimanda sit animæ, in cælesti patria* DEUM *palàm intuentis, eóque ad plenum fruentis felicitas.* p. 71.
Cap. VI. *De altissima veneratione, & reverentia, quæ* DEO *à nobis debetur.* p. 118.
Cap. VII. *Quàm excellenti modo rerum omnium amabilitatem intrà se colligat, & quàm meritò propterea amandus super omnia sit* Deus. p. 138.
Cap. VIII. *Quàm plenum, & universale super omnem animam sit amoris dominium: quantâque cum facilitate, qui ex toto corde amat* Deum, *cæteros quosque sui animi affectus, & motus eidem subjiciat.* p. 165.
Cap. IX. *Curandum esse, ut noster erga* DEUM *amor sit jucundus, hilaris, & confidens, qualis solet esse erga amicum, aut patrem.* p. 184.
Cap. X. *Ad prædictam cum* DEO *agendi rationem opus*

opus esse, ut genuina de illo species in mente formetur: nonnulli indè phantasiis, & commentis exclusis, quàm à propria illius benignitate abhorrentibus, tam nostri erga ipsum amoris suavitati contrariis. p. 207.

Cap. XI. *Quòd nemini certò constet, se* DEI *gra- gratiâ in præsens potiri; haud satis causæ esse ad nos revocandos à familiari, & jucunda illius consuetudine.* p. 229.

Cap. XII. *Neque satis valere ad perturbandam nostræ cum* DEO *conjunctionis suavitatem, quòd de perseverantia in eo amando, déque æterna consequenda salute nil omnino certi habeamus* p. 280.

Cap. XIII. *Diluuntur nonnullæ objectiones contra eam, quam hucusque asseruimus, divini amoris hilaritatem, & fiduciam ex* DEI *reverentia, ac timore, criminúmque admissorum memoria petitæ.* p. 334.

Cap. XIV. *Respondetur alteri objectioni, ex sanctorum virorum exemplis desumptæ.* p. 365.

Cap. XV. *Ad validiùs confirmandam præcedentem doctrinam ostenditur, quanti referat, cum spiritualis lætitiæ sensu* DEO *famulari.* p. 380.

Cap. XVI. *De oratione, seu elevatione mentis in Deũ: alia per totũ diem breviter repetita; alia ad certũ temporis spatium continenter producta.* p. 415.

Cap. XVII. *De assidua inter promiscuos vitæ actus Dei, tanquam præsentis memoria.* p. 446.

Cap. XVIII. *De solitaria, & quieta rerum divina-*

narum commentatione singulis diebus ex professo usurpanda. p. 476.

Cap. XIX. De nonnullis capitibus, quæ cuilibet ad perfectam cum DEO conjunctionem, quasi ad unicum suum finem tendenti, perpetua quotidianæ commentationis materia esse possunt. p. 527.

Cap. XX. Proprium esse hominis, qui DEUM intimè amat, de illo in quibuslibet suis sermonibus loqui. p. 546.

Cap. XXI. De ardentibus desideriis DEUM palàm in cælesti gloria videndi, quæ illius amor in cordibus suo igne succensis excitare consuevit. p. 584.

Cap. XXII. Naturalem mortis horrorem non debere cuiquam impedimento esse, nè illam desideret, déque adventu illius gaudeat. p. 612.

Cap. XXIII. Neque divini Judicis metum justam esse causam, cur fidelibus DEI servis minùs grata esse mors debeat. p. 637.

Cap. XXIV. Respondetur illis, qui dicunt, non desiderari à se mortem, vel quòd pœnas post illam à piis quoque animabus solvendas formident; vel quòd in præsens ad eam satìs parati non sint; vel ut opus aliquod permagni ad divinam gloriam momenti absolvant; vel ut plus temporis ad nova cumulanda meritorũ lucra habeant. p. 679.

Cap. XXV. De gaudio quod anima DEUM amans ex infinita perfectione, ac beatitudine illius percipit. p. 701.

Cap. XXVI. De incensa cupidine animæ DEUM amantis, ut cœlesti suo Domino perfectè ab omnibus

bus ſerviatur, & acri dolore ob injurias, quæ peccando eidem fiunt. p. 720.

Cap. XXVII. *De ſummo dolore, quo anima* DEI *amatrix conficitur, dum ſua adversùs illum malefacta recogitat.* p. 742.

Cap. XXVIII. *Quanto odio, & horrore anima Deum amans affici debeat erga quodvis crimen lethale.* p. 773.

Cap. XXIX. *De artibus, & induſtriis ab anima Dei amante adhibendis, nè illum unquam gravi crimine offendat.* p. 801.

Cap. XXX. *De ſolicito, & inexplebili ejuſdem ſtudio, ut magìs ſemper, ac magìs* D E O *placeat.* p. 850.

Cap. XXXI. *De communione omnium bonorum inter* DEUM, *& animâ perfecto illi amore conjunctam.* p. 869.

Cap. XXXII. *De alia intimiore communione, imò unione, quam perfectus* DEI *amor inter noſtram, & illius voluntatem conſtituit. Cujuſmodi ea ſit, quæque rationes nos ad eam poſſint impellere.* p 897.

Cap. XXXIII. *Per quos actus, & quibus in materiis exerceri debeat pleniſſima hæc noſtræ voluntatis cum divina conſenſio.* p. 931.

Cap. XXXIV. *Diluuntur nonnulla argumenta adversùs omnigenam materiæ amplitudinem, in qua diximus noſtræ voluntatis cum divina conſenſionem verſari oportere.* 959.

C A-

CAPUT I.

De fructu, ex DEI notitia excerpendo.

MUltum egisse hactenus videmur, subeundo, quantùm fas erat, in divinæ penetralia scientiæ. Sed nihil profectò egimus, si hoc uno contenti nullam interea de proprio indè fructu excerpendo cogitationem suscipimus. Usque adeò nihil egimus; ut hìc subsistentes nequaquam potiores ipsomet Lucifero simus: qui tenebrarum spiritus dicitur, haud quia Conditorem suum minimè cognoscit; sed quia probè cognitum minimè amat. *Si habuero prophetiam, & noverim mysteria omnia, & omnem scientiam, charitatem autem non habuero, nihil sum.* (1. *ad Cor.* 13.) profitebatur Apostolus: rite intelligens, DEI Cognitionem perinde

ad illius amorem referri, ac penicillorum, armorúmque apparatus ad pingendi, & præliandi uſum refertur: ut propterea, ſi quis illam ad prædictum ſuum finem dirigere omittit, nihilo huic inutile minùs dici poſſit, quidquid ſublimium conceptuum, & veritatum in mente congeſſerit, quàm penicillorum quantacunque, & armorum ſupellex inutilis diceretur in hominis domo, nulli non arti potiùs, quàm picturæ, & militiæ ſtudenti. Eſt, fateor, DEI ſcientia neceſſarium, & univerſale Chriſtianæ perfectionis totius fundamentum. Sed quis ignorat, fundamentum quodvis nullâ poni aliâ, quàm ædificii ſuperextruendi gratiâ, omníque, niſi hoc adjectum fuerit, ſuo uſu, & fructu deſtitui: utpote illius generis opus, de quo ſcitè Plinius ajebat: *Quidquid peractum non eſt, pro non inchoato eſſe.* (*Ep. 8. L. 5.*) Quemadmodum mera theſauri inventio neutiquam ditiores nos facit, ſic neque meliores mera boni cognitio. Quin imò tantùm abeſt, ut hæc ità ſolitaria, ſibíque uni relicta, emolumenti quidquam ferre, in ea otiosè quieſcentibus, valeat; ut irriſione veriùs, & pœnâ dignos faciat: irriſione quidem, ceu deridiculo eſſe, & publicus populi ludus fieri mereretur, ſoli-

licitus quiſpiam defoſſi veſtigator theſauri; ſi eo tandem reperto divitem ſeſe illico factum, ſinè ullo pretioſi depoſiti eruendi, atque in domum ſuam aſportandi ſtudio putaret: pœnâ verò, veluti excellens cognitio, quam perduelles Angeli de infinita authoris ſui dignitate inſitam menti habebant, minùs excuſabiles, & graviori dignos ſupplicio illos reddidit, dum legitimum abnuerunt deferre tanto Principi obſequium: non habente in eorum cauſa locum clementi illa deprecatione: *Dimitte illis, non enim ſciunt, quid faciunt*: (*Luc. 23.*) ſed potiùs ea triſti ſententia: *Servus, qui cognovit voluntatem Domini ſui, & non fecit ſecundùm voluntatem ejus, vapulabit multis.* (*Jo. c. 13.*)

2. Cùm igitur DEUS haudquaquam objectum ſit merè ſpeculativum, velut cæli, atque ſidera, adeò ut illius ſcientiam mente aſſecutus, ibi poſſit tanquam in extrema conatûs, & laboris ſui meta quieſcere; ſed objectum, ad quod univerſi vitæ noſtræ actus, quaſi ad certiſſimam bonitatis ſuæ normam debent reſpicere: nec proin ſterilis quædam curioſitas, ſed juſtum ſpiritualis noſtri fructûs ſtudium, ad perveſtigandam incomprehenſibilem illius eſſentiam nos ſtimulaverit; ingentis enim verò ſtultitiæ eſſet, ſi aliquam tanti objecti noti-

tiam adepti nihil ultra laboraremus, de eadem in usum promenda, déque colligendis indè præstantissimis fructibus, qui ex idonea seminis tam eximii cultura proveniunt: fatuo illi similes apud Gregorium Nissenum viatori, qui dum siti flagrantissima æstuat, (*Or. de sua Ordin.*) gelidum ad fontem appulsus, disquirere secum institueret, quibus è venis, quóve artificio natura illos latices exprimat: diúque ità philosophatus, faucibus demum omnino aridis indè abiret, aliquantò fortasse doctior, sed nihilò minùs sitiens, quàm illò accesserit. Nè, quæso, ità vecordes, nostríque immemores boni nos simus: sed, cùm in præcedenti libro perspexerimus, quantum æstimationis, reverentiæ, & amoris pro incomparabili suæ naturæ excellentia mereatur DEUS; conemur, quoad licet, hæc illi pendere vectigalia, quæ tanto Domino ad plenum persolvere nunquam possumus, & quorum diligens, ac studiosa solutio totum est illius cogniti pretium: adeò ut, ceu ipse intuendum nobis se præbuit, quasi objectum quibuslibet aliis infinitô intervallô amabilius, colendúmque, & æstimandum magis; sic nos ipsum pro suo merito universis, quæ magnifica, & amabilia sese in terris objiciunt, infinitè anteferendum pu-

putemus: imò, (ut convenientiùs loquar) iis, quotquot sunt, ab animo expulsis, & oblivioni traditis, omnem nostram æstimationem, & observantiam, omnémque cultum, & amorem in eo uno occupemus: tanquam in ente, quod sive secundùm magnitudinem, & potentiam, sive secundùm bonitatem, & pulchritudinem, sive secundùm quamvis aliam peculiarem prærogativam spectetur, non modò supereminet; verùm etiam obscurat, obruítque, & in nihili speciem extenuat, quæcunque extra ipsum occurrunt, remanens in omni perfectionis genere, quasi bonum, *Solum citiùs dicendum, quàm summum.* (*Cic. Tusc. 4.*) Quod, quantùm rationi congruens sit, quóque pacto præstari debeat in duobus ego, qui superfunt, libris explicare contendam: humanam sic omnem vitam ad unum necessarium, & beatam illam revocans, cælestémque unitatem, quam in hujus totius operis argumentum, & scopum mihi initio proposui.

3. Priùs tamen, quàm de actibus ab anima, per cognitionem DEI, erga suum præstantissimum objectum exercendis tractare speciatim aggrediar; operæ pretium duco revocare in memoriam, quam alibi eorundem partitionem in contemplativos, & practicos

feci. Primi itaque generis sunt, qui vel solum DEI esse pro scopo habent; (cujusmodi sunt magni illum facere, vereri, laudare, déque admirandis illius perfectionibus crebrò, & amanter cogitare, sermocinari, gaudere) vel simul cum ipso nonnullas hominum actiones ad ipsum pertinentes respiciunt; (desideria nimirum, ut ab omnibus debitus ei amor, & cultus reddatur, actúsque tum lætitiæ de illius inter homines gloria, tum doloris propter offensas, quibus ab humana improbitate continenter lacessitur) vel demum circa aliquem benignitatis suæ effectum versantur: veluti cùm gaudemus de illius amicitia, in paterna illius providentia securè, suavitérque acquiescimus, & beatam illius visionem ardenti corde optamus. Quos ego omnes amoris merè contemplativi actus voco, utpote in quibus operantis voluntas, ceu in motûs sui termino solet consistere, neque aut illos necessariò ad ulteriorem finem dirigit; aut illorum vi ad aliud quidpiam volendum, agendúmve impellitur. Ad secundum porrò genus ii actus pertinent, qui ex DEI quidem amore oriuntur, eúmque pro causa sui principe habent: sed tamen unà cum ipso, tanquam secundarium objectum, aliquam itèm nostram operationem respectu illius

lius seu aggrediendam, seu vitandam respiciunt: quales sunt charitas erga proximos, peccati cujusque, esto minimi, odium, ardor magna agendi, & patiendi pro DEO, bonorúmque mortalium (quatenus ea cor hominis sibi vendicant, nec divino amori vacare totum sinunt) generosa aversatio. Quos actus nequaquam amoris solùm contemplativi, sed practici, & actuosi esse proprios, nemo est, quin perspiciat: cùm se ipsis haud contenti in alias operationes diversas ferantur, prout hæ aliqua ratione ad DEUM spectant, qui primarium objectum, ultimúsque ipsorum est finis.

4. Jam verò, hac divisione præmissa, liquidò apparet, enumeratos primô locô actus perlevi negotio, & citra difficultatem exerceri ab iis posse, qui idonea DEI cognitione imbuti sunt. Fac enim, eum quispiam impressum in mente habeat, veluti ens quoddam amabilitatis, & præstantiæ omnino infinitæ; quidnam ità composito exhauriendum laboris erit, ut eundem maximi pendat, reverentiâ, atque amore prosequatur, libens, & admirabundus secum ruminet, frequenter, & magnificè in familiari sermone commemoret, injuriâ affici ægre ferat, in pretio, & honore ubique esse cupiat? Certè hujusmodi affecti-

bus nec advertentes naturali, & ſpontanea quadum propenſione commoveri nos experimur, adversùs perſonas omnes, quas novimus, haud vulgari æſtimationis, & honoris merito excellere: tantúmque abeſt, ut ad eos concipiendos, magno indigeamus voluntatis conatu; ut laborioſum potiùs, & violentum nobis foret ab iis temperare. At non ſimili ingenio, nec perinde exerceri faciles ii etiam ſunt actus, quos ſecundo generi ſuprà attribuimus: utpote quorum ſcopus, & propoſitum eſt, humanos quoſque affectus, divini amoris puritati adverſantes profligare, nec quid velint, aut nolint, ubi de implenda voluntate DEI agitur, momenti ullius ducere: quin imò univerſis eorum propenſionibus aſſiduè reluctari, eóſque, quantùm fieri poteſt, funditus ab animo exſcindere, ut ſolus ibi amor divinus quietum ſinè ullo obice, aut rivali obtineat dominatum. Ad quæ ſtudia generosè ſuſcipienda, & conſtanter urgenda, quotuſquiſque non intelligit, quàm eximio charitatis vigore, quámque ſingulari cæleſtis gratiæ adjutorio ſit opus?

5. Cùm itaque rectus ordo exigat, inter duo exercitationum genera à faciliore initium ducere; hanc ego mihi methodum circa mo-

modò dictos amoris contemplativi, & practici actus ſervandam propoſui: ità ut poſteriores, tanquam naturâ magìs arduos, in ſequentem librum ſeponam, inque hoc agere de primis inſtituam, qui ex DEI cognitione per ſe illico derivantur, & à quolibet, ea commodè inſtructo, (qualem fore quemvis ſtatuo antecedentis libri ſtudioſum Lectorem) exerceri perquam facilè, & ſuaviter poſſunt. Caſſiano ſiquidem, ipsáque adeò experientiâ teſte: *Cujuslibet artis, ſeu diſciplinæ perfectio neceſſe eſt, ut à quibuſdam mollibus incipiens rudimentis, facilioribus primò, ac tenerâ initiis imbuatur: ut quodam rationabili lacte nutrita paulatim ſuccreſcat, atque ità ab imis ad ſumma ſenſim, gradatímque conſcendat: quibus, cùm fuerit planiora principia, & quodammodo januas arreptæ profeſſionis ingreſſa, ad penetralia quoque perfectionis, & excelſa faſtigia conſequenter, & abſque labore perveniat.* (*Coll.* 10. *c.* 7.) Quamobrem ſupremus mundi Magiſter, Chriſtus JESUS, non omnia cæleſtis doctrinæ ſuæ arcana Apoſtolis ſubitò expoſuit: ſed contentus de nonnullis captu pronioribus adhuc rudes docere; plenam magìs eorum inſtitutionem in id tempus rejecit, quo per Spiritûs ſancti virtutem paratiores excipiendæ illi forent: *Adhuc mul-*

ta habeo vobis dicere, sed non potestis portare modò. Cùm autem venerit ille Spiritus Veritatis, docebit vos omnem veritatem. (*Joa.* 16.) Et Paulus Gentium Doctor, tanti Præceptoris normam sequens novitiis Corinthi Fidelibus inter primas prælectiones, *tanquam parvulis in Christo, lac potum dedit, non escam. Nondum enim poterant.* (*Ep.* 1. *ad Cor. c.* 3.) Talis ergo est, quæ tibi, pie Lector, hoc in libro exhibetur materies, suavis, ceu vides, ac mellea, utpote in illo consistens, quo nihil est rationali animæ congruentius, præstantissimi, amabilissimique omnium objecti interiore cultu, & amore. Sed materies æquè itidem fructuosa: quippe quæ, præter excellens hujuscemodi actuum meritum, assuefaciet te, *gustare, quoniam dulcis est Dominus*, pérque delectationem, quam indè hauries, minùs jam, minúsque affici sensibilibus bonis: habiliorem, promptiorémque ità reddens, ad suscipienda deinde forti animo difficillima quæque subsequentis libri exercitia. Non tamen celatum te velim inter actus primi generis, qui propria sunt præsentis libri materies, aliquos me pariter inferturum, ad alterum genus spectantes, cujusmodi est præcipuè odium, ac fuga peccati: ceu maximi rem momenti, & omnibus, qui amo-

amori divino, ſive contemplativo, ſive practico operam navant omnino neceſſariam: ut nemo proinde ſanctioris vitæ cultor non aſſiduè illam debeat, quaſi ſummam ſummarum curam habere præ oculis. Præterquam quòd videtur illa ipſa, licèt ſit propriè affectûs practici ſpecies, poſſe nihilominus abſque ordinis propoſiti confuſione inter faciliores amoris divini exercitationes, quales contemplativæ ſunt, collocari. Cùm experientia luculenter oſtendat, non adeò factu arduam, & rari exempli rem eſſe, ut, qui aliquos in DEI cognitione progreſſus jam fecerit, quamcunque illius gravem offenſam nullo non malo impenſiùs perhorreſcat, & vitet.

CAPUT II.

DEUM ſuper omnia æſtimandum, imò nihil, præter ipſum, in magna æſtimatione eſſe habendum.

QUàm ultra omnem modum, ac proportionem increatum DEI eſſe creata quævis entia ſupergrediatur, útque omnis horum dignitas illi comparata nihilum potiùs, quàm rem

rem minimam exhibeat, in ſuperiori libro evidenter perſpeximus. Supereſt jam, ut, quemadmodum diffiteri id nequimus, ſic quàm maximè expreſſam illius ſpeciem pro certa, & univerſali noſtrorum quorumvis judiciorum regula menti inſculpamus. Cujus rei gratiâ duo mihi videntur ſtatuenda certiſſimæ veritatis principia. Primum eſt, veram, propriámque magnitudinem in nullo reperiri poſſe, nisì in ente infinito: quippe quod unum naturæ ſuæ merito, & citra quamcunque cum aliis comparationem ſemper magnum, imò maximum, quia omni menſura, & determinatione majus occurrit: ſecùs ac res finitæ, inter quas, ceu advertit Philoſophus, (*De Prædicam. c. 2.*) *Nihil eſt per ſe magnum*, nempe ullius magnitudinis capax, nisì externæ, & cujus fundamentum aliena tantùm parvitas ſit: cùm omnes abſque ulla ſui mutatione pro majori duntaxat, vel minori aliarum, quibuſcum conferuntur, mole jam parvæ videantur, jam magnæ: quamvìs nunquam ità magnæ, ut parvæ ſimul nequeant vocari, & parvæ revera non ſint nec nunquam tales quin aliæ vel exiſtant, vel exiſtere poſſint majores.

2. Al-

2. Alterum principium est, inter res finitas nunquam fieri posse, ut una aliam, nisi determinato quodam, id est tanto, nec ampliori modo exsuperet: at, ubi infinitum cum finitis in comparationem venit, nullum esse designabilem tantæ amplitudinis modum, quin immensô ultra ipsum intervallô hæc ab illo excedantur. Fieri primum neutiquam potest: nam omnis res finita, cùm non nisi determinatæ magnitudinis sit, prætergredi utique aliam, nisi determinatis vicibus nequit: certáque aliqua proportione ipsi respondeat, necesse est, putà proportione centeni ad unũ, si centies, vel milleni ad idem unum, si milliies sit major. Unde fit, ut, quemadmodum unitas centies multiplicata numerum centenarium, & millies multiplicata millenarium adæquat; sic res minor, toties conduplicata, quoties à majore transcenditur, par huic magnitudine evadat. At, quàm ibi necessaria, tam omnino impossibibilis in comparatione infiniti ad finita hujusmodi responsio est. Cùm enim hæc, non certis quibusdam solummodo, centenis exempli gratiâ, millenísve, sed innumeris prorsus vicibus ab illo excedantur; nunquam, licèt quomodolibet multiplicentur, eò pertingere magnitudinis possunt, ut

non

non dicam ei paria, sed eò sint intrà determinatum potiùs aliquem modum, quàm ultra determinabilem quemvis modum minora.

3. Quidnam ergo ex allatis principiis consequitur? Consequitur ex priore, ceu nihil extra DEUM ullo in genere perfectionis, nisi finitum occurrit; sic nihil quoque, illo excepto, posse meritò magnum ullo in genere perfectionis vocari. Ex altero autem consequitur, maximum quodvis ens creatum incomparabiliter minus DEO esse, quàm exiguissimum inter entia creata ipso sit minus: cùm hoc ab illo secundùm proportionem aliquam, & certam tantùm mensuram superetur: magnitudinis verò, secundùm quam à DEO ipsum transcenditur, nulla designari possit mensura, nulla fingi proportio. Quapropter, si minimum quid præ oceani vastitate roris gutta, præque solis lampade ignis scintillula, ac volitans per inane atomus ad universitatis totius amplitudinem nobis videtur; immensùm tenuior, & nihilo propior summa quælibet creatarum rerum magnitudo præ divina debet videri. *Quid videatur ei magnum in rebus humanis*, ajebat Cicero, (*Tusc. 4.*) *cui æternitas omnis, totiúsque mundi nota sit magnitudo?* rectiúsque nos dicemus, *cui infinitas omnis, & Conditoris mundi nota sit magnitudo?*

4. His

4. His porrò conſtitutis, quæ occurrere difficultas jam poteſt, in eo formando judicio, quod hujus capitis titulus præfert, nempe in DEO ſuper omnia æſtimando, imò in nulla re præter DEUM magni æſtimanda? Certè nihil difficultatis hîc ſupereſt, ut difficillimum potiùs, quin & omnino impoſſibile ſit, ad aliter ſentiendum mentem inclinare. Si enim nemo, quamvìs velit, & conetur, magnam exiſtimare, ſeu præ toto mari aquæ guttam, ſeu ſcintillam præ ſole, ſeu præ mundi univerſitate atomum poteſt; quonam tandem pacto ullam rerum conditarum admirari quiſquam poterit, nec potiùs inſtar nihili ducere præ infinita DEI magnitudine, quæ creata omnia longè immenſiùs exuperat, quàm vel aquæ gutta ab oceano, à ſole ſcintilla, à mundi univerſitate atomus excedatur? Minimè equidem poterit: cúmque ideo tanta ſit rei hujuſce evidentia; actum agere, in ea ſtudioſiùs tractanda cenſeri poſſum: veluti actum agere ab omnibus diceretur, qui ſolicita oratione demonſtratum iret, potentiſſimo Regi plus æſtimationis, quàm vili mediaſtino deberi; vel majori in pretio aurum, quàm lutum eſſe habendum, veritates nimirum per ſe manifeſtas, & quibus refragari, etſi maximè vellet, ani-

animus nequit. Ità, inquam, nonnemini posset videri. Et meritò quidem videretur, si DEI æstimatio, quæ à me commendatur, talis tandem foret, nihilóque illâ potior, quam plerique fidelium in suis animis gerunt: æstimatio videlicet, sive otiosa, & merè possibilis, ínque sola suorum actuum facultate consistens; sive, ubi in actum prodit, languida, enervis, confusa, quæque vix ullo sui sensu animum tangat. At longè dissimilis, notæque melioris illa est, quam ego hìc requiro, & quasi necessarium quoddam perfectionis totius, sive in hoc, sive in sequenti libro explicandæ, fundamentum præjacio: æstimatio nimirum crebra divinarum perfectionum meditatione penitùs intrà mentem defixa, &, quàm assiduissimè fieri potest, per vividam, expressámque sui imaginem animo præsens, nec segnis, atque iners, sed actuosa, & quidquid judiciorum circa alias res humanas concipimus, normæ instar dirigens: quemadmodum in veteri Hebræorum Lege (*Levit. c. 27.*) *Omnis æstimatio siclo sanctuarii ponderari* jubebatur. Qualem nemini rationis compoti, & orthodoxa fide initiato deesse, tantùm à vero abest, ut etiam in sanctioribus viris nunquã reperiatur ità omnino absoluta, quin usque

pos-

possit ad ulteriorem suorum actuum quà præstantiam, quà assiduitatem proficere. Hanc igitur in præsenti capite tibi, Lector, propono, támque impensè commendatam esse cupio, quàm ipsummet amorem divinum, cujus assequendi propriissimum, & apprimè efficax ipsa est instrumentum. Cùm enim tantò quodvis objectum amari vehementiùs soleat, quantò sublimiori in æstimatione habetur, si sedula, & frequenti exercitatione mentem institueris, DEUM super omnia, imò nihil præter DEUM æstimare; facilè hinc consequetur, ut DEUM itèm super omnia, imò nihil præter DEUM ames. *Innata clamat ratio, & usus docet, ut tantò solicitiùs res unaquæque quæratur, quantò pluris esse deprehenditur.* Ità in rem nostram Laurentius Justinianus: (*In Fest. SS. Innoc.*) adducto ad confirmationem sui dicti metallorum exemplo, inter quæ, ceu nemo non pluris aurum argento, & argentum plumbo æstimat; sic nemo est, quin primum altero, & alterum tertio plùs amet. *Si separaveris pretiosum à vili, quasi os meum eris.* (*Jer. 6. 13.*)

5. Cùm itaque palàm aspexerimus, quanta hinc facilitas, indè utilitas judicii hujus sit, quo DEUS universis rebus creatis ultra o-

mnem modum præfertur; tribus præsertim temporibus enitendum cuique est, ut illud concipiat, & menti semper altiùs infigat. Et primo opportunum huic studio matutinæ commentationis tempus videtur: quo repeti identidem poterit consideratio in undecimo superioris libri capite, ad illius praxim, atque usum proposita: ità ut juxta rationem ibi expressam statuamus nobis primùm ob oculos præcipua quæque rerum creatarum decora, potentiam exempli gratiâ, eruditionem, pulchritudinem, militarem gloriam, & alia ejusmodi, quæ majori apud vulgus in admiratione esse solent, singula ad eum usque perfectionis suæ modum, secundùm quem in ullo mortalium vel revera unquam extiterint, vel fingi animo queant. Tum objiciamus iis ex adverso eadem decora, qualia, & quàm mira in DEO reperiri tum fides Orthodoxa, tum ipsamet ratio humana persuadet: comparantes singillatim altera alteris, potentiam potentiæ, scientiam scientiæ, virtutem virtuti, gloriam gloriæ, pulchritudinem pulchritudini. Demum comperto, quàm prima, etiam in summo excellentiæ gradu, pusilla, & nihili facienda præ alteris sint; exercitationem nostram, qua par est, illorum despicientiâ,

tiâ, & horum admiratione claudamus. Hæc, inquam, comparatio poterit ſubinde in materiam conſuetæ meditationis aſſumi: &, ſic pluries repetita, æſtimationem DEI, ſummæ illius dignitati conſentaneam, omni alia creatarum rerum æſtimatione expulſa, menti imprimet. Sed præcipuè inſtauranda erit, quoties deprehenderemus, ſplendidiorem aliquam de humanis rebus opinionem in animos noſtros clàm irrepſiſſe. Quam, nullo pacto ferendum nobis eſt, ibi permanere, altioréſque paulatim radices agere: ſed elaborandum potiùs, ut quàm primùm indè evellatur: comparatione hac iterum, iterúmque uſurpata; quoad mens tandem ad priſtinam judiciorum ſinceritatem, & intermiſſam conſuetudinem redeat, nihil præter DEUM æſtimandi.

6. Secundò, idoneum eidem rei tempus fuerit, cùm à profanis hominibus magnifica, & ampulloſa oratione hujus, vel illius opes, gloriam, potentiam, & quodcunque aliud terrenæ felicitatis genus extolli audiemus. Tunc enim revocare in remoriam expediet, tanquam nobis quoque inculcatum ſalubre illud monitum, quo Jeremias ſuos olim cives Babylone captivos inſtruxit: præcipiens, nè

Chaldæos indigenas in sacrilego falsorum numinum cultu imitari, sed potiùs condemnare apud se vellent : *Visâ turbâ de retro, & ab antè adorantes, dicite in cordibus vestris, te oportet adorari, Domine.* (*Baruch. 6.*) Quapropter nulla habita inanium ejusmodi admirationum, & præconiorum ratione, mentis aciem ad DEUM, unum verè, quia infinitè magnum, & ad illius incomparabilem in eo ipso perfectionis, aut felicitatis genere exuperantiam attollamus : *Dicentes in cordibus nostris, te, te oportet adorari, Domine.* Apage has terrenorum decorum futiles larvas. Nulla est dignitas, nulla gloria, nulla opulentia, nulla altitudo, præter tuam, DEUS, quæ in pretio, & admiratione esse debeat. Tu solus celebrari, solus coli, solus potens, magnus, excelsus, mirabilis dici mereris. *Non est similis tui in Diis, Domine.* (*Ps.* 85.) Paucis, tali mentis, animíque habitu esse ibi nos conveniet, quali foret, qui diu Romæ versatus ignobilem pòst pagum incoleret. Quemadmodum enim ille, oculos habens magnificis Romanæ opulentiæ imaginibus plenos, neutiquam sanè posset magni facere seu rusticas phaleras, quibus loci primores superbè exornati per dies festos incederent ; seu domos ultra unam, alte-

terámve contignationem assurgentes, quæ ibi cætera inter tuguria pro regalibus ducerentur palatiis: neque hujusmodi opum monumenta, grandiloquo sermone ab indigenis celebrari audiens, induci propterea se sineret, ut eadem ipse quoque pro eximiis haberet, quin potiùs ea ob majorum ignorantiam demirantes, vel tacitus secum rideret, vel hortaretur Romam ire, palàm visuros, quàm ibi infra privatorum civium fortunam suæ illa essent inopis magnificentiæ specimina, quantóque justiore causam de iis erubescendi, quàm gloriandi habeant; haud secùs nos quoque, infinitis DEI perfectionibus contemplandis assueti, justáque, id est summa illarum æstimatione imbuti, irrisui habere, & vanitatis redarguere ineptos plausus debebimus, quibus cæcum vulgus mortalium, ob exiguam, vel nullam summi illius, unicéque admirabilis objecti notitiam, paupertinas, ac viles terrenæ hujus regionis suæ pompas consuevit extollere.

7. Tertia opportunitas erit, quando humanum quodpiam extraordinariæ dignitatis objectum, intuendum fortè nobis se præbens, magnifica illa specie mentes nostras in admirationem sui provocare incipiet. Tacita il-

la ſiquidem humani ſensûs titillatione animadverſa, retundendæ illius cauſa, ſic nobiſcum ratiocinari poterimus. Quidnam adeò mens mea, objecti hujus fulgore perſtringeris? nempe eximium, præcellens, & communi modo ſublimius videtur. Eſto tale ſit, quamdiu per ſe unum abſque æmulo, & rivali ſpectatur. Sed quid, ſi illius ex adverſo aliud appareret, decuplo illuſtrius, & majus? Nónne illo confeſtim neglecto tuam omnem in hoc alterum admirationem transferres? Ità procul dubio. Et multò adhuc magìs, ſi tertium ſuperveniret, centies, & quartum adhuc millies præſtantius. Atqui talis DEUS tuus eſt, non ille decies, centiéſve, aut millies; ſed infinitis vicibus ſuperans, quidquid in creatis rebus maximè eminet. Quanam igitur ratione ipſi comparatum potes pluris nihilo facere, ſive hoc præſens, ſive ullum aliud ex creatis, quantæcunque tandem excellentiæ, ac dignitatis objectum? Quodſi fortè occupatis, & in medio rerum actu verſantibus, ratiocinationis hujuſmodi accuratiùs inſtituendæ otium non aderit; ſupplere ibi illam licebit, mente raptim ad DEUM ſublevata, brevíque aliquod repetendo ſacrarum literarum effatum, in quo ſuper creata quævis decora incom-

comparabilis illius magnitudo exaltatur. Cujusmodi esse possunt sive illud in Exodo: (*c.* 15.) *Quis similis tui in fortibus, Domine? Quis similis tui? magnificus in sanctitate, terribilis, atque laudabilis, faciens mirabilia?* sive illud Annæ Samuelis matris: (*Lib. 2. Reg.*) *Non est sanctus, ùt est Dominus, neque enim est alius extra te, & non est fortis, sicut* DEUS *noster?* sive illud Davidicum: (*Ex Psal. 85.*) *Non est similis tui in Diis, Domine, & non est secundùm opera tua;* sive illud Sapientiæ undecimo: *Quoniam tanquam momentum stateræ, sic est ante te orbis terrarum, & tanquam gutta roris antelucani, quæ descendit in terram;* sive quod in solemni liturgiæ hymno canitur: *Quoniam tu solus Sanctus, tu solus Dominus, tu solus Altissimus;* alia ejusdem sensûs, quorum copiam habere expediet ad corrigendas, ubi usus fuerit, quæ fucum facere improvidis solent, objectorum sensibilium fallacias.

CAPUT III.

De ſumma æſtimatione, in qua haberi debent omnia ad DEUM pertinentia, & primò illius ſervitus.

QUalis eſt perſonarum, talis & rerum ad eas pertinentium dignitas eſſe ſolet: ac proinde, cùm ſublimior ſit principum, quàm hominum privatorum conditio; nemo eſt, quin magìs magni principis, quàm privati hominis amicitiam appetat: & quantò altioris faſtigii Dominus eſt, tantò illi ſervire præſtabilius ducitur. Cùm igitur DEUS Princeps ſit excellentiæ omnino infinitæ, digniſſimúſque, qui cæteris omnibus immensô intervallô præferatur; dubitari non poteſt, quin ad ipſum ſpectantia anteponi ſecundùm juſtam proportionem iis debeant, quæ creatas res attinent: adeò ut quantò illum quibuslibet bonis, & perſonis creatis æſtimabiliorem ducimus, tantò etiam ſub illius dominatu, & patrocinio degere, amicitiæ nexu illi jungi, illúmque pro objecto fruitionis habere, in amplioris gloriæ, ac felicitatis loco, quàm cujuslibet al-

alterius Domini patrocinium, cujuslibet alterius perſonæ amicitiam, & cujuslibet alterius boni poſſeſſionem, atque fructum æſtimemus. Quod eſt, DEUM non in ſua duntaxat eſſentia, ſed reſpectu etiam noſtri, ſummè æſtimare: nec ſolùm ùt præſtantiſſimum ens, verùm etiam ùt præſtantiſſimum noſtrum bonum concipere.

2. Sed quoniam hoc æſtimationis conſectariæ, & practicæ genus latè nimis diffunditur, operæ pretium erit, in plura illud capita diſpertire: de ſola æſtimatione hìc agendo, quæ habenda eſt de libera, & ultronea DEI ſervitute. Libera, dixi, & ultronea: nam cæteroqui neminem latet creata quævis entia, ſeu bona, ſeu mala, ſeu rationalia, ſeu bruta, ſeu animata, ſeu inanimata, ſupremi illius Domini imperio per inſitam in ſuamet natura neceſſitatem ſubeſſe: ideo ut, ſecundùm hujuſmodi neceſſariam, innatámque ſervitutem, nihilo illi minùs propriè tartarei, quàm cæleſtes ſpiritus, & homines famulentur, quàm pecudes: *Quoniam omnia ſerviunt tibi.* (*Pſ. 118.*) Haud talis igitur illa ſervitus DEI eſt, cujus ego dignitatem demonſtrandam hìc ſumpſi, ſed alia, quam piæ animæ ultrò ſuſcipiunt, Creatoris ſui obſequiis ſe peculiariter

mancipantes, nihilque in omni vita enixiùs ſtudentes, quàm illum colere, illi obtemperare, illius leges implere. Et hoc ſervitutis genus, ſeu voti religione in cœnobiis devinctum, ſeu nexu illo liberum, ſed ſtabile, & æquali, ac perpetuo tenore productum, ſtatuo, atque affirmo, ab idoneo quovis DEI æſtimatore ſummo in pretio eſſe habendum, & ante omnem vel ampliſſimam terrenæ ſortis conditionem, quà honeſtatis, quà felicitatis prærogativâ ponendum.

3. Et primò intelligendi causâ, quantô intervallô hujuſcemodi ſervitus humanam omnem gloriam tranſcendat, quámque verè in illius commendationem ab Hilario Arelatenſi definitum ſit, *Faſtigium nobilitatis eſſe, inter* DEI *famulos computari.* (*In vita S. Honor.*) Dominum intueri fas eſt, in cujus nos familiam adſcribit. Si enim pro majori, vel minori Dominorum dignitate, magis vel minùs conſpicua æſtimari ſolet illis ſervientium conditio, ideóque & glorioſiores incedere, & impenſiùs obſervari eos videmus, qui in maximi Regnatoris, quàm qui in vulgaris Dynaſtæ aula verſantur; quanta, rogo, quámque illuſtris, glorioſa, & ſublimis dicenda ſors erit inſervientium DEO, principi tam immenſæ amplitudinis, ut coram

ram eo excelsissimus quivis Regnator, nihilo æstimabilior reptante humi vermiculo appareat? Adeò certè præclara est, atque eximia, ut vel supremo in orbem terrarum imperio longè mereatur præferri. Neque hæc illius commendatio hyperbole est, fidei modum excedens, sed tam indubitabilis veritas; quàm indubitabile est, divinum de rebus judicium unam esse, de iis rectè judicandi certissimam normam, nec majorem censeri quemquam posse, quàm in æstimatione D E I sit. Nempe hoc admisso, ceu à nemine dubitari potest, quin DEUS majore in pretio, quàm potentissimus quisque Regum, aut Cæsarum suos famulos habeat, imò neminem præter hos magni faciat: quos solos extremi judicii die honoratissimo ad dexteram suam loco dignabitur, cùm è contrario tetrenis olim sceptris, atque imperiis superbos, nisi cum populorum regimine debitam sibi subjectionem conjunxerint, procul à se in orci sentinam, ceu vilissima humani generis purgamenta, & nullius pretii quisquilias abjecturus sit; quemadmodum, inquam, de hac ejus æstimatione nemini dubitare fas est; sic neque ulli esse dubium potest, quin rectus quilibet æstimator terrena omni dignitate pluris debeat facere

DEI

DEI servitutem, imò nullam, hac excepta; veram dignitatem agnoscere. *DEUM time,* (inquit Ecclesiastes) *& mandata ejus observa. Hoc est enim omnis homo.* (*c.* 12.) Ità sanè: totus hìc honor, tota sublimitas, tota consistit hominis gloria.

4. Nè igitur ab externa objectorum specie sinamus nos in fraudem abduci, néve infideli vulgarium persuasionum trutina, sed potiùs *Sanctuarii siclo*, atque pondere, certissimo scilicet divinæ mentis judicio in constituendis rerum pretiis utamur. Præsertim quòd, si actiones terrenorum Regum proprias, quod à Joanne Chrysostomo peculiari oratione factitatum est, (*Serm. de Comp. Reg. & Mon.*) cum iis comparandas sumamus, quæ exerceri à DEI famulis solent; vel per nos ipsos longè præclariùs in his, quàm illis nobilitatis specimen intuebimur. Nam, si primi populis imperant, & potestatem in eorum corpora obtinent; alteri refractarios, & tumultuantes sui animi affectus (quod omnium sapientûm judicio excellentius imperii genus est) moderantur, ínque officio continent, & parere rationi cogunt. Si illi, juxta Euangelii testificationem, (*Luc.* 22.) *Benefici vocantur*, ratione opum, ac munerum terrenorum, quibus

bus clientes suos ditant; quotusquisque non videt, tantò his justius nomenclaturæ illius honestamentum deberi, quantò altiora sunt sanctimoniæ, ac virtutis bona, quæ precum, exemplorum, & admonitionum efficacitate nulli non generi hominum præstant? Si denique illa contra æmulos Reges bella fortiter gerunt, eorúmque fundunt copias, & provincias occupant; quidnam bella hujusmodi præiis sunt, quæ DEO servientes susçipiunt, non utique contra hostes occiduos, & visibiles, *sed adversùs principes, & potestates, adversùs mundi Rectores tenebrarum harum, contra spiritualia nequitiæ in cælestibus?* (*Ad Ephes. 6.*) neque id, ut caducis potiantur spoliis, & paucos, nescio, quot terreni orbis palmos ditioni suæ adjiciant; sed pro longè amplioribus præmiis, cujusmodi sunt divinæ gratiæ thesauri, & immortalia cæleştis regni diademata? Quapropter, cùm officia, atque munera, quæ in quolibet statu specialiter obeuntur, pro congruentissima sint illius nobilitatis decempeda; nihil difficultatis, moræque nobis supereşt, quin cum memorato suprà Joanne Chrysostomo concludamus, quemadmodum functiones, DEO servientium propriæ, functionibus Regnantûm, sic illorum pariter statum de-

debere horum ſtatui excellentiæ prærogativâ anteferri.

5. Imò patens adeò, & cuivis manifeſta hujuſmodi concluſio eſt, ut ipſimet ſupremi populorum Rectores, vel inter principalis fortunæ fumos, & offuſas ab Aulicorum aſſentationibus nebulas, eam rite perſpexerint, & ſuo teſtimonio approbârint: deſcendentes ad ſingularis obſervantiæ, & demiſſionis ſpecimina erga DEI famulos, quaſi erga perſonas, quibus faterentur conditionis, & gradûs eminentiâ inferiores ſe eſſe. Exemplum eſto Theodobertus Rex Galliæ, qui S. Maurum, ſocióſque Monachos inviſurus, plurium dierum iter ſuſcepit, ingreſsúſque cœnobium, coram Religioſo illo cætu ſeſe humi proſtravit, ſubmiſsè orans, ut ſe ſocii locò habere dignarentur, ſuúmque nomen ipſorum inter nomina adſcribere. Cui tum plures alios adjungere poſſem Reges, tum ipſoſmet Romanos Pontifices, qui cum ampliſſimis quibuſque terrarum Dominis ſupremæ authoritatis ſuæ retinentes, haud tamen indignum hac cenſent, ſuis ſe in literis *Servos ſervorum DEI* nuncupare. Sed quid opus teſtimoniis mortalium? cùm cæleſtis Domini ſervitus adeò ſupra altiſſimum quodvis ſeu fortunæ, ſeu na-

naturæ decus emineat; ut ipsimet Angeli nullo alio crebriùs nomine in sacrarum Literarum monumentis cohonestentur: jámque *administratorios spiritus in ministerium missos*, jam *facientes verbum illius*, (*ad Hebr. 1. Ps. 102.*) ibi eos appellari mos sit. Unde etiam ille in Apocalypsi Angelus nullo pacto adorari à D. Joanne se tulit, professus, nihil amplius, quàm ejus socium in Altissimi famulatu se esse. *Conservus tuus sum, & fratrum tuorum; DEUM adora.* (*c.* 19.)

6. Neque solùm ex incomparabili Numinis magnitudine evidenter colligitur, quantò honestior, sed quantò etiam beatior quacunque alia conditione illius servitus sit. Cùm enim ad Dominos spectet, suum famulatum professis patrocinio adesse, & condignam obsequii, ac fidelitatis mercedem persolvere; planissimè apparet, quantò amplior eorum fuerit opulentia, & potestas, tantò plus securitatis, & ampliora præmia ab iis posse expectari. Quare si magnæ felicitatis loco ducebatur servire Alexandro, profitenti, suam se magnitudinem pro mensura suarum largitionum, & mercedum habere; quantò felicior dicenda sors erit servientium DEO, Regnatori tantæ opulentiæ, ut nullis, quantumcunque

que amplis munerum profusionibus non dicam exhauriri, sed vel tantillum diminui illius ærarium possit: quique, ceu multò veriùs, quàm superbus ille Macedo, non expendit, *quid nos deceat accipere, sed quid se deceat dare*; ità, cùm, quod ipsum decet dare, infinitè excedat, quidquid nos meremur accipere; pro calice aquæ frigidæ non urbem, aut provinciam, imò neque imperium par imperio Alexandri, sed nihil minùs, quàm suimet totius, immensissimi, æterníque boni possessionem retribuit? *Ego ptotector tuus sum, & merces tua magna nimis.* (*Genes.* 15.)

7. Scribit Tullius, (*Act. 7. in Ver.*) tantam Romanæ urbis majestatem, ac potentiam fuisse, ut cuilibet suorum civium vel in barbaris, & remotissimis quibusque regionibus securitatem præstaret: perinde quasi ad omnem propulsandam injuriam sat foret, palàm dicere: *Civis Romanus sum.* At quis non videt, quantò justiores omnimodæ securitatis, fiduciæque habeat causas, cuicunque profiteri de se licet, *Servus DEI sum*? Cùm, quocunque proficiscitur, salutaris instar tesseræ illam secum circumferat cælestis Domini ad suos servos sententiam: *Qui vos tetigerit, tangit pupillam oculi mei*: (*Zach.* 2.) neque ullum sit seu ter-

terræ latus, seu maris, ubi degens, sub illius umbra, & alis non degat: *Si habitavero in extremis maris, etenim illuc deducet me manus tua, & tenebit me dextera tua.* (*Ps. 138.*) Quare inter ultima quævis discrimina gloriari confidenter potest: *Dominus protector vitæ meæ, à quo trepidabo?* (*Ps. 26.*) tanquam illi serviens principi, *cujus dominari super nos, est salvare nos: nostrum autem servire illi nihil est, nisi ab illo salvari*, prout Abbas Guilielmus testatur. Neque est, cur quisquam objiciat, servos DEI etiam fidissimos perquam sæpe à sceleratis hominibus omni genere injuriarum vexari, eo interim nè digitum quidem ad eorum tutelam movente. Nam, ut de prodigiosa virtute nil dicam, qua eos toties ab infestis adversariorum oppugnationibus incolumes præstitit, satis ii habent, provido, fidelique ipsius patrocinio ab illis discriminibus vindicari, ubi de æterna incolumitate, sola videlicet magni, imò summi momenti re agitur: adeò ut ipsamet inferni hostis tentamenta, & occasiones peccandi in gloriæ incrementam sibi abeant, quæque extremam minabantur perniciem, *cooperentur in bonum.* Cujus fiduciæ, ac securitatis specimen in fortissima illa Hebræorum adolescentum triade intueri licuit: cùm Assy-

rius Rex præsentem iis mortem denuntiaret, nisi ante suam statuam adorabundi procubuissent, stolidè adjiciens: *Et quis est DEUS, qui eripiat vos de manu mea?* siquidem pro certissimo habentes omnipotentem Dominum, pro cujus fide id subibant discriminis, eos vel ab imminenti nece incolumes subducturum; vel ea defunctos illustriori exornaturum corona; superbæ impotentis tyranni denuntiationi pium illud, juxtáque animosum dederunt responsum: *Non oportet nos de hac re respondere tibi. Ecce enim DEUS noster, quem colimus, potest eripere nos de camino ignis ardentis, & de manibus tuis ô Rex, liberare. Quòd si noluerit notum sit tibi Rex: quia Deos tuos non colimus, & statuam, quam erexisti, non adoramus.* (*Dan. c. 3.*)

8. Addite commemoratis jam fructibus quasdam alias divinæ servitutis præclarissimas prærogativas: nempe, quòd Domino hìc famulamur, non potentissimo solùm ad nos tuendos, & liberalissimo ad remunerandos, sed immuni præterea ab iis omnibus vitiis, quæ invisam reddere serviendi conditionem solent, omnibúsque iis prærogativis conspicuo, quæ gratiam, & amabilitatem eidem conciliant. Si enim terreni Principes, Dominíque cernuntur, onera sæpenumero supra vires su-

is

is ministris imponere: nec unquam è suæ dignitatis fastigio ad familiarem cum iis agendi rationem descendere: &, ubi quid ab iis vel peccatum leviter, aut offensum per imprudentiam sit, impotenti ira excandescere, imò etiam interdum ex temere conceptis suspicionibus, quamvis prorsus innoxios damnare: ac demum, quia eorum operâ indigent, si minori ad imperia exequenda habitudine instructi à natura sint; esto cæteroquin singulari erga se benevolentia affectos sua è domo dimittere; si ità, inquam, morati esse adversùs famulos mortales Domini solent, cælesti contrà Domino nihil est seu moderatius in exigendis eorum ministeriis, seu in quotidiana cum iis consuetudine benignius, seu in ferendis æquo animo eorum delictis mansuetius. Quare ejus præcepta nedum impleri, sed parvo etiam negotio, suavitérque impleri ab omnibus possunt: &, si quando extraordinarii operis quidpiam præscribit, vires simul idoneas ad illius effectionem impertit: neque indignatur, si subjectorum aliquis secum familiariter agat: quin eos potiùs ad hujusmodi familiaritatem omnes invitat, próque amicis potiùs, & filiis, quàm servorum locò habet: nec solùm à nemine, qui insons foret, ob de-

lata falsò crimina abalienatus unquam animo est, sed quotidianis insuper negligenter servientium culpas facillimè tolerat: quin & paratissimus est ad extrema quævis scelera iis condonanda, simul atque pœnitentiâ ducti, & meliora in futurum spondentes, præteritæ improbitatis veniam petierint: ac demum, quicunque in servorum illius albo censentur, compertum quàm certissimè habent, propter nullam præsidiorum naturalium inopiam minùs illi acceptos se fore: sed utcunque à natura parati, seu vivido, seu inerti, obtusóque animi sensu, seu firmis, seu imbecillis viribus sint, pari apud eum loco futuros: nempe apud Dominum, qui non aliam in suis, nisi bonæ voluntatis dotem requirit, pleniſſimè hac una, etsi reliquæ omnes absint, contentus. Quas illius dotes, quisquis justa lance ponderaverit, non video, quî possit non meliorem ipsamet libertate, imò & terrena omni dominatione arbitrari ipsius servitutem: quemadmodum, teste Livio, Eumenis Regis moderatio, & benignitas amabile adeò ejus imperium populis Asiæ reddebat, ut, *quæ sub ditione illius urbes essent, nullius liberæ civitatis fortunam mutatam secum vellent.* Videmus certè interdum perexiguæ ditionis Principes in nobilem po-

potentiſſimi alicjus Regis clientelam, & ſubjectionem ultro ſe tradere, plúſque in hac, quàm in hæreditario ſuo principatu ſibi conſtituere ad nominis decus, & rerum tutelam præſidii. Quocirca, cùm ſupremus cæli Dominus incomparabiliter ampliùs maximo cuique terrarum Regi, quàm hic vulgari Dynaſtæ potentiâ, gloriáque antecellat; planiſſimè hinc licet colligere, quemadmodum gregario illi toparchæ plus opum, ſplendoríſque affert potentiſſimi alicujus Regis ſervitus, quàm oppiduli ſui dominatus: ſic potentiſſimo cuique Regi multò glorioſius, utiliúſque eſſe, ſi omnipotenti univerſitatis Domino famuletur, quàm quòd tantum orbis terrarum ſub ditione ſua habeat.

9. Cùm itaque tanti pretii, adeóque expetenda DEI ſervitus ſit, quatuor potiſſimùm modis declarari à nobis illius æſtimatio poteſt. Primus eſt, ut ſummo in honore habeamus eos, qui eam profitentur, non beatos duntaxat vocando, ceu Regina olim Saba Salomonis famulos vocavit, dicens: *Beati ſervi tui, qui ſtant coram te ſemper*; (*L. 3. Reg. c.* 10.) verùm etiam terrenæ cuilibet ampliſſimæ conditioni eorum conditionem præhabendo, juxta Davidis ſententiam, beatum pronuntiantis

esse populum, non qui mortalibus quibusvis bonis circumfluat, sed qui sub peculiari dominatu DEI sit: *Beatum dixerunt populum, cui hæc sunt. Beatus populus, cujus est Dominus* DEUS *ejus.* (*Ps.* 143.) Ubi locus foret objurgandæ illorum perversitatis, qui filios nullis non artibus à religiosa vita, hoc est à servitute DEI avocant. Cæci illi quidem, divinæque prorsus lucis expertes, si non agnoscunt, quanto bono sobolem suam fraudatum eant: inhumani verò, nec haberi patrum loco digni, si id agnoscentes tam eximiam filiorum felicitatem post terrenas rationes suas ponunt. Cujus objurgationis pars non exigua in eos item quadraret, qui, si juvenem quempiam præclaris fortunæ, naturæque donis florentem aspiciant, repudiatis sæculi illecebris, divino se cultui mancipare, miserantur illius sortem, perinde quasi majora tunc dimittat, quàm acquirat: dicentes intrà animum suum, & quandoque etiam apud familiares, & conscios: proh facinus non ferendum! indolem tam egregiam absque ullo sui usu perire! Inconsulte nimiùm juvenis, qui ævi tui florem, tótque animi, & corporis decora ex amplioribus promiscuæ vitæ spatiis, ubi dignum exhibere sui speciem potuissent, in cœnobii obscu-

scuritatem, & latebras defodis. Judicia sanè, atque sensa ab orthodoxæ fidei placitis nimiùm quàm abhorrentia, & Christiano homine prorsus indigna, sed ex DEI ignoratione passim provenientia, quæ dici vix potest, quanta vulgi mentibus insit: unde illas videmus tot, támque fœdas existere opinionum, ac morum corruptelas, quibus misere adeò vita hominum scatet.

10. Sed his tenebrionibus omissis, redeamus ad præclaram æstimationem, in qua haberi meretur DEO servientium status. Alter itaque exprimendæ illius erit modus, flagranter optare, ut nos quoque felici huic numero aggregemur, aut si aggregati jam sumus, nostra sorte contentissimi vivamus: adeò ut neminem ex potentibus, ac fortunatis sæculi hominibus humili invidia dignemur, nobísque potiorem ducamus externi splendoris causâ, quo ad sese circumstantium oculos rapit, & venerationis, atque observantiæ, qua vulgò excipi solet: communi quidem usu præscriptas honoris significationes unicuique exhibendo, sed ità, ut, dum corpus erga ipsum inclinatur, & caput demittitur, mens interim erecta, & supernaturalis gradûs sui memor secum dicat: sentiat vulgus, prout libet. Excelsior terre-

na hac tua dignitate mea est. Tu hominibus imperas, ego famulor DEO. Tunc solummodo, eáque una de causa tibi primas deferam, cùm in spirituali hac prærogativa mihi anteiveris.

II. Tertius, ex eadem æstimatione consequens affectus animi est, solicita, & jugis contentio ulteriùs semper, ulteriúsque progrediendi in cælestis Domini famulatu. Cujus exemplo esse nobis possunt terrenorum Principum aulici, indefessa sedulitate ambientes ad officia conscendere, quæ Principem propiùs attingunt, esto illa, quantô plùs eminent, tantò graviùs sese obeuntibus laboris, & subjectionis onus imponant: adeò ut, hæc ipsorum studia intuentes, afficiamur pudore, quòd *Filii hujus sæculi prudentiores filiis lucis in generatione sua sint*: acriúsque, & enixiùs in mortalis, quàm nos in æterni Regis aula provehi contendant. *Pudeat nos* (Laurentii Justiniani sunt verba) *ab amatoribus hujus sæculi superari: qui, ut sua vota perficiant, suísque superioribus famulentur, exponunt læto animo corpus periculis, & animam perditioni. Regina Austri, inquit Dominus, surget cum generatione ista, & condemnabit eam. Et ego dico, quòd sæculares viri surgent in judicio cum servis* DEI, *& redargu-*

gutione illos dignos esse ostendent, tanquam solicitudine, & affectione inferiores se. Isti namque sibi minimè parcentes se exponunt periculis, se laboribus macerant, ut humanis attollantur honoribus; illi verò cæleste vocantur ad regnum, & penè adire recusant. (*De Obed. c. 9. & 21.*)

12. Quartò demum æstimationi, quam hìc commendamus, propriè, ac peculiariter convenit, haud pro magno arbitrari, quidquid ad DEI obsequium vel operati sumus, vel operari unquam possumus, quasi verò multùm nobis propterea immortalis Dominus debeat; sed in maximi potiùs nostri beneficii, ac debiti loco statuere, quòd ab eo vocati, admissíque in suam simus familiam. Ille siquidem omnis per se boni pleniſſimus nullâ sive hominum, sive Angelorum operâ indiget: neque propriæ utilitatis respectu, sed nostri emolumenti causâ ad sibi serviendum nos provocat, repetens unicuique nostrûm, quod Apostolis olim dixerat: *Non vos me elegistis, sed ego elegi vos.* Quæ persuasio ad fovendum in nobis conducet tum justæ demissionis, tum grati erga illius benignitatem amoris sensum: præsertim verò, si animadverterimus, *non feciſſe illum taliter omni nationi*: cùm, quamvis posset ad regalem suum famu-

latum tot alios deligere, qui & nihilo nobis minùs merebantur vocari: & multò quàm nos meliùs deserviissent vocanti; illis tamen intrà domos relictis, nos ad suam peculiariter invitare dignatus sit. *Beatus, quem elegisti, & assumpsisti, inhabitabit in atriis tuis: replebimur in bonis domûs tuæ.* (*Ps. 64.*)

CAPUT IV.

De æstimatione, in qua DEI amicitiam haberi par est.

TAnta est, & adeò creatas res omnes supergreditur DEI magnitudo, ut Ethnicorum sapientûm complures nullam esse homini cum eo posse veram, germanámque amicitiam censuerint. (*Arist. L. 8. Eth. c. 7.*) Nec sinè magna illi quidem rationis, verique specie. Quandoquidem amicitia, teste D. Hieronymo, proportionem aliquam inter partes suo nexu copulandas videtur necessariò requirere: (*In c. 7. Micheæ.*) *Et pares aut accipit, aut facit.* Quæ conditio si absit, poterit quidem inter inæquales naturas simplicis quæpiam benevolentiæ affectio, at non etiam propriæ necessitudo a-

mi-

micitiæ intercedere. Ac proinde, quantuscunque amor fuerit, quo vel equum ſuum Caligula, vel platanum proſecutus Xerxes traditur: (*Dio. L. 59. Ælian. L. 2.*) nemo verè amicum fuiſſe ſive illum equi, ſive hunc platani dixerit. Quocirca ſi dignitatis intervallum, quo humanæ, & reliquæ dirimuntur irrationales naturæ nullum veræ amicitiæ inter eas locum relinquit; quinam reperiri poſſe illius locus inter hominem, ac DEUM videbitur, quorum naturalis inæqualitas, utpote alterius finiti, & alterius quovis fine ulterioris omnem modum excedit? nullus certè occurrit. Imô, ſi humanæ ratiocinationis trutinâ res penſaretur, nè DEO quidem in tota ſuæ omnipotentiæ amplitudine ulla ratio videtur ſuppetere, qua reddere hominem poſſet ineundæ ſecum amicitiæ capacem: cùm neceſſe foret, novum illi eſſe impertiri, & divinæ naturæ participem facere. Quod quis tandem, non dicam hominum, ſed vel Angelorum per nativam intelligentiæ ſuæ vim, & citra hauſtum divinitus lumen, factu poſſibile exiſtimâſſet? Sed enimverò, quod creatæ aſſequi mentes nequeunt; non modò per infinitam ſuam virtutem præſtare DEUS potuit, ſed & re ipſa per ineffabilem bonitatem ſuam

præ-

præstitit. Certissima siquidem fide constat, cuilibet nostrûm rite comparato suam ab eo sanctificantem gratiam infundi: qualitatem videlicet miræ adeò, eximiæque indolis, ut novæ instar naturæ compotem sui animam ad divinum quoddam genus extollat, suóque Conditori affinem, & similem reddat, neque ultra illius proportionis expertem, quæ ad jungendum cum eodem socialis amicitiæ fœdus requiritur. Unde illa sunt ad Apostolos corporati Numinis verba: *Vos amici mei estis. Jam non dicam vos servos. Vos autem dixi amicos.* (*Joa. c.* 15.)

2. Hoc itaque constituto, si tanti decoris, pretiique est vel servum DEI esse, quanti, rogo, censendum erit esse amicum? Quæ humana dignitas, quæ regia sublimitas, quæ naturalis excellentia tam cælestis, divinæque appellationis splendore non obruitur? Longè præclarius hoc est, quàm in se uno colligere omnium pulchritudinem corporum, omnium Regum potentiam, omnium sapientum doctrinam, omnésque cælestium, quotquot sunt, spirituum naturales prærogativas: cùm nihil hujusmodi ad eum, cui contigerit, divinæ amicitiæ capacem reddendum sit satis. Justa lance expendantur duo hæc vocabula, amicus,

cus, & DEUS: cúmque rite perſpecta utriuſque vis fuerit, tunc, quanti valeat amicum DEI eſſe, dignè æſtimabitur. Quid DEUS ſit à nemine intelligi meliùs poteſt, quàm ſi poſteaquam ſumma, & exaggeratiſſima omnia in quocunque perfectionis genere ſibi cogitando propoſuerit; certiſſimè apud ſe ſtatuat, ſuas illas omnes ideas, atque ſpecies, utpote certis quibuſdam terminis definitas præ incomprehenſibili, & uſquequaque infinita illius perfectione inſtar nihili eſſe. Tale eſt objectum, quod rudi aliqua ſub imagine repræſentare nobis poſſumus, cùm de DEO cogitamus, vel loquimur. Amicus verò ex receptiſſima Zenonis, & M. Tullii definitione, eſt *alter ego*, vel *alter idem*: (*Apud Laërt. L. 7. & Cic. de Amic.*) Perſona quædam nimirum ex duabus quodammodo perſonis conflata, & quaſi novum, ac congeminatum eſſe illius, quicum amicitia intercedit: adeò ut ex amicis duobus nihil ſeparatum alter ab altero habeat, ſed propter omnimodam bonorum utrinque communionem poſſint mutuò ſibi dicere: *Mea omnia tua ſunt, & tua mea ſunt.* (*Joa. c. 17.*) Quiſnam igitur æſtimare pro merito poſſit, quantæ felicitatis, gloriæque ſit, quòd me inter ignobilem terræ vermiculum, infinitúmque

que illud esse tam intima intercedat conjunctio? quódque excelsissimus universitatis totius moderator, cujus ipsammet servitutem maximæ sibi gloriæ vel supremi Angelorum ordines ducunt; tantæ quasi æqualitatis, imò etiam, ut sic loquar, identitatis fœdus inire mecum dignetur: *Neque jam dicat me servum*, sed totam mecum communicet suorum infinitatem bonorum, éque naturali mea humilitate in tam proximum sibi gradum me sublevet; ut possimus ego ab illo, & ille vicissim à me, quasi *alter ego*, *altérque idem*, spectari? O statum, cujus altitudo humanam omnem non æstimationem duntaxat, verùm etiam admirationem transcendit. Scitè pronuntiatum à B. Joanne est: *Propter hoc mundus non novit nos, quia non novit eum.* (*Ep.* 1. *c.* 3.) Neque enim quantæ sit dignitatis amicum DEI, hoc est, quasi *alterum ipsum* esse, ab eo percipi potest, qui infinitam DEI dignitatem haud satìs intelligit. Unquámne ego futurum sperâssem, ut vel mortalis quispiam Rex, esto ejusdem, cujus ego, naturæ intimo amicitiæ nexu, atque fœdere dignaretur mecum conjungi, nedum ut supremus *Rex Regum, & Dominus Dominantium* ad hujusmodi conjunctionem, & penè æqualitatem me admittendum putaret? Nimis ah, su-

ſuprà quàm poſſemus mereri, aut cogitando aſſequi, *Magnificavit Dominus facere nobiſcum*, in amicos aſſumens, quos ipſa inter ſervitia ſua connumerare inſigni pro munere habendum fuiſſet. *O quanta eſt miſericordia Conditoris noſtri! ſervi digni non ſumus, & amici vocamur.* (*Greg. Hom. 27. in Evang.*)

3. Amicitia hominum inter præcipua mortalis vitæ bona communiter ducitur: tum quia, cùm *amicorum omnia ſint communia*, amicum nanciſci tanti eſt, quanti alterum ſe acquirere, ſuúmque eſſe, ſuas fortunas, ſuas vires, ſuperadditâ amici perſonâ, viribúſque, & fortunis augere; tum quia nihil eſt ſociali noſtræ naturæ congruentius, nihil guſtu ſuavius, quàm amare, & amari: cujus longè jucundiſſimi fructûs perpetuam, quamdiu integra manet amicitia, poſſeſſionem, atque uſuram animus retinet. Quapropter non dubitavit affirmare Ariſtoteles, ingratam fore homini vitam, ſi hoc fructu in pleniſſima cæterorum affluentia careret. *Sinè amicis vivere, etiamſi cætera omnia bona ſuppeterent, eligeret nemo.* (*L. 8. Ethic. c. 1.* & Eccleſiaſticus nihil ſe teſtatur nôſſe in terris, quod fideli amico æquandum putet. *Amicus fidelis protectio fortis. Qui invenit illum, invenit theſaurum. Ami-*

co fideli nulla est comparatio, & non est digna ponderatio auri, & argenti contra bonitatem fidei illius. (c. 6.) Sed quamvis hæc verè de omni generatim amicitia dicantur; quotusquisque tamen non videt, tantò verius divinæ, quàm ulli alteri convenire, quantò cæteris quibuscunque amicis & opulentior, & suavior, & constantior in amando est amicus cælestis, quicum illa nos copulat? nam, ut à postrema hac illius dote ordiar, quisquis amicitiæ fœdus cum DEO iniit, nullam metuendi habet causam, nè hoc aliquando per ipsum dissolvatur: cùm neque ùt sempiternus possit nobis à morte subduci; neque ùt immutabilis, quam semel conceperit, sententiam, & voluntatem exuere; neque ùt sapientissimus ob falsas suspiciones abalienari à nobis; neque ùt nullo indigens novæ alicujus utilitatis gratiâ à nostra amicitia ad aliam quæstuosiorem transire; neque ùt capacitatis immensæ propter quantamcunque recentium amicorum turbam de sua erga veteres amoris flagrantia vel tantillum remittere. In summa, tenax adeò propositi, fideique est, *ut non deserat, nisi prius deseratur.* (*Conc Trid. Sess.* 6. *c.* 11.) cúmque semel quid pepigerit, priùs possint *cælum, & terra transire*, quàm ipse à conventis resiliat. At non ità ami-

amici mortales, qui præterquam, quòd in singulas horas fato nobis præripi queant, quàm sæpe nullam licèt nobis justam causam præbentibus, vel ex lucri spe, vel ex tædio, & mutabilitate animi, vel ex inani aliqua suspicione, vel quòd alibi dignius suo amore objectum inveniant, magna ex parte diminuunt, imò & prorsus rescindunt, quam nobiscum amicitiæ necessitudinem sanxerant? Quare nemo perpetuam cum ipsis polliceri sibi conjunctionem potest: sed, quicunque illâ fruitur, assiduo in metu, & discrimine ejusdem amittendæ versatur: ísque cumprimis, & peculiari de causa huic obnoxius discrimini est, qui amici locum apud magnos Principes obtinet: cùm hujusmodi homines tantò proniores cæteris ad dissuendas amicitias sint, quando propter suæ fortunæ eminentiam minùs se earum & legibus obligari, & subsidio indigere arbitrantur: præsertim quòd eorundem familiaritas clandestinis æmulorum insidiis, calumniísque appeti solet: & veluti altiùs hominem subvehit, sic ferè nunquam amittitur absque ingenti ex ea decidentium ruina. Quamobrem prudens ille apud D. Augustinum aulicus, comparans miseram, qua in Cæsaris regia premebatur, servitutem cum in-

certissimis fructibus, quos sperare ab ejusdem gratia posset; palàm demum perspexit, quantò sapientioris consilii foret ad facillimam, nullíque non expositam cælestis Domini amicitiam quærendam sua studia transferre: conversúsque ad unum ex sociis, qui aderat: *Dic, quæso te*, inquit, *omnibus istis laboribus nostris quò ambimus pervenire? majórne esse poterit spes nostra in palatio, quàm ut amici Imperatoris simus? Et ibi quid non fragile, plenúmque periculis? Et per quot pericula pervenitur ad grandius periculum? Et quamdiu istud erit? Amicus autem* DEI, *si voluero, ecce nunc fio.* (L. 8. Conf. c. 6.)

4. Verùm fac, certissima, immobilis, & perpetua cum hominibus amicitia esse possit; erítne insuper tam jucunda, & suavis, quàm quæ intercedit cum DEO? nemo id sibi persuadeat. Nam neque sincera esse potest amoris jucunditas, ubi ingratis qualitatibus objecti amabilitas permiscetur; neque ullum reperire est inter mortales amico usquequaque amabilem, ut nullis laboret seu naturalibus, seu ad mores pertinentibus vitiis, quæ in quotidiano, & familiari usu observata, minùs eũ charum, minúsque delectabilem illius consuetudinem reddant. Secùs omnino, ac in

cæ-

cæleſti, perfectiſſimóque amico uſuvenit, cujus in natura, atque moribus tantùm abeſt, ut diutina conſuetudo ingrati, otiosíque aliquid poſſit deprehendere, ut clariùs ſemper, clariúſque incomprehenſibilia illius decora oſtendens, jucundiorem ſemper cum eo amicitiam efficiat. Quocirca non modò *non habet amaritudinem converſatio illius, nec tædium convictus illius, ſed lætitiam, & gaudium,* (*Sap. 8.*) verùm etiam, quantò longior, magíſque aſſidua converſatio eſt, tantò ex ea plus hauritur delectationis, & gaudii.

5. Denique ut ad lucrum progrediar, quod ex amicitiis percipitur, expendendũ tibi, Lector, relinquo, quàm immenſum id ex DEO referat, quiſquis ei amicitæ nexu conjungitur. Cùm enim proprium amicorum ſit, vel ex utroque unum fieri, vel utrumlibet in duos geminari; ex eo nexu id conſequitur, ut unum quid cum DEO evadat, eúmque ſibi acquirat, & propriam rem poſſit vocare, non alterius cujuſpiam hominis eſſe cenſus, & vires; ſed infinitum eſſe, immenſiſſimas opes, & omnipotentem vim ſupremi illius Domini, à quo, dum amicis illius accenſetur, in ejuſdem, & quorumvis illius bonorum communionem admittitur. Si ergo ma-

gnorum quorumlibet Principum amicitia, quamvis nihil emolumenti secum afferat, ultra finitum, exiguúmque illud, quod ipsi sunt, atque possunt, tanti nihilominus fit, & solicitè adeò ab hominibus quæritur, ut eam pro suprema votorum suorum meta, & amplissimo habeant laborum quorumvis præmio; arguat hinc quilibet, quanto habenda sit in pretio Regnatoris supremi amicitia, nunquam, quod ad ipsum spectat, deficiens, nectare omni suavior, adeóque fructuosa, ut secundùm usurpatam à Doctore Angelico phrasim, (1. 2. *qu.* 112. *a.* 1.) *Deificet* hominem? Quæ tam mira efficacitas à B. etiam Joanne attributa ipsi est, dum eam nuncupavit *DEI semen:* (*Ep.* 1. *c.* 3.) quasi innuens, ceu ex semine oleæ nihil præter oleas, éque cedri semine nihil præter cedros progerminat; sic ex gratia sanctificante, utpote quæ semen DEI est, non nisi Deos nasci.

6. Ego sanè tantum id excellentiæ mecum cogitans, temperare mihi nequeo, quin cum Vate Regio admirabundus exclamem: (*Psl.* 138.) *Nimis honorificati sunt amici tui, DEUS, nimis confortatus est principatus eorum.* Neque video, quid præterea in supernaturali hac immensissima dignitate desiderandum superfit:

sit: nisi fortè quis censeret, eo nomine illius pretium diminui, quòd decus sit nulli non hominum pro suo arbitratu contingens, neque ideo ad acquirendum arduum, seu ad habendum rarum: quæ tamen duæ conditiones ubi desunt, nullum bonum multum æstimationis mereri videtur. Sed nihil futilius tali objectione est. Ut enim à diluenda nimiæ facilitatis nota initium capiam, quonam modo facilis plùs nimio divina existimari potest gratia, qualitas omnem non creatarum duntaxat, sed & creabilium causarum efficientiam sublimitate sua excedens, ut ad eam producendam non minori, quàm infinita, & omnipotenti virtute opus sit? Quòd si sub facilis rei nomine accipiatur, quòd citra proprium laborem ex mera alterius liberalitate obtinetur; nego primò hanc facilitatem ad extenuandum cujuslibet boni pretium sufficere: & nego insuper, etiam in prædicta significatione perfacilem existimari amicitiam DEI posse. Et quidem, non quidquid ità facilè homini sit, parvo in pretio esse habendum, pro sexcentis aliis, quæ ad manum forent, exemplis, satìs, supérque una evincit hypostatica unio: ex mero DEI munere, & sinè ullo laboris impendio, Christi humanitati impertita: qua tamen

quid cogitari excellentius, aut divinius potest? Quod verò neque in hoc sensu perfacilis possit dici amicitia cum DEO, tot negationis meæ suffragatores habeo, quot in terris homines degunt. Cùm non unus duntaxat, vel alter, sed universi ferè experiantur, quot cum perduelli natura dimicationibus, quámq; assiduo labore, & conatu opus sit, ad divinam gratiam suis in animis sartam tectam tuendam. Quæ quidem cuilibet volenti venum exposita, & parabilis est: sed tantùm nihilominùs à mercium parvò constantium vilitate abest, ut plerique mortalium arduam præter modum esse, nimiúmque carò emi querantur: nec pauci difficultatum sese objicientium metu, omnem illius obtinendæ spem, atque curam abjiciant. Unde licet colligere, illius possessionem neque nullo laboris sumptu constare; &, tametsi gratis omnino contingeret, futurum nihilominus pro innata sibi excellentia bonũ summopere æstimandum, imò humana omni æstimatione sublimius.

7. Idem ferè ad alterum quoque objectionis caput, raritatis nempe defectum respondeam. Nam neque quòd bonum aliquod rarò, & paucis contingat, naturalis, veríque illius valoris augendi; neque quòd

ad

ad multos, imò & omnes pertineat, ejuſdem extenuandi vim per ſe habet. Quare nemo vitæ uſuram minus eſſe bonum exiſtimat, quòd innumeri eâ in mundo fruantur, quàm ſi duo, tréſve tantùm illius compotes forent: nec virtus, aut doctrina, vel bona valetudo minùs quemquam perficiunt, ſi eas ſimul cum multis, quàm ſi unus inter omnes poſſideat. Imò tantùm à vero diſtat, raritatem certum eſſe, ac perpetuum potioris boni argumentum, ut prorſus è contrario, quæ maximè promiſcua, & communia ſunt bona, ceu ſentiendi vis, rationis uſus, arbitrii libertas, & hujus generis alia, plurimi itidem ab hominibus fiant. Sit ergo, prout objicitur, DEI amicitia, qua ego utor, decus tralatitium, & mihi cum plurimis, imò etiam cum omnibus, qui illud velint, commune: juſtáne idcirco mihi ſuppetit ratio de ea minùs gaudendi? Neutiquam certè: velut neque illa minorem me perficiendi, & cohoneſtandi vim obtinet, quàm ſi privilegium foret mihi uni conceſſum. Quamvìs enim in poſteriore eventu reliquæ hominum multitudini dignitate antecellerem; non majoris tamen gloriæ eſt ignobili vulgo antecellere, quàm magnis eſſe Principibus parem. Præterquam quòd mea illa

inter cæteros exuperantia, utpote ſpiritualis, intráque animum penitùs latens nullo modo ſciri ab iis poſſet, nec propterea me admirarentur, ſibíque ceu ſuperiorem præferrent: atque ità nullum indè ſive intimæ, ſolidæque dignitatis incrementum, ſive exterioris gloriæ fructum nanciſcerer. Satìs itaque amicis DEI eſto inæſtimabilis ejus præſtantia, & felicitas: neque ex ſociorum multitudine cauſas ducant, eam parciùs æſtimandi, ſed ſolùm tantò cuſtodiendi accuratiùs, quantò majori ignominiæ illis foret etiam communi quàm plurimis prærogativa carere.

8. Reliquum eſt videre, quid agendum ei ſit, qui explicata hactenus divinæ amicitiæ decora probè intellexerit, nè conceptam in animo illius æſtimationem otioſam, ſuóque fructu vacuam relinquat. Debet itaque is primò amicorum DEI felicitatem, & gloriam humanis quibuslibet aliis bonis præferre: ſive illa corpus perficiant, ceu integra valetudo, virium præſtantia, formæ venuſtas; ſive ad animum ſpectent, ceu ingenii perſpicacitas, eruditio, eloquentia; ſive extrinſecùs hominem decorent, putà generis claritudo, titulorum ſplendor, opum affluentia, imperii poteſtas. Adeò ut ex duobus, quorum al-

alter hiſce omnibus prærogativis, & ad ſummum quidem earum modum condecoretur; alter verò nihil præter DEI amicitiam præclarum, atque eximium, imò nihil non aſpernabile exhibeat; minimè hunc dubitet primo illo nobiliorem, ac feliciorem putare. At mancipium eſt triobolare, & compedibus tritum: at mendicabulum ſordibus & ſqualore obſitum: at homuncio ſinè ulla formæ, ingenii, ſolertiæ, doctrinæque commendatione, mentis ſenſu hebes, corpore abnormis, *opprobrium hominum, & abjectio plebis.* Quid tum? Itáne, & quævis alia ſeu naturæ, ſeu fortunæ dehoneſtamenta in tantam eum poſſunt vilitatem, & contemptum abjicere; quin immensò altiùs aſſurgat, plúſque æſtimationis mereatur, ac pretii ex eo, quòd amicus interea DEI ſit: infinitæ nimirum illius naturæ, dignitatis, opulentiæque particeps, & ſupra ultimos naturalis cujuſque excellentiæ terminos ad moralem quamdam cum ipſo univerſitatis totius Conditore, atque Domino unitatem evectus? Næ humanos illos, & naturales defectus magni pendere, imò vel minimam eorum rationem præ hac inæſtimabili excellentia ducere, longè majoris inſipientiæ ſpecimen foret, quàm ſi Alexandro Macedo-

ni, vel Augusto Cæsari plus obfuisse ad dignitatem, & gloriam censeremus, quòd calceos sarciendi, & lutea vasa effingendi artem ignoraverint: quàm contulisse, quòd tantam orbis terræ partem suo imperio subjectam habuerint; omnibúsque hinc indè ad examen vocatis, & adversa fronte compositis, nîl dubitaremus, gregarium quemvis sutorem, aut figulum tam eximiis Principibus honorabiliorem putare. Ità sanè: (dixi, atque iterum dico) longè illius major, quàm hujusce judicii perversitas foret. Cùm extra omnem controversiam sit, majori longè intervallo divinam amicitiam terrenæ cuilibet dignitati antecellere, quàm summa inter dignitates terrenas mechanicarum infimæ artium præcellat: ac proinde multò minoris momenti rem DEI amico deesse, dum humanis quibusvis dotibus caret, quàm summo Principi, quòd vulgaris cujuspiam opificii destituatur peritiâ. Quapropter si fatuus, & communis sensûs expers ab omnibus duceretur, qui tantilli defectûs causâ Alexandros, & Augustos veteramentario sutori postponeret; quantò minus mentis, judiciíque habere est putandus, si quis ob ignobilitatem stirpis, ob decorum naturalium inopiam, óbque alias quascunque terre-

ni

ni ejusdem generis imperfectiones minoris faciat, & vel eminentissimo, ac præstantissimo quovis mortalium inferiores eos ducat, qui amicæ cum DEO necessitudinis privilegio supra totius naturæ ordinem, omnésque illius prærogativas consistunt?

9. Simile primo hactenus dicto alterum itèm practicum judicium est, quod à justo sui æstimatore amicitia DEI exigit: nempe ut illam, ceu in aliis, ità & in se ipso omnibus pluris faciat tam fortunæ, quàm naturæ ornamentis: nec proinde ab his, sed ab illa mensuram dignitatis, & causas lætitiæ suæ petat: displicens sibi, quandocunque illius censu inferiorem sociis se videt, etiamsi horum copia, & exaggeratione iis antecellat: nihílque è contrario ægritudinis capiens, quòd hæc sibi vel penitùs desint, vel exiguum intrà modum contigerint, dummodo in illa non pœnitendos progressus se feciisse animadvertat; Themistoclis ritu, atque exemplo, qui æquo animo tulit, imperitum se lyristen videri, iis, à quibus deridebatur, respondens, satis sibi esse alterius præstantioris artis scientiam, qua posset *civitatem ex parva magnam, éque obscura illustrem efficere.* (*Plut. in vita.*) In summa: *Hæc dicit Dominus; non glorietur sapiens in sa-*

pi-

pientia sua, & non glorietur fortis in fortitudine sua, & non glorietur dives in divitiis suis, sed in hoc glorietur, qui gloriatur, scire, & nôsse me, quia ego sum Dominus. (*Jer. 9.*) En ubi vult DEUS nostram à nobis gloriam omnem constitui : in eo nempe uno, quo ipsi copulamur, in ipsius cognitione, observantia, & honore. Et jure optimo quidem : nam neque ullam homini licet tam præclaram naturæ dotem in se agnoscere, quæ immenso supernaturalium decorum splendore non omnino obscuretur ; neque tam pravus quisquam est suarum rerum æstimator, ut singulari quapiam prærogativa excellens, de aliis, quæ longè inferioris notæ, cùmque vulgo communes sibi sunt, magnopere gloriandum existimet : quemadmodum exempli gratiâ Hadrianus Cæsar, quanquam inter privatæ conditionis suæ studia, nonnullam cucurbitas graphicè pingendi facultatem sibi paraverat ; (*Xiphil. in Hadr.*) cùm tamen ad solium evectus fuisset, & augusto sceptri gestamine penicillos commutâsset, probro sibi potiùs, quàm laudi vertisset, suum illud qualecunque artificium ambitiosè ostentare : tanquam decus in peculiari ejus professore aliquatenus commendandum, sed nimis indignum, quod à tanto Principe pro eximio ven-

venditaretur imperatoriæ ſuæ conditionis, perſonæque ornamento. O quàm probè hujuſmodi veritatem callebat, expreſsámque magnus Doctor Gentium reliquit in ſuis illis ad Galatas verbis: (*c. 6.*) *Mihi abſit gloriari, nisì in Cruce Domini noſtri JEſu Chriſti?* Obſervâſtíne, inquit Chryſoſtomus, vim, & pondus loquendi? *Non dixit, ego non glorior, aut nolo gloriari: ſed abſit, ut glorier: quaſi de re portentoſa loquens, abominatus eſt.* (*In Ep. ad Gal.*)

10. Debet tertiò idem, ſi idoneas habeat cauſas, ſe inter DEI amicos adſcriptum cenſendi, ſpiritus capere tantæ huic dignitati ſuæ congruentes: ac veluti per ipſam ex humana ſua conditione in novam migraverit nimiùm quàm ſuperiorem naturam; ſic obliviſci, quòd humanæ conditionis unquam fuerit, quódque conſtet corpore, & in terris etiamnum degat, Chryſologi verbis ſe alloquens: *Quid commune cum terris tibi, qui confiteris tibi genus eſſe de cælis?* (*Serm. 71.*) Nequaquam tu ultrà ille eſſe pergis, qui ex Adami creta in lucem prodiiſti animal ærumnoſum, & vile. Plùs quàm terrena, plùs quàm humana, plùs etiam quàm cæleſtis, & Angelica conditio tua eſt. Inſertus admirabili privilegio es in ipſum-

ſummet ſupremi Authoris tui genus: conſtitutus per gratiam in eodem illo ordine, in quo ille eſt per eſſentiam: admiſſus ab eo in amici ſui jura, ac proinde in opum ſuarum omnium, divinæque ipſius naturæ conſortium. Paucis, unum quid cum eo conflas, *alter ipſe es*, & quaſi quidam per adoptionem DEUS. Quidni ergo dignos tam ſublimi gradu ſenſus animo concipis? *Quare tibi tam vilis es, qui tam pretioſus es* DEO? *Quare ſic à* DEO *honoratus taliter te ipſum inhonoras?* (*Chryſol. Serm. 148.*) Nè ità quæſo deſipias, ſed *agnoſce dignitatem tuam, & divinæ conſors factus naturæ noli in veterem vilitatem degeneri converſatione redire.* (*S. Leo ſerm. 1. de Nat. Dom.*) Veteris hominis affectus, moréſque abdica: indignum vel obtutu, nedum amore tuo exiſtima, quidquid imo hoc in orbe ſpecioſum, & magnificum à cæcis, fatuíſque appellatur, vel deridendi ſolùm causâ, & cum faſtidientis ſupercilio intuere. *Terram neſciat, amorem carnis ignoret, partem pulveris non requirat, nihil in ſe vitiis licere permittat, qui* DEUM *Patrem cæleſtem repetit ad naturam.* (*Chryſol. ſerm. 68.*) Duc poſtremò, quemadmodum ſupernaturalis tui ſtatûs celſitudo poſtulat, vitam omnino cæleſtem, vitam purorum ſpirituum propriam, vi-

vitam DEO dignam. Talia, inquam, ſentire, & ſibimet occinere, & retractare animo convenit, ſi reſpondere novi ſtatûs ſui altitudini vult, & dignè ſuſtinere perſonam adeò cuilibet alteri præcellentem, ùt perſona eſt hominis in DEI amicum adlecti. Quippe, hanc eſſe communiter hominum conſuetudinem cernimus ex tacito naturalis rationis, & convenientiæ inſtinctu ortam, ut, qui ex humili dignitatis gradu ad longè excelſiorem conſcendit, pro ea loci mutatione ſenſus itidem, affectúſque, & mores commutet: multa deſpiciens, quæ priùs mirabatur: parùm iis contentus, quæ illius animum antea expleviſſent: probro ſibi vertens, quæ olim affectabat quærere, &, quibus aſſueverat, miniſteriis jam fungi: nec ſeu in habitu corporis, ſeu in ſermone, atque inceſſu, ſeu in reliquo ullo vitæ actu quidquam plebejum præſeferens, quidquam, nisi exaggeratum, & magnificum ſpirans, juxta illud Iſaiæ effatum: (*c.* 32.) *Princeps ea, quæ ſunt digna Principes, cogitabit.* Quare Servio illi Tullio, qui, *ancillâ genitus, ſceptrum, & diadema Quirini, & fasces meruit*, dictum non immeritò eſt apud Livium, (*L.* 1.) *Quis ſis, non unde natus ſis, reputa*: ſcitúmque eſt reſponſum, quo alius de-

deinde Romanus Cæsar haud passus est progredi ulteriùs verbum *Meministi*, ab antiquo suo familiari prolatum de, nescio, qua re, ad privatam ipsius conditionem spectante: subjiciens confestim, priusquam is quidquam certi adderet, *Non memini, quid fuerim.* (*Tiber. ap. Sen. L. 5. de Benef. c. 5.*)

11. Consequens quartò est, ut nequeat sinè alto stuporis, horroríque sensu intueri, quàm flocci fiat, quantáque cum facilitate projici ab hominibus soleat hic inæstimabilis thesaurus. Cùm passim, & ubique tam multi, vel exigui spe lucri, vel minuendæ apud socios æstimationis suæ metu, vel sordidæ juxta, atque evanidæ voluptatis cupidine, vel leviſſimis quibusque aliis de causis, nîl dubitent, divinæ amicitiæ nuntium remittere, déque excelsiſſimo, & regale quodvis fastigium supereminente illius gradu in teterrimam divinæ offensionis abyssum sese ultrò præcipites agere; qua ruina nullam post homines natos luctuosiorem, funestámque, & horridam magìs tragica exhibuerunt theatra. Et verò, si magni alicujus Regis gratiâ, vel primariæ dignitatis spe, aut luculenti censûs possessione exciderint; quis eorum mœstitiam, animique dejectionem sat explicet? Videas fron-

te

te nubila, vultu confuso, attonitos, gemebundos sibi, fortunæque iratos nîl solatii admittere, nullam quietis partem capere, vitæ, ac lucis usuram odisse; de restibus, de venenis, déque aliis voluntariæ necis generibus deliberare. Cúmque externas id genus rerum pereuntium, & supervacuarum jacturas adeò intoleranter excipiant; hanc longè gravissimam, quippe omnino necessarii, nunquam per se occidui, & pretio incomparabilis boni, tam pacatè, tam æquo animo, tam citra ullum mœroris sensum, ullámque oris mutationem ferunt; ut eâ icti nihilo seciùs, quàm antea lætitiæ indulgeant, jocis vacent, & contenti sorte sua vivant, perinde quasi dicerent: *Peccavi, & quid mihi accidit triste?* (*Eccles. c.* 5.) O amentiam planè incredibilem, & portenti simillimam! Quid mihi accidit triste? Audi, quicunque ità sentis, nec cohorresce, si potes. Supremum universitatis totius Conditorem, ac Dominum, amicum tibi antea, infensissimum hostem jam habes: quod perinde est, ac beatissimæ illius hæreditatis jus æternæ illius ultionis reatu mutâsse, éque nobilitate plùs quàm regali, plùs quàm Angelica in conditionem decidisse viliorem, quàm mancipii, aut etiam jumenti. Et tan-

ta infelicitas res tibi videtur, de qua ſereno vultu, animóque poſſis dicere: *quid mihi accidit triſte?* Certè tam horrida iſthæc cataſtrophe eſt, támque ſingularis, & mira eam ultro ſubeuntium vecordia, ut, ſi fortè audiremus, neſcio, quem in Æthiopia, vel India extitiſſe, qui regni adipiſcendi gratia haud veritus ſit pejerare, ſive alia capitali noxa DEI inimicitiam promereri, inane procul dubio cõmentum, & nulla dignum fide id videri nobis deberet. Quid enim? eóne ſtoliditatis aliquem progredi, ut mortalis regni pretio DEI amicitiam, ſupremæque illius naturæ, beatitudinis, gloriæ, ac potentiæ conſortium venumdet? fieri nullo modo poteſt. Amentia eſt nimiùm enormis, nimiùm veri diſſimilis, nimiùm à fide abhorrens, fabulíſque adnumeranda, imò omnium fabularum vanitatem exuperans. Quod ſi cordati plures viri ſumma aſſeveratione, additóque jurejurando confirmarent, indubitatiſſimè, & ſuis quidem ſub oculis id peractum fuiſſe, tum verò certa eventûs monſtroſiſſimi fides in tantam ſui admirationem deberet nos rapere, ut diu attoniti, & ſilentio defixi, vix colligere animum à nimio ſtupore poſſemus. Sed, quòd portenta hujuſcemodi aſſiduè, & ubivis locorum in-

instaurari cernantur, neque suam interim nativam deformitatem palàm ferant, in causa est, cur quàm plurimi ea vix advertant, nedum pro eo, ac par est, perhorrescant. Quanquàm, si fateri verum volumus, ipsa hæc rei tam absurdæ frequentia, quemadmodum rationi magis dissentanea, & perniciosior humano generi est: ità plus admirationis, atque horroris deberet in cujuslibet animo eam rite ponderantis excitare.

12. Pertinet denique ad idoneum divinæ amicitiæ æstimatorem, firmissimum in animo habere, inque dies altiùs defigere, illius quovis pacto sibi conservandæ propositum: adeò ut nullis rerum humanarum illecebris dimotum sese unquam iri ab hac voluntate arbitretur: &, si quando hostis tartareus eum tentare institueret, non quidem hujus, vel illius vulgaris boni promissis, sed exhibitis ipsi ob oculos, ceu quondam Christo Domino, *Omnibus regnis mundi*, & ampullosa illa pollicitatione adjecta: *Hæc omnia tibi dabo, si cadens adoraveris me.* (*Matt. 4.*) pro deridiculo id genus tentamenti habeat: quemadmodum Demetrius ille Philosophus derisisse fertur quinque millia aureorum à Cajo Cæsare sibi oblata, *nè dignam quidem summam judicans, qua non*

accepta gloriaretur: cùm miraretur dementiam ejus, quòd se putâsset tanti posse mutari. (*Sen. L. 7. de Benef. c. 11.*) neque ardui plùs nimiò conatûs, heroicæque generositatis opus existimet: conflanter rejicere, quidquid pretii pro divina gratia in grandisono illo, *Hæc omnia*, stygius nundinator sibi offert: sed vultu in admirationem, ac risum composito, ei respondeat, quæ non tuæ istæ conditiones sunt, Satana? Adeóne fatuum negotiatorem me putas, ut pro terreni hujus orbis imperio, puncti nimirum exigui, víxque ultra temporis punctum obtinendo, divinam amicitiam commutem, per quam humana conditione altior, & ejusdem cum supremo meo Authore ordinis sum: quæque mihi tum excellentissimæ illius naturæ communionem, tum immortalis, ac beatissimi regni hæreditarium jus tribuit? Nónne talis venditio longè stultior, magísque damnosa esset, quàm si Assverus centum viginti septem provinciarum Dominus, tanti regni possessionem pro depicto in tabula mundi globo commutaret? *Hæc omnia tibi dabo, si cadens adoraveris me.* At unde *cadens*? nempe ex cælo in tartarum, ex DEI amico, atque filio in tui mancipium. Apage, apage in malam crucem veterator nequissime! *Regna tua te-*

tecum sint in perditionem. Jacturæ enim, & ruinæ, quam suades, haud digna compensatio essent, nedum omnia unius mundi regna; sed neque omnes ii mundi, queis ambitio Alexandri inhiabat. *Bonum gratiæ unius majus est, quàm bonum totius universi.* (*S. Th. 1. 2. qu. 113. a. 9.*) Ità, dico, obfirmatam in bono, juratæque DEO fidei tenacem, & omnibus diaboli aggressionibus fortiorem efficere animam debet justa divinæ gratiæ æstimatio. Quare inter considerationes, ad peccati fugam incitare aptas, nulla fortasse, iis exceptis, quæ Theologicæ charitatis sunt propriæ, inveniri efficacior potest, quàm si incomparabilia bona expendantur, quibus culpa lethalis nostram cum DEO amicitiam dissolvendo nos exuit. Siquidem jacturam hìc habemus præ oculis omnium, quæ concipi animo possunt, gravissimam; neque illam quidem incertam, & remotam, cujusmodi sunt posthumæ vitæ mala, sed maximè præsentem, quæque in ipso peccandi actu confestim subitur: ut proinde illius terror debilitari nequeat, illecebrosa illa spe, qua dæmon inducere ad peccandum solet omnes ferè eos, qui peccant: futurum persuadens, ut, quamvis sempiternæ mortis reatu se in præsens obstrinxerint, illam tamen

nemini non parato pœnitentiæ remedio quàm facillimè evadant. Esto, ità se res habeat, reponit, qui rite compertum, impressúmque menti habet, quantô intervallô humanis quibuslibet bonis præcellat divinæ amicitiæ possessio. Esto propositi hujus mihi criminis pœnam non solùm possim eo remedio vitare, sed etiam vitaturus certissimè sim. Parúmne tamen supplicii est, quòd peccantem DEUS illicet ex amicorum suorum albo expunget, imò etiam in hostis loco habebit, capitali odio prosequetur, nec sinè abominatione eum intueri poterit? quem alioquin sceleris purum pergeret singulari benevolentia complecti, naturæ suæ consortio dignarì, eóque sibi nexu adstringere, qui vel sanguinis nexu arctior, intimiórque, quos copulat, in unitatem, & quidem simpliciſſimam, qualis est spirituum, redigit, juxta illud Apostoli: (1. *ad Cor.* 6.) *Qui adhæret* DEO, *unus spiritus est.* Nimis, ah nimis grave, & quibuslibet lethalis culpæ emolumentis præponderans hoc genus damni est, quod ab ea nunquam potest sejungi. Et unum hoc, etsi cætera desint omnia, satìs mihi, supérque est, ut avertendi illius causâ summum quodlibet ex præsentis vitæ seu bonis repudiare, seu malis subire instar nihili habeam.

CA-

CAPUT V.

Quanti æstimanda sit animæ in cælesti patria DEUM palàm intuentis, eóque ad plenum fruentis felicitas.

Charissimi (scribit B. Joannes) *nunc filii DEI sumus, & nondum apparuit, quid erimus. Scimus, quoniam, cùm apparuerit, similes ei erimus, quoniam videbimus eum, sicuti est.* (*Ep.* 1. *c.* 3.) Ubi satìs innuit, quonam pacto DEI gratia, & DEI visio invicem differant: nimirum quòd illa divinæ quidem naturæ participatio est, sed occulta, & quasi fructus, suo adhuc in semine deliteſcens, proin nec tuta à deficiendi periculo, nec ad plenam se obtinentis felicitatem sufficiens. Cùm status visionis eadem participatio sit, sed pretium suum palàm exhibens, jámque ad plenam maturitatem provecta, & cui nihil ad tutissimam, & omnimodam beatitudinem desit. Comparares illius possessorem hæredi legitimo, sed nondum per ætatem idoneo ad liberam suorum bonorum administrationem: hac verò, fruentem eidem nullis jam obnoxio tutoribus, sed promptum,

ac sub manu habenti hæreditatis suæ usum. Quemadmodum enim prior, ut Apostoli verbis utar, (*Ad Gal. c. 3.*) *Nihil differt à servo, cùm sit Dominus omnium*, impos quippe exercendi usque ad justam ætatem dominii; alter contrà, quovis nexu expeditus, liberrimum in suas res non dominii solummodo, verùm etiam arbitrii jus obtinet; haud aliter, qui Dei gratiâ in terris decoratur, esto verum, atque plenum proprietatis jus super omnia cælestis amici sui bona jam nunc habeat; impeditum tamen, quantùm ad usum id habet: nec propterea bonis illis in præsens plùs fruitur, quàm alienigenæ, ac servi. Sed transibit aliquando, transibit hoc puerilis tutelæ, opulentiæque, paupertati similis tempus; quo exacto apparebit coram cæleſti curia universa, qualis revera est DEI amicus, & filius similis ipsi evadens, beatitudinis, qua ipse fruitur, particeps, liberúmque hæreditatis, & gloriæ usum-fructum capiens. In summa, proprium divinæ gratiæ est: certissimo tramite ad æternam beatitatem; ducere divinæ visionis, in ea constituere. Prior illius dici radix potest; fructui assimilari posterior. In illa possidendæ cælestis gloriæ jus, in hac ipsammet possessionem habemus: ceu probè animadvertit Chry-

so-

fologus, juſtos etiamnum in præſenti vita peregrinos ſic admonens: (*Serm.* 71.) *Nemo, cùm ſe filium clamat, manere ſe miretur in habitu ſervitutis. Ad divinum germen hodie deſignatus es, non promotus. Spem, non rem te noveris aſſecutum.* Licèt verò id diſcrimen ſatìs per ſe oſtendat, quàm immensô intervallô clara DEI viſio naturalia quævis bona exſuperet, cùm vel ipſo ſupernaturali, excelſiſſimóque divinæ amicitiæ bono tam longè antecellat; juvat nihilominus de illius ſingulari præſtantia ſeorſum hìc agere, explicando, quoad vires meæ tulerint, ſummam, incomparabilémque æſtimationem, in qua haberi à nobis meretur. Quoad vires meæ tulerint, dixi: neque enim me fugit, tam impoſſibile eſſe, pro ſua illam dignitate explicare; quàm mortali cuivis linguæ ineffabilis, & creatæ cuilibet menti incomprehenſibilis divina pulchritudo eſt, quæ ibi contemplandam, & fruendam ſe exhibet. Nam, ſi à tragico illo Poëta dictum hyperbolicè eſt, dimidiam orci ſævitiam, & horrorem in formidabili Plutonis aſpectu conſiſtere: (*Sen. in Herc. fur.*) *Magna pars regni trucis eſt ipſe Dominus*; propriiſſimè dici poteſt, non pars aliqua, ſed tota omnino cæleſtis regni, gaudiíque ſumma *eſſe ipſe Domi-*

nus, in propria ſua ſpecie illic intuendum ſe præbens. Unde conſequitur, ut, cùm ille objectum ſit infinitè pulchrum, & noſtrorum omnem ſenſuum, ac verborum vim longiſſimè excedens, ſuperiorem quoque noſtris omnibus loquendi formis, ac ſenſibus animarum felicitatem reddat, eo cominus viſo fruentium: ac proinde hoc, teſte Auguſtino, (*Tr. 34. in Joa.*) *Deſiderari poſſit, concupiſci poſſit, ſuſpicari poſſit, verbis explicari non poſſit:* nec alius nobis aptior repræſentandæ illius modus ſuperſit, quàm, ſi cum Angelico Doctore dicamus, habere ipſam, *ex hoc, quod eſt fruitio* DEI, *quamdam dignitatem infinitam, & ex parte non poſſe aliquid eâ fieri melius, ſicut non poteſt aliquid eſſe melius* DEO. (*1. p. qu. 25. a. 6. ad 4.*)

2: Poſtquam ergo felix ille articulus temporis venerit, quo noſtra præſens dignitas manifeſta ex propriis ſuis effectibus fiat; excipiet nos tandem mortali hac peregrinatione defunctos cæleſtis regia, ineffabilium gaudiorum, ſecuræ quietis, neque unquam deſituræ beatitudinis ſedes. Et quæ ibi receptis per totam deinde æternitatem vivendi ratio erit? Nempe ſupremum noſtrum Conditorem, Dominum, Parentem, amicum, qualis in ſe ipſo

so est, infinitè pulcher, infinitè bonus, infinitè perfectus, assiduè contemplari: & prout tanti objecti dignitas postulat, totis viribus, toto corde, tota mente, toto spiritu amare: familiari, & perpetua illius consuetudine frui: illum bonorum omnium bonum pro nostro censu, pro gaudendi materia, pro votorum fine, pro felicitatis summa habere: pérque hujusmodi contemplationem, amorémque, & familiarem usum, quantùm fas homini est, illius similes fieri, veluti sempiterna quædam increati solis parelia: imò in ipsum transformari penitùs, totúmque divinum ipsius esse, totam perfectionem, totam beatitudinem, & quidquid ab eo possidetur, nostram rem facere: adeò ut nos intuens tantò nobis superiores exclamare Psaltes Regius præ admiratione cogatur: (*Ps.* 81.) *Ego dixi, Dii estis, & filii Excelsi omnes.* Ità, ità planè est, Hypponensis Præsul excipit, (*Tr. 4. in Ep. Joa.*) *Visuri sumus quamdam visionem, fratres, quam nec oculus vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis ascendit: visionem quamdam præcellentem omnes pulchritudines, visionem* DEI, *omnia pulchra superantem, quoniam ex ipso sunt omnia pulchra. Quid ergo erimus, quando videbimus, quod nobis promissum est? similes ei erimus. Quomodo potuit, lin-*

gua

gua ſonuit : cætera corde cogitentur. O viſionem! ô ſimilitudinem! ô transformationem! cui nihil par vel ſenſu percepimus, vel cogitando imaginari poſſumus : quæ ampliſſima nobis erit laborum omnium merces, pleniſſima votorum omnium ſatietas, abſolutiſſima totius beatitudinis ſumma! *Ibi vacabimus, & videbimus, videbimus, & amabimus, amabimus, & laudabimus.* En paucis delineatam ab eodem ſancto Doctore noſtri illius ſtatûs felicitatem; En aſſiduam, nec unquam non eandem æternæ illius, beatiſſimæque noſtræ vitæ occupationem. *Ecce, quod erit in fine, ſinè fine.* (L. 22. *de civ. c.* 30.)

3. Haud me fallit, poſthumam hanc animarum DEO fruentium beatitatem, utpote omnino ſpiritualem, ſenſibúſque inacceſſam, parùm habituram momenti in quorumdam hominum trutina, qui in materia uſquequaque defixi, neque aliis, quàm corporeis voluptatibus deguſtandis aſſueti, cogitando aſſequi neſciunt, quonam pacto pura eſſentiæ divinæ, objecti nimirum longiſſimè à materia ſejuncti, ægréque etiam intelligibilis viſio ità omnes explere appetitus animæ valeat; ut, citra quaſvis alias oblectationes ſenſibiles, una ipſi ad omnimodam felicitatem ſufficiat. Imò

eti-

etiam vereri non immeritò ſubit, nè id genus hominibus inamœnum quid videatur, & tædii plenum, debere ità æternùm vivere ſinè ulla præter DEUM gaudii materia: néve beatitudini tam ſeriæ præhabeant temulentas ſaltationes, bacchantis lætitiæ tumultus, & reliqua genii delinimenta, unde bruta Epicuri, & Mahometis beatitudo componitur: ratiocinantes videlicet ſecum, ceu grave nunc experiantur divinis rebus meditandis vacare, contráque jucundiſſimum corporeo appetitui indulgere; ſic, ubi cuncta illius pabula mera DEI viſione in cælo mutaverint, tetricam, & inſuavem ſe vitam ducturos: utpote quibus dulciſſimo ejus fructu per totam æternitatem carendum, nec alia ſit percipienda, nisì, neſcio, quæ Metaphyſica, & ſolius mentis propria jucunditas. Uſque adeò, ceu clara Dei viſio ſimilem nobiliſſimo illi ſuo objecto hominem reddit; ſic illius è contrario ignorantia in viliſſimæ pecudis ſpeciem eundem transformat: efficiens, ut ſenſus animo foveat nihilo altiores, præſtantioréſque ſuis immundi ſenſibus: cui non alia eſt beatitudo, nisì in haræ ſuæ luto volutari, aſſiduis helluationibus ventrem laxare, & brutas gutturis cupiditates, quoad poſſit, explere.

4. Quò

4. Quò igitur hujuſcemodi homines tam vecordibus phantaſiis ablegatis congruentiorem aliquam ſupremæ, abſolutæque felicitatis ſuæ ſpeciem in animo forment, duo hìc demonſtranda ſuſcipio, quæ nemini aut arduum ſit intelligere, aut poſſibile, ubi intellexerit, non approbare. Primum ſcilicet, præter externam hanc pulchritudinem, quæ oculis patet, aliam reperiri ſolo mentis viſu ſpectabilem, neque tamen primâ illâ minùs, quin multò plùs etiam contemplatu jucundam. Alterum, præter voluptates corporis, quas communes habemus cum brutis, alias ìtèm eſſe, unius rationalis appetitûs noſtri proprias, & unde nihilo hic minus, imò & longè amplius delectationis haurit, quàm corpus è ſuis.

5. Et de primo quidem nihil addendum mihi ſupereſt ad libri præcedentis doctrinam: in quo ſatìs oſtendi pulchritudinis pretium, cùm non alibi poſitum ſit, quàm in perfectione ad contemplandum jucunda, haudquaquã ſolis corporibns, ſed ſpiritualibus etiam ſubſtantiis convenire, imò in his tantò eſſe excellentius, quantò earum perfectio, utpote major, magìs contemplantem ſe oblectat. Unde in promptu cuique eſt colligere, ceu omni-

no

no infinita, & quaslibet alias immensùm excedens perfectio DEI est; sic usquequaque infinitam, & quibuslibet aliis seu corporeis, seu spiritualibus immensô intervallô majorem illius pulchritudinem esse. Hoc itaque extra controversiam posito, si nemo inter homines est brutæ adeò, stupidæque indolis, ut subtile argumentum, ingeniosam sententiam, miram inventionem, egregium virtutis facinus, vel quamcunque aliam incorporeæ pulchritudinis speciem considerans, nihil indè voluptatis animo capiat; facillimè idem potest ex suo hujusmodi experimento arguere, si spiritualibus iis objectis, tametsi non ultra certum aliquem terminum pulchris oblectandi vis inest; majorem sinè ulla comparatione hanc futuram in divina, quæ omnem modum excedit, pulchritudine, quandocunque illam æquè perspexerit. Præterea fas cuique est, sic secum differere: quodvis seu spirituale, seu visibile objectum quantacunque formositate commendetur, nequit ullo pacto eum oblectare, cui prorsus ignotum, aut valde oblectare, cui parùm, obscuréque cognitum est; sed tantò semper plùs, minúsve delectationis affert, quantò clariùs, vel obscuriùs cognoscitur. Si ergo objectum existat, & quibuslibet

ali-

aliis sinè ulla comparatione formosius, & clarissima in luce propositum, dubitari certè non potest, quin sese intuenti summam delectationem sit allaturum. Atqui talis DEUS est: nam illius infinita formositas, & cæteris omnibus sinè ulla proportione antecellit, & à beatis cæli civibus in perfecto lumine gloriæ spectatur. Quapropter nulli esse dubium potest, quin summa jucunditate illos impleat: & quin ego quoque licèt in præsens, quia obscurissimè illum intueor, minimum jucunditatis ex eo hauriam; si tamen ad æquè perspicuam illius visionem admittar, parem jucunditatis fructum ex eo sim percepturus. Quidnam igitur refert, qualem in præsenti meo statu, qui tenebrarum, insciticque, & cæcitatis status est, illum experiar? Ineptè nimis facerem, si ex hoc meo potiùs, quàm ex sinceriori aliorum sensu, cujusmodi re ipsa ille sit, judicandum putarem: ceu ineptum se prodidit, qui pictorem Nicostratum cernens, attonitis oculis in quadam Zeuxidis tabula hærentem percontatus ex eo est, quidnam ibi intueretur tam mirum: dignus idcirco responsi, seu veriùs objurgationis locò audire: *Non id rogares, si meos oculos haberes:* (*Ælian.* L. 14.) cùm omissâ illius interrogandi curâ debuisset po-

potiùs ſibimet dicere, Nicoſtratus tabulam hanc ideo miratur, quia ùt pictor ſingularem illius elegantiam probè dignoſcit. Quam ipſe etiam, ſi pingendi, déque picturis judicandi æquè intelligens forem, nihilo, ac ille, minùs mirarer. Hoc aut ſimili modo, qui ſecum ratiocinari aſſueſcit, ſeu cuilibet rationis compoti pronum factu eſt; haud magno negotio à præpoſteris quibuſque de præſenti re imaginationibus mentem purgabit: neque ſummam DEI pulchritudinem ex tenui illo ſenſu æſtimabit, quo ab illa ſe affici nunc experitur, quando eam neque cominus intuetur, nec nisì per alienas, & impropriiſſimas ſpecies cognoſcit: perinde quaſi ſuo ſe in lumine aſpicientes nihilo plùs oblectatura ſit, quàm denſa in caligine, rudibúſque in ſimulacris noſcitantes oblectet. Sed pro certiſſimo ſtatuet, quòd ea parùm in præſens jucunda ſibi accidat, non aliunde, quàm ex ſua inhabilitate, imperfecta nimirum cognitione illius fieri: ſíque ad eam non jam ampliùs *per ſpeculum, & in ænigmate*, ſed Cælitùm inſtar *facie ad faciem* contemplandam admitteretur; nihilo ſe minus, atque ipſos ex jucundiſſima illa ſpecie dulcedinis, perfectæque beatitatis hauſturum.

6. Altera itèm propoſitio, qua ſtatuitur, noſtram rationalem naturam, præter voluptates corporeas, aliarum quoque eſſe prorſus ſpiritualium capacem, multóque his, quàm illis jucundiùs expleri, demonſtratu facillima eſt: nam quæ, rogo, in familia, vel republica aliqua contigiſſet unquam bonorum diſtributio minùs æquitati conveniens; quàm ſi ſupremus univerſitatis Rector, & humanarum ſortium arbiter, appetitum ſenſibilem, partem noſtri infimam, & ſervituti deſtinatam, communémque nobis cum pecudum vulgo, ampliori delectationum copia, & fruendi capacitate inſtruxiſſet; quàm appetitum rationalem, qui ipſius imago eſt, ínque noſtro hoc microcoſmo partes Domini agit? Hujuſmodi certè inæqualitas abſurdior longè illâ foret, quam miratus eſt Salomon, cùm viderat (*Eccl.* 10.) *Servos in equis, & Principes ambulantes ſuper terram, quaſi ſervos.* Neque ſi majorem Deus curam ſatisfaciendi appetitionibus corporis, quàm animi præſetuliſſet, exigeret à nobis, ut nulla cupiditatum illius ratione habita huic duntaxat gratificari, & morem gerere ſtuderemus. Sed procul ſunto à ſani cujuſque hominis mente vaniſſima iſthæc deliria, clamat Doctor Angelicus. (1, 2. *qu.* 31. *a.* 5.)

4. 5.) Cùm enim omnis delectatio ex notitia poſſeſſi alicujus boni oriatur, tantóque propterea vehementior ſemper ſit, quantò bonum vel majoris pretii eſt, vel cognoſcitur pleniùs, vel perfectiùs poſſidetur; ex unoquoque trium hujuſmodi capitum manifeſtè apparet, quæ animo percipiuntur voluptates, plus habere, quàm quæ ſenſibus blandiuntur, dulcedinis. Apparet ex primo, nempe ex boni magnitudine: cùm neminem lateat, quantô pretii intervallô ſenſibilibus bonis ſpiritualia antecellant. Apparet ex altero, nempe ex cognitionis præſtantia: cùm majorem intellectui, quàm ſenſibus ſua objecta percipiendi vim ineſſe compertiſſimum ſit. Apparet demum ex tertio, ex perfectiori nimirum poſſidendi ratione: cùm ſenſus in externa ſolùm boni ſui ſuperficie hæreant; mens verò totam bonorum, quibus fruitur, eſſentiam pervadat, eáque magìs præſentia habeat, & penitiùs poſſideat.

7. Hæc autem demonſtratio, ſatìs cæteroqui per ſe ipſam evidens, plus adhuc firmamenti, & perſpicuitatis accipit ex communi hominum ſenſu: quos incorporeis quibuſdam bonis, eximia nimirum ſui nominis celebritate, vel peregrinæ alicujus, nec ulli pri-

dem notæ veritatis ſcientia, multò capi, affi-
cíque jucundiùs, quàm quibuslibet ſenſuum
delinimentis videmus. Ecquam enim inter
corporis voluptates eſſe credimus, cui Anni-
bal renuntiaturus libentiſſimè fuerit, duñ-
do per illius abdicatationem Româ ſibi conti-
giſſet potiri: aut qua pluris non faceret ſua
Archimedes geometrica inventa, ſuam Co-
lumbus, ex novo orbe patefacto naviganti-
busgloriam, ſuas Scipio, Themiſtocles, Ale-
xander Macedo, & Julius Cæſar militares a-
doreas? Certè de Aſtylo, Diopompo, Icco
Tarentino, pluribúſque aliis Athletis memo-
rat Plato, eos, quò plus virium, atque ha-
bitudinis retinerent ad Olympicas palmas;
(L. 8. *de Leg.*) *Nullam unquam toto exercitati-
onis ſuæ tempore Venerem cognoviſſe.* Qui pro-
fectò neutiquam ſibi ſeveram adeò temperan-
tiæ indixiſſent legem, nisi dulciorem quavis
etiam maximè illecebroſa corporis delectati-
one experti eſſent gloriam eminendi in totius
Græciæ theatro ſuper omnes ſuos æmulos ar-
tis, viriúmque præſtantiâ.

8. Quod ſi, ùt conſtat ex dictis, voluptā-
tes animi propriæ, quamvis merè naturales,
neque ex altiori bono, quàm ex illuſtri apud
homines fama, vel rerum creatarum intelli-
gen-

gentia profluentes, plùs corporeis quibusque voluptatibus sapiunt; argumentum hinc quilibet capiat, quantò illa sit sapidior dicenda, quæ summa inter voluptates animi est, nempe quàm beatæ cæli mentes ex DEO cominus viso hauriunt. Nam & bonum, quo fruuntur, sensibilia, & spiritualia quævis bona incomparabili exuperatione transcendit; & per infusum sibi divinitus gloriæ lumen meliùs id agnoscunt, quàm sensus, aut mens naturali sua virtute bona, quibus fruuntur, pernoscant; & illius demum possessio in supernaturali visione, & amore consistit: qui actus perfectissimè animam cum divino suo bono conjungunt, imò & totam in ipsum transformant; adeò ut de illa, cum DEO sic permista, & ad unitatem quamdam potiùs, quàm conjunctionem evecta, affirmari meritò possit: *Qui adhæret Domino, unus spiritus est.* (*1. ad Cor. 6.*)

9. Sed quid ego posthumam illam duntaxat summi boni possessionem commemoro, in qua certissimum est perfectam hominis beatitatem consistere: de qua proinde dubitari minimè potest, quin omne aliud voluptatis possibilis genus quàm longissimè excedat? Imò tam immensum DEUS est bonitatis, &

dulcedinis pelagus, ut non solùm plena illius in cælo satietas, sed vel exigua in terris gustatio satìs, supérque sit ad fastidiendum, próque insulso aspernandum, quidquid ex creatis omnibus bonis eliquari, exprimíque dulcedinis potest. Et, si id mihi non creditur, credatur saltèm B. Angelæ de Fulgineo, quæ profitetur, cum nullis terrenis delectationibus commutatum à se iri voluptatem ineffabilis cujusdam illustrationis circa DEI essentiam, licèt non diutiùs, quàm oculi nictus perduret, ab eo sibi impertitæ. (*In vita vis.* 8.) Credatur Joanni Baptistæ Sancio, præstanti in nostra Societate DEI famulo, qui contestatus Moderatori suo est, si, quidquid gaudiorum terrestrium ab humano genere universo divisim percipitur, in unum quasi cumulum colligeretur, æterníque temporis spatio duraret; nihil se dubitaturum illi anteferre, quod vel unico horæ quadrante ex suis ipse rerum divinarum contemplationibus gaudium ducebat. (*In vita P. Balt. Alvar. c. 17.*) Credatur D. Teresiæ, quæ in vita sua à se conscripta de dulcedine verba faciens, qua DEUS lectiores quosdam suos servos perfundere interdum consuevit: *Dulcedo est*, inquit, *delectationibus universis, quæ gustari in terris, vel in-*

intelligi possunt, adeò superior, ut earum meritò fastidium pariat. Nausea est illas, si forent æternæ, cum his comparare, quas DEUS *animo infundit: tametsi hæ quoque non nisi gutta amplissimi illius fluminis sunt, quo in cælesti felicitate satiaturus nos est.* Et alibi: *(Vitæ c. 27.) Habeant sibi sanè addicti mundo homines suas opes, sua domicilia, suos honores, suas delicias. Quamvis enim bonorum hujuscemodi gustus nullis temperaretur, ceu necessariò temperatur, molestiis; nunquam tamen, vel mille annorum spatio ex iis gaudium percipient par uni momento illius gaudii, quo anima à* DEO *huc evecta perfruitur. Si* D. *Paulus negat, condignas esse quascunque passiones hujus temporis ad futuram gloriam, quæ revelabitur in nobis; condignas ego esse, & satis per se idoneas negaverim, ad promerendam vel horulam illius delectationis, quam* DEUS *hic elargitur.*

10. Adde huc majoris evidentiæ gratiâ, quòd, cùm inter voluptates corporeas, quæ vehementissimæ sunt, eædem mentis lumen maximè obscurent, rectæque rationi apprime adversentur, si nulla iis par existeret spiritualis voluptas, sequeretur hinc, à nemine jucundiorem vitam actum iri, quàm ab eo, qui brutarum instar pecudum vivat: ac proinde impotem perfectæ beatitudinis acquirendæ

hominem fore, ceu impos tunc esset honestatis, & virtutis cum summa voluptate in animo suo copulandæ. Imò hinc præterea sequeretur, nequaquam DEUM posse sibi rite obsequentibus gaudii, & jucunditatis fructum tribuere illi parem, quem ipsius perduelles ex improbitate sua capiunt. Juvat id circa unum quempiam ex hisce voluptatum sensibilium mancipiis sic alloqui. Nullam te, inquis, experiri, aut fingere animo delectationem posse cum ea comparandam, quæ in explendis sensuum cupiditatibus percipi solet. Cedo jam, unde isthæc sensibilium cupidinum pabula tantam delectandi vim habeant? Non aliunde profectò responderi potest, quàm ex DEO, naturæ totius unico opifice. At quid, rogo, causæ erat, cur DEUS omnium jucundissimas, maximéque expetendas actiones eas faceret, quarum usu promiscuo propter innatam illius turpitudinem severè nobis adeò interdixit? Aut quomodo, si hanc illis suos perduelles oblectandi vim tribuit, pari saltèm virtute ad suos ipse amicos beandos non polleat? Profectò credi non potest, illum præcipuam felicitatis partem iis assignatam voluisse, quos nequitiæ suæ merito oderat, neque intelligi, quonam pacto plus dulcedinis

nis extra se profuderit, quàm intrà semet ipsum contineat. Quantò igitur corporeæ voluptates te jucundiùs oblectant, tantò indè luculentiùs potes spiritualium exuperantiam arguere: in hunc modum differens tecum; si DEUS homines impios, & pravarum libidinum studio sua jussa detrectantes, tam sapidis frui voluptatibus sinit; quantò sapidiores dicendus est iis reservare, qui, ut divinam ipsius legem sartam tectam tueantur, assiduum exercent cum corpore, & corporeis libidinibus bellum? *Cùm hìc tam præclara justis pariter, & injustis tribuat, qualia sunt putanda, quæ justis reservat? Quàm magna rependet bonis, qui tam multa largitur ingratis? Quid dabit eis, quos prædestinavit ad vitam, qui hæc dedit etiam eis, quos prædestinavit ad mortem?* (*Euch. Ep. ad Valer. & Aug. L. 2. de Civ. c. 24.*) Ullúmne patremfamilias reperire est, qui geniale convivium cum amicis, & liberis celebrans optima eduliorum inhianti juxta mensam molosso projiciat, solo sibi, & secum discumbentibus cibario pane sepositò? Quin potiùs sese, & convivas paratis ferculis explens, nîl præter ossa, & inutiles ciborum reliquias esurienti belluæ impertitur: quæ, si ratiocinandi compos esset, canina illiusmodi pabula avidè circum-

cumrodens, ac devorans ex voluptate, quam ibi experitur, tale posset argumentum elicere: cùm tam sapida hæc sint, quæ ab hero mihi projiciuntur, mensæ analecta; quantò lautiores esse oportet cupedias, quibus ipsemet cum suis familiaribus vescitur? Argumentum profectò, cui simile à quovis deditorum corpori hominum, modò plus cane mentis habeat, facillimè potest de suis, déque beatorum Cælitûm voluptatibus confici. Quanquam ergo, cùm immensam earum dulcedinem expertus nunquam fuerit, ægre animo concipit, quales demum sint, quóve pacto omnia sensuum oblectamenta prætergredi valeant; debet tamen rationis evidentiâ experientiæ defectũ supplere: neque dicere, ego nihil novi suavius, quàm indulgere appetitionibus corporis. Hac igitur suavitate satìs mihi est frui: cæteras verò spirituales, ac divinas, quas neque gustavi unquam, nec cujusmodi sint, satìs percipio, puris cæli mentibus libens relinquo: sed hac potiùs saniori ratione secum debet differere: Quamvìs delectationes Cælitûm propriæ sensus meos penitùs lateant, nihilominus tamen, cùm ratio evidenter demonstret. eas his mihi notis, & familiaribus, longissimô intervallô antecellere; æquum sanè

nè est, ut tales esse procul dubio existimem, totóque animi studio ad earum assecutionem ferar, & præ illis, quascunque etiam sumas, terreni mei statûs pro nihilo habeam. Non aliter, quàm ruricola aliquis, licèt nullum unquam sapidiorem cepis cibum gustâsset; non tamen has propterea censeret quibusvis etiam regalibus epulis saporis prærogativâ antestare: neque, si ad illas fortè invitaretur, se convivam negaret, respondens, tugurioli sui cepas sibi abunde sufficere, nec videre, quid melioris obsonii apud principalem mensam sit reperturus: sed, nisì obtusiore judicio, quàm palato esset, persuasum quàm firmissimè haberet, ùt ùt inexplorata sibi sit dapum regiarum suavitas; tantò illas tamen familiari suo victu delectabiliores esse, quantùm augusta iis vescentium conditio rusticani sui statûs ignobilitatem transcendit.

11. Sequitur porrò, ut, cùm crassioris, ac terrenæ mentis homines ad ineffabile divinæ visionis gaudium aliquatenùs cogitatione apprehendendum præparaverimus, eos jam fontes indigitemus, unde illud in Cælitûm animos profluit: iisque sunt infinita DEI pulchritudo, & beatitas: objecta ambo ad plenè beandos, qui se cominus intuentur, aptissima.

ma. Nam primò, quàm proprium pulchritudinis sit spectatores suos delectare, extráque se quodammodo rapere, & in sui contemplatione jucundissimè defixos tenere; nemo esse testis locupletior ipsismet profanis hominibus potest: qui, si obviam fortè habeant venustiorem communi modo faciem, mira quadam dulcedine compleri sibi animũ sentiunt, neque ullum finem faciunt in illius obtutu hærendi, cæterarum interim rerum, & sui prorsus immemores. Si ergo venustas corruptioni obnoxia in mera corporis superficie apparens, intráque certum aliquem perfectionis suæ gradum, ac modum finita, tantam nihilominus oblectandi se intuentes vim habet; colligatur hinc cum Platone (*In Conv.*) quantò rapaciores illecebras habere censenda sit, quantóque plus dulcedinis in suos spectatores diffundere æterna, immutabilis, in ipsamet substantia consistens, omnibus suis numeris absoluta, nullísque includi, ac determinari limitibus se patiens DEI pulchritudo, flos nempe integerrimus, unicúmque, & infinitè perfectum exemplar totius pulchri possibilis? *Quis satiabitur, videns gloriam ejus?* (*Eccl. c. 42.*) Quale pleniſſimum, semperque recens, & satietatis expers gaudium ex

tam

tam incomparabili objecto animus hauriet? Quàm jucundo ſtupore illud primò intuens abſorbebitur? Quanta cum aviditate ſatur, & ſimul eſuriens per totam æternitatem intueri illud perget? In ſumma: *videbit, & affluet, mirabitur, & dilatabitur cor ejus?* Deſunt ſanè verba ori, ad dignè exprimendam rei magnitudinem: & deſunt menti vires, ad eandem plenè aſſequendam. *Id igitur quiſquis videt*, (audiamus, quid de illa Ethnicus ſapiens ſentiat, ac ſcribat) *quanto flagrat deſiderio in unum congrediendi? Quàm mirabilem voluptatem cum ſtupore permiſcet? Profectò ſic naturâ comparatum eſt, ut, qui nondum videt, ipſum appetat tanquam bonum: qui verò jam videt, oblectetur, ut pulchro, & admiratione, ac voluptate impleatur.* (*Plot. En. 1. L. 6. c. 2.*) O viſio ſanè beatiſſima! viſio, quovis digna ſumptu emi! viſio, ad tartari ergaſtulũ in cæleſtem regiam transformandum ſufficiens! viſio, qua majus præmium DEUS nequit ſuis ſervis perſolvere! viſio, quæ ultimus finis, & tota noſtræ rationalis naturæ beatitudo eſt. Viſio demum, quæ ſui participes ſupra hominum conditionem, naturámque evehit! Quemadmodum ex iis Apoſtoli verbis de DEO, (*1. ad Tim. c. 6.*) *Quem nemo hominum vidit, ſed nec videre poteſt,*

D. Au-

D. Auguſtinus colligit, ſcribens: *Videri Trinitas humano viſu nullo modo poteſt, ſed eo viſu videtur, quo qui vident, non jam homines, ſed ultra homines ſunt.* (*De Trin. L. 1.*)

12. Sed quoniam de hoc argumento fusè alibi ſcriptum à me eſt, eò Lectores ablego, novámque demonſtrare voluptatem aggredior, quæ ad inebriandos Cælitûm animos, & ſuavi demergendos naufragio, ex altero memoratorum ſuprà fontium, perfectiſſima ſcilicet DEI beatitudine exundat: voluptatem profectò nec minùs jucundam priori, quæ ex divinæ pulchritudinis viſione derivatur; nec difficilem captu, tanquam cæteris omnibus infinitô penè intervallô majorem. Contemplans quippe anima non jam in obſcuris, ceu nunc, ænigmatibus, ſed in vera ſua ſpecie ſupremum univerſitatis totius Conditorem clariſſiméque perſpiciens, quàm ultra omnem modum pulcher, ac beatus ſit; quinam, rogo, poterit vel non amare eum ſuper omnia ob infinitam ſuam pulchritudinem, vel tanto amore illius flagrans, non ſimul par gaudium de infinita ejuſdem beatitate concipere? Haud equidem poterit. Nam neque ſumma pulchritudo coràm poteſt, ac germana in ſua ſpecie videri, quin ardentiſſimum in videnteamo-

morem sui pariat; & proprium amoris veri est, comunia amanti facere illius bona, quem amat; adeò ut nihilo de iis minùs, quàm si à se possiderentur, gaudeat. Quapropter, cùm anima DEUM cominus intuens dulci quadam, sed efficacissima necessitate urgeatur, ad eum plùs quibuslibet aliis objectis, imò & plùs ipsa se amandum: necesse procul dubio est, ut ità illum amans, suam quodammodo faciat infinitam illam bonorum omnium pulchritudinem, qua eundem frui videt: nec proinde aliter de tanta illius beatitudine exultet, quàm si eam ipsamet revera obtineret, ac beata indidem foret. Si ergo ità comparatum naturâ est, ut cujusvis boni possessio delectet, tantóque delectet magìs, quantò majus est bonum; justus quilibet rerum pensitator hinc colligat, quantum delectationis percepturus sit, qui amoris flagrantissimi vi suam rem, ac possessionem effecit totum illum perfectionũ, divitiarúmque, & bonorum omnium cumulum, quo usque perfruitur, ac beatus est DEUS. Infinitam penè dixerim, &, si ità loqui fas esset, plùs quàm infinitam illius delectationem futuram. Cùm enim omne gaudium ex amore originem ducat, suæque propterea huic causæ respondere secundùm magni-

gnitudinem debeat, adeò ut plùs ſemper gaudeat de illius bono, qui impenſiùs amatur; quonam pacto non infinitum quodammodo, & plùs penè quàm infinitum videri poſſit animæ gaudium, quæ plùs ſe ipſa DEUM amans plùs gaudebit quodammodo, ſuam à DEO poſſideri infinitam beatitudinem, quàm gauderet, ſi eandem ipſamet poſſideret. Finge animo, tibi uni poſſidendum, ac fruendum concedi, quidquid divitiarum, voluptatum, honorum, ſapientiæ, potentiæ, & cujuslibet alterius boni, univerſis tam hominibus, quàm Angelis diviſim poſſidere contigerit. Mox, ubi animadverteris, quàm impensè de tua illa ſingulari adeò felicitate tunc exultares, pro certiſſimo ſtatue, plus ſinè ulla comparatione voluptatis, & gaudii percepturum te in cælo ex propria, nativáque DEI beatitudine. Idque ob duplicem cauſam: Alteram ſcilicet, quia omnis illa tot bonorum congeries, qua tunc fruereris, vix nihilo videri major poteſt, ſi cum iis comparetur tantò excellentioribus bonis, quibus infinita DEI beatitudo conſtat, quæque pro gaudendi materia tu habebis. Alteram verò, quia veluti multò plùs in cælo amaturus DEUM es, quàm te ipſum; ità etiam multò ampliùs de ipſius bonis, quàm de

iis,

iis, quæ à te possidebuntur, lætaberis. *Quoniam, quantùm quisque diligit aliquem, tantùm de bono ejus gaudet; sicut in illa perfecta felicitate unusquisque plùs amabit sinè comparatione* DEUM, *quàm se, & omnes alios secum; ità plùs gaudebit absque æstimatione de felicitate* DEI, *quàm de sua, & omnium aliorum secum. Sed, si* DEUM *ità diligent toto corde, tota mente, tota anima, ut totum cor, tota mens, tota anima non sufficiat dignitati dilectionis; profectò sic gaudebunt toto corde, tota mente, tota anima, ut totum cor, tota mens, tota anima non sufficiat plenitudini gaudii.* Ità ratiocinatur D. Anselmus, (*Prosol. c.* 25.) concludens, immensam adeò fore hominis jucunditatem, qui ad DEI visionem admissus taliter eum amet, déque illo gaudeat, ut non totam solummodo completura suo nectare illius animam sit, sed veluti longè ipsâ amplior, nec potens finitum intrà sinum concludi, totam pariter undecunque ambitura: quemadmodum mare totam intus replet, & totam undequaque alluit spongiam in sui medio natantem. Quod etiam olim corporatum DEI verbum expresserat, tum apud D. Lucam, ubi de beatitudine loquens, justis in cælo animabus parata, ejus mensuram non *confertam, & coagitatam* solummodo, verùm etiam *superef-*

fluentem (*c. 6.*) vocavit; tum apud D. Matthæum, ubi unumquemque juſtorum invitat, non utique ad cæleſtis ſuæ gloriæ dulcedinem intrà ſe recipiendam, ſed ad ſeſe veriùs intrà illam demergendum, quaſi in pelagus ſua capacitate amplius. *Euge*, inquiens, *ſerve bone, & fidelis, intra in gaudium domini tui*: (*c. 25.*) ultimis hiſce verbis rationem quoque indicans, cur anima intratura potiùs in gaudium, quàm exhauſtura illud ſit. Quia nempe, cùm id gaudium nequaquam Angelorum, vel hominum, ſed *Domini gaudium* vocetur, illámque beatitudinem ſignificare videatur, quam ex ſui cognitione, & amore DEUS trahit; fas quidem DEO eſt totam ſui hujuſce gaudii immenſitatem capere: at nobis finitum eſſe ſortitis haud licet, nisi in eam nos immergere ſuaviſſimo ibi naufragio uſquequaque obruendos. *O gaudium ſuper gaudium, vincens omne gaudium, extra quod non eſt gaudium, quando intrabo in te?* ſuſpirans ille DEI amator dicebat. (*Solil. c. 31. inter opera D. Auguſt. Tom. 9.*)

13. Quas veritates quiſquis probè introſpexerit, neutiquam ſanè poterit, non longiſſimè ſuper omnia præſentis vitæ bona æſtimare tam divini, immenſique magnitudinem boni: aut

aut ità illam æſtimans, non experiri ſolitos indè conſequi effectus, ac nominatim hos quatuor, quos jam ego ſubjiciam, ad quos ceu potiſſimum prædictæ æſtimationis fructum, connitendum cuique eſt, ut nè vulgarem intrà modum, ſed cum excellentia, & quàm maxima cum perfectione in ſe ipſo producat. Primus eſt animi præparatio, & facilitas ad quoſcunque ſumptus pro cæleſtis regni beatitudine, & gloria libentiſſimè faciendos: adeò ut præ tam incomparabilis theſauri deſiderio *vendat univerſa, quæ habet, & emat illum*: contemplaturus deinceps, quoad perduret æternitas cum incredibili, ſempérque recenti voluptate, totum in propria ſua ſpecie oculis patens, ſupremum DEI eſſe, incomprehenſibilium miraculorum theatrum, inimitabilem pulchrarum rerum omnium, quæ vel extiterint, vel exiſtere poſſint, ideam, ipsámque adeò nullis ſeu contractam ſpecialibus differentiis, ſeu certis terminatam limitibus, puriſſimam, univerſalem, & omnimodam pulchritudinem: cujus tam miræ contemplationis vi totus in DEUM transformabitur, infinitorum omnium, quæ ab ipſo poſſidentur, bonorum particeps fiet, imò ipſummet, pleniſſimam totius boni poſſibilis ſummam, pro

hæreditate, ac possessione sua habebit, eadémque, qua beatus ille est, perfectissima beatitudine æternùm fruetur: secundùm ea Christi Domini ad fideles quosvis suos famulos verba: (*Luc. 22.*) *Ego dispono vobis, sicut disposuit mihi Pater meus, regnum, ut edatis, & bibatis super mensam meam in regno meo.* O sortem, qua nihil fingi præclarius, próque cujus acquisitione nulla impensa non vilis, nullus censeri possit labor non levis! *Si dederit homo omnem substantiam domûs suæ pro ea, quasi nihil despiciat eam.* Minimum sanè, minimum foret, comparandæ illius gratiâ, quidquid possidetur facultatum, & censuum offerre: minimum humanæ omni gloriæ, existimationi, ac dignitati nuntium remittere: Minimum quibuslibet voluptatum illecebris, & sensuum blandimentis genium fraudare. *Non sunt condignæ passiones hujus temporis ad futuram gloriam, quæ revelabitur in nobis.* (*Ad Rom. 8.*) Etsi opus foret centenûm annorum spatio ærumnosiorem vitam ducere, quàm in suo Jobus fimeto, vel in sua Simeon Stilites columna, vel suorum inter corporum cruciamenta universi Martyres duxerint; quidnam, rogo, temporariæ hujusmodi perpessiones sunt ad sempiterna illa gaudia? Quídve habere proportionis unum

tri-

triſte ſæculum cum innumerabilibus feliciſſimis ſæculis poteſt? ſtatuamus ex adverſo hinc mala, quæ timere à rebus creatis poſſumus; bona indè, quæ immenſa, & omnipotens ſupremi rerum omnium Domini liberalitas nobis promittit: hinc annos quotcunque mortalis vitæ noſtræ curſus recipit; ſæcula illinc, quæcunque intrà immenſum ſuum orbem æternitas continet; aliúdne juxta D. Paulum fecerimus, quàm ut *momentaneum, & leve tribulationis æterno gloriæ ponderi* opponamus? Neſcit profectò, quàm immenſi pretii bonum ſit DEUS; cui videtur, poſſe ille nimium à nobis exigere, tametſi millies amplius pro æterna in cælo ſui poſſeſſione exigeret, quàm re ipſa nunc exigat. Quæ rite ex Laurentio, ex Clemente Ancyrano, éque alio illorum quolibet, qui plura in terris, & graviora pro Deo pertulêre, num ſatìs remunerati ab eo ſint, nimium ſe expendiſſe pro illius viſione arbitrantur, num qua impenſi pro emendo illo pretii pœnitentia tangantur. Quarum hìc expenſarum, reſpondebunt, cujus pretii ſit mentio? ſi loquendum pro rei merito eſt, donavit ſe nobis, haud venumdedit DEUS. Quidquid fecimus, vel paſſi ſumus, ut eum nobis liceret in cæleſti gloria videre; minùs longè

est, quàm si quadrantem pro ampliſſimi regni poſſeſſione expendiſſemus. *Ecce, quantum pretium dedimus: quodammodo unam ſiliquam ad accipiendos theſauros ſempiternos, ſiliquam laboris ad requiem incredibilem.* (*Aug. in Pſ. 93.*) O si deguſtare vobis vel ad temporis punctum liceret, quàm ineffabilis gaudii res ſit, Deum in ſe ipſo contemplari, illiúſque contemplatione, & amore mentem explere, ut non leve duntaxat, ſed nihilo ſimile exiſtimaretis, quidquid aſperi, & duri tolerandum in terris pro illo est? *Tanta eſt pulchritudo, & jucunditas lucis æternæ, ut, etiamſi non liceret ampliùs in ea manere, quàm unius diei morâ; propter hoc ſolum innumerabiles anni hujus vitæ, pleni deliciis, & circumfluentia temporalium bonorum meritò contemnerentur. Neque enim falsò, aut pravo affectu dictum eſt: Melior eſt dies una in atriis tuis ſuper millia.* (*Aug. L. 3. de Lib. Arb. c. 25.*) At, si id nunquam guſtâſtis, æquum est saltèm, ut nobis jam dudum guſtantibus fidem præſtetis: donec & vobis quandoque proprio guſtu experiri idem liceat. Quod ubi DEO aſpirante evenerit; quemadmodum in ſupremo illo ente perfectiones aſpicietis, infinitò admirabiliores, & delectabiles magis, quàm noſtro ex relatu valeatis concipere; ſic multò illi juſti-

ſtiùs dicetis, quod Auſtri Regina Salomoni olim dixit: (*L. 3. Reg. c. 10.*) *Verus eſt ſermo, quem audivi in terra mea ſuper ſermonibus tuis, & ſuper ſapientia tua: & non credebam narrantibus mihi, donec ipſa veni, & vidi oculis meis, & probavi, quòd media pars mihi nuntiata non fuerit. Major eſt ſapientia tua, & opera tua, quàm rumor, quem audivi.* Talis, inquam, erit illorum, ſi de cæleſti ſua ſorte interrogentur, reſponſio. Et profectò D. Teresia, cùm DEUS aliquando extraordinario in lumine ipſi oſtendiſſet, quantum jucunditatis ex claro ſui aſpectu beatæ cæli mentes percipiant; adeò nihil pretii earum exiſtimavit, pro illa, non dicam comparanda, ſed vel tantillùm augenda; at, ſi optio ſibi daretur, ſeu perferendi uſque ad extremum judicii diem, quidquid ærumnarum tolerare vita hominis poteſt, dummodo unicum indè acquireret ulteriorem beatitudinis gradum; ſive hanc citra ullas perpeſſiones, verùm aliquantulò minorem conſequendi, nihil dubitaturam ſe affirmet, prædictum omnem malorum cumulum pro quantulocunque incomparabilis illius boni incremento ſubire, &, quoad mundi ætas tenderetur, perferre. (*Rel. Vit. c. 33.*)

14. Neque ſeu minoris momenti, ſeu ex rite intellecta divinæ viſionis jucunditate minùs facilis ſequi eſt alter effectus, generoſa nempe omnium, quæ vulgus in terris miratur, contemptio, veluti recularum nihil habere pretii merentium in æſtimatione hominis, qui ſummum illud bonum altè impreſſum animo gerat, illiúſque poſſidendi, atque æternùm fruendi gratiâ, creatum ſe noverit. Qua enim ratione hic perturbari, commoveríque vel minimùm poſſit, quòd in imo hoc rerum pereuntium theatro improbos ad honorum, potentiæque faſtigia evehi; juſtos contrà indignè vexari, ac pedibus proteri videat: perinde quaſi hujuſcemodi ſublevationes, dejectionéſque, eventus breviſſimi temporis pluris eſſent, quàm ludicra fictæ alicujus tragœdiæ ſpectacula? Aut quomodo exaggeratum, ſplendidiſſimúmque aliquid repræſentare ipſius oculis queant, terrenæ illa ſortis decora, quibus inſtructi, ſe circumſpicere, & venerationi eſſe intuentibus ſolent: ceu ſuperba palatia, veſtium, & deductionum pompæ, honorum inſignia, populares plauſus, deliciarum, & luxuriæ inſtrumenta? O palatia, ipſe inquiet, pro formicarum caveis, & ruſticanis tuguriis habenda, ſi cum cæleſti para-

rata mihi regia in comparationem vocentur. O pompas, & fortunæ apparatus, nihilo vanis ſcenarum repræſentationibus æſtimabiles magis. O plauſus, & titulos, nihil præter inanem ſonitum continentes, & thuris ſuffumigationibus, leviſſimo quovis flatu disjiciendis perſimiles. O delicias, & voluptates, ægrotantium veriùs pharmaca, quàm ſincera bene valentium oblectamenta. Miretur hæc bona, qui nihil novit meliùs. Acquieſcat in hujuſmodi felicitate, qui nullam expectat majorem. Ego, cui DEUS pro honoribus, pro deliciis, pro regno, próque alio quovis vitæ fructu promittit ſe ipſum: nimiùm quantùm à meæ conditionis excellentia deſciſcerem, ſi bona incomparabiliter minora, non dicam admiratione, & invidia, ſed vel ſimplici obtutu dignarer. Quid mihi Craſſos, Auguſtos, Scipiones, Ariſtoteles, & alia id genus crepatis nomina, opum affluentiâ, imperii amplitudine, armorúmque, & literarum gloriâ inprimis per orbem conſpicua? Ego, qualiſcunque in præſens ſim, adeò terrenis facultatibus vacuus, adeò humilis genere, adeò tardus, atque hebes ingenio, adeò nullâ potentiæ, doctrinæque prærogativâ inſignis, prout me eſſe intuemini, exigui poſt temporis

ſpatium, multò illis omnibus celſior evadam; quàm me illi nunc antecellant. Tantò præſtabilior ſorte illorum mea eſt, quantò DEUS, quo fruiturum me ſpero, terrenam omnem eorum felicitatem, atque gloriam excedit. Nemo me æſtimet de ſervi perſona, quam in variabili hoc fero præſentis ævi theatro, ſed de illa tantò ſplendidiore, quam in immutabili æternitatis ſtatu impoſiturus mihi eſt, dummodo ipſi fidelis permaneam, cæleſtis Regnator. Pomiferæ arbores, quamvis per hyemem nulla frondium viriditate, atque pompa ſpectabiles, ratione tamen fructuum, quibus ſuo tempore exuberant, majore ſunt in pretio; quàm myrtorum, laurorúmque ſterilis viror. Neque ullus eſt, qui magni Principis filium, non feliciorem etiam in puerili illius ætate arbitretur, ob jus ſuccedendi in ſortem paternam; quàm privatum quemvis patremfamilias ob præſens, ac liberum tenuioris ſuæ fortunæ dominium. Quid ergo, mi anime, ſplendidum potes in terris, & magnificum ducere? Magiſtratuum faſces? militares Ducum adoreas? Regum opes, majeſtatem, potentiam? Ah nihil in his eſt non exiguum, nihil non humile præ illa ſummi boni poſſeſſione, in quam genitus eſt, quæque

que brevi æternùm obtinenda te manet. *Sursum, ſurſum corda?* Alia excelſiora multò objecta verſari tibi ante oculos debent. Degeneras à nobilitate tui ſtatûs, ſi cogitare quidquam potes, nisì ſupernaturale, æternum, cæleſte, infinitum, divinum. *Quis de plebejo cenſu, & vernalis ceſpitis vilitate ſuſpirat, de regno certus, de dominatione ſecurus? ſatìs ſibi invidet, qui elevatus ad ſumma, ipſe ſe ad humilia dejicit, ad egena deponit. Quid cum terra illi, qui poſſidet cælum? Quid illi cum humanis, qui adeptus eſt jam divina?* (*Chryſol. ſerm.* 25.)

15. Jam verò, cùm conſtet, ſummam, de qua loquimur, beatitudinem cuivis, eam ſeriò appetenti, præparatam eſſe; neceſſe porrò eſt, in quovis recto illius æſtimatore, quaſi tertium, maximéque congruentem effectum, perpetuam, quoſcunque inter caſus animi hilaritatem exiſtere. Quidquid enim adverſi, moleſtique ingruat, ſat compertum ille habet, brevi deſiturum, &, quamvìs ad mille ſæcula permaneret, comparari neutiquam poſſe cum immenſo, æterníque temporis gaudio, quod ex clara DEI viſione in cælo percepturus eſt. Quapropter contemplans è medio urgentium ſe malorum, ceu Protomartyr olim Stephanus inter horridam ſaxorum grandinem *cælos aper-*

apertos, *& JEſum ſtantem à dextris* DEI, qui ad beatiſſimæ illius ſedis gaudia peramanter ſe invitat, ex infiniti, viciníque boni ſpe jucunditatem animo haurit, præ qua omnis infortuniorum præſentium amarities nihil videri aliud poſſit, quàm abſynthii gutta in nectaris pelago. Tantúmque ab adverſa ſorte querelis, & jurgiis inceſſenda abeſt, ut de illa ſibi potiùs, tanquam de fœcundo ulterioris beatitudinis ſemine gratuletur, cum Gentium Apoſtolo hilariter canens: (2. *ad Cor. 7.*) *Superabundo gaudio in omni tribulatione noſtra.* Agedum, volutent ſe, ùt libet, Sardanapali, atque Epicuri, paucis hiſce præſentis vitæ annis in immundo ſuarum libidinum cœno. Ego autem *introibo in gaudium Domini*, illo per ſolidam æternitatem ſatiandus puriſſimo, ſumméque delectabili bono. Glorietur Aſſuerus, & Nabuchodonoſor de tanta orbis parte ſuæ ditioni ſubjecta, déque tot populorum, ipſos quaſi terrena numina venerantium obſequiis. Mihi verò fas erit propediem *videre DEUM Deorum in Sion*, pérque hanc viſionem in ipſum transformari, & ejuſdem cæleſtis regni immortalis gloriæ, atque immenſæ beatitudinis participem fieri. At interim omnia videntur in caput meum conjurâſſe. Ab

ini-

inimicis oppugnor, à sodalibus deseror, cum adversis casibus, cum rerum inopia, cum morborum intemperiis, cum hominum insectationibus assiduè conflictandum misero est. Esto: *Quid tamen hoc ad Christianos? Quid hoc ad DEI servos, quos paradisus invitat, quos gratia omnis, & copia regni cælestis exspectat?* (*S. Cypr. ad Demetr.*) Totum id non nisi paucorum dierum negotium est, totum ludus quidam, & mali umbra existimari potest præ summa bonorum plenitudine, quæ illi festinat succedere. *Omnia* (secundùm verissimam Salomonis sententiam) (*Eccles. c. 2.*) *tempus habent. Tempus flendi, & tempus ridendi: tempus belli, & tempus pacis.* Vita præsens haud est possidendæ, sed comparandæ beatitudinis tempus. Hilari, erectóque animo simus. Non longè abest tempus, quo illâ frui æternùm licebit. In terris haud aliter, quàm peregrinorum instar, quàm veluti in diversorio agimus. *Regnum nostrum non est de hoc mundo.* In cælo situm, *paratúmque nobis à constitutione mundi est.* Ibi, post peractum brevis hujus viæ cursum, sempiternam illius possessionem inibimus. Quidnam igitur refert, si in medio ad felicem illam patriam itinere experiri cogimur (ceu fert peregrinantium conditio) aliquam rerum

rum penuriam, aliquid ſive à tempeſtatum inclementia, ſive à locorum aſperitate difficilis, moleſti, & incommodi? Vel unicum deguſtatæ illius beatitatis, quæ ibi nos manet, momentum ad obliterandum ſat erit ærumnarum omnium memoriam, quas toto mortalis vitæ tractu exhauſerimus. Minus, quàm pro rei merito dixi: non ſolùm breviſſima quævis illius boni deguſtatio ſufficiet, ad præterita quævis mala oblivioni tradenda, imò & ſola ejuſdem expectatio ſufficit, ad omnem extinguendum in animis noſtris præſentiũ quoque ſenſum malorum. Quando purpuratorum Patrum aliquis legitima ſacri Collegii ſuffragatione novus B. Petri ſucceſſor creatur; electi cubiculum ſpoliare certatim à famulis ſolet, & omni ſupellectile nudum relinqui. Num igitur ægro ille animo direptionem hujuſmodi fert? indignanter vociferans: Quidnam hoc procacitatis, licentiæque eſt? itáne hoſtium more in meam cellam impetum fieri, & quidquid ſive ad ornatum, ſive ad uſum ibi habebam, nè ſacro quidem pendentis è cruce DEI ſigno, & Canonicarum precum Breviario relicto per vim aſportari? Quin imò qualemcunque illarum rerum jacturam riſui habet: gnarus, quàm exigui ſit momen-

ti

ti præ imperio, quod delatum sibi est, cujusque jamjam possessionem inibit. *Est consuetudinis*, ùt observat Petrus Chrysologus, *est animi felicis, ut adscitus ad imperium, quod fuit privatum, mox civibus indigentibus liberaliter proroget.* (*Serm. 23.*) Cur ergo minorem ad nos inter quævis infortunia exhilarandos propinqua cælestis gloriæ expectatio vim habeat? cùm procul dubio noverimus, beatitudinem illic nobis fruendam multò plùs universis præstare, quibus hìc spoliari possumus bonis; quàm Pontificii imperii opulentia, & majestas, exiguam unius cubiculi supellectilem pretio antecellat? Cur minùs solatii, lætitiæque nobis afferat nostra tantò luculentior conditio? Nec potiùs ipsi quoque Christianis veteribus similes, *rapinam bonorum nostrorum cum gaudio suscipiamus, cognoscentes, nos habere meliorem, & manentem substantiam*? substantiam nimirum, non cujusmodi est terrenum quodvis imperium, fructûs perexigui, & caduci, sed immensam, nullóque defecturam tempore, qualis est DEI, boni infiniti, æternúmque possidendi fruitio? O substantiam omni pretio majorem! ô sortem, qua nulla fingi potest beatior! perpetuum convivam DEI esse: eodem jugiter vesci, & inebriari, un-

unde ipse est beatus, infinitæ dulcedinis nectare: tota illi mente, animáque conjungi: perfecti, mutuique amoris vi idem fieri cum illo. Et quæ, amabò, suavior cogitatio volvi animo potest, quàm si famulorum DEI quispiam in cælum oculos tollens, secum dicat, meum est immortale illud regnum, mea omnis illius gloria, & felicitas. Non alia de causa, nisi ut illa potirer, fruerérque, sum natus. Magis in potestate mea est, ad possessionem illius pervenire, quàm terrenum quodvis bonum in manu, arbitrióque sit illud jam possidentis. Dum nemini horum certò constet, immotam se, quamdiu velit, retenturum præsentis sui boni possessionem, nec ullam reperiri extimam vim, quæ invitum, ac nolentem deturbare ex ea possit: quemadmodum certissima mihi constat fide, supremum, æternùmque illud bonum brevi obtentum à me iri, si velim, nec ullam existere sive hominum, sive dæmonum vim, qua prohiberi ab eo queam. Ad summam, *reposita est hæc spes mea in sinu meo.* Regnum cæleste ad me pertinet, ac mea res dici potest. DEUS illuc me invitat: Angeli venturum præstolantur: nihil præter meum assensum desideratur, ut illud suo tempore ingrediar. Jam sedis tam beatæ vestibulum

lum teneo. Paucos post annos, & fortè solùm dies illius mihi fores pandentur, intrà illius penetralia recipiar, perpetuam illius possessionem inibo. Et poterit mœrori esse locus in corde, ubi tam suavis spes viget? Et poterit ulla casuum siniſtrorum amarities felle suo inficere hujusmodi cogitationum dulcedinem? minimè verò subjicit Salomon. (*Prov. c. 12.*) *Non contriſtabit juſtum, quidquid ei acciderit.* Nihil profectò, nihil perturbare hilaritatem hominis poterit; qui cùm justus, atque amicus DEI sit, firmásque adeò beatissimæ illius hæreditatis promissiones teneat, eam assiduè contempletur, expectet, suspiret, & spei alacritate quodammodo sibi reddat præsentem: adeò ut quamvis etiamnum terreni orbis sit incola; cælum ipsum jam incolere videatur: eorum gaudia, quantùm mortali fas est, sibi vendicet: &, quod ipsi possident; si minùs re ipsa tenere, saltèm plùs quàm sperare videatur: canens cum Regio Propheta, (*Pſ. 118.*) *In verbum tuum ſuperſperavi:* experiatúrque, quod Jurisperiti statuunt, *ſpem certam, & indubitatam adeundæ hæreditatis æquivalere poſſeſſioni.* O amabilissime DEUS! ô infinitæ dulcedinis pelagus! ô unica, & omnimoda animæ meæ beatitudo! Quid erit

præsentiâ tuâ frui; si vel solùm te sperare ad beandum hominem sufficit? *Si spes tam dulcis, quantò res dulcior erit?* (*Aug. in Ps. 27.*)

16. Postremus effectus, & unde omnes reliqui plus vigoris recipiunt, dulcis est, & assidua summi illius boni recordatio: adeò ut ceu nihil pluris eo facimus, sic de nulla re alia libentiùs cogitemus, & crebriùs. Ipsam certè veritatem divinam audimus, nobis dicentem: *Ubi thesaurus vester est, ibi & cor vestrum erit.* (*Luc. 12.*) Neque ullum reperire est inter homines, qui vel eximiam dignitatem sibi quamprimum demandandam expectans, vel brevi accepturus de sua quapiam non vulgari lite sententiam, vel aliud simile præ manibus habens magni momenti negotium difficile experiatur, ad objecta hujuscemodi mentem reflectere. Imò tam procul à vero est, ulli ipsi ad eam rem opus esse artificio, & conatu; ut, quando etiam cogitationes indè abducere, seu somni capiendi causâ, seu aliis vacaturus ministeriis, & occupationibes vellet, illuc tamen quasi ad Princeps suum centrum spontaneo, & inobservato recursu mens avolet: neque illum sinat, præsentem animo adesse iis rebus, quas tractat: sed furtim indè ablatum ad remota illa objecta secum transferat,

rat, ínque illis totum non ſuavi minùs, quàm efficaci violentia defigat. Eequod verò inſtare homini negotium poteſt, majoris ad ſuas rationes momenti, quódque ideo impenſiùs curæ illi eſſe debeat; quàm æterna, & perfecta ſuæ animæ beatitudo? negotium videlicet, cujus tanquam ultimi finis ſui causâ productus in lucem à DEO eſt: & ubi non de accidentibus, ſed de ſubſtantia, neque de nonnullis duntaxat ipſius rebus, ſed de toto ipſo agitur: ut proinde negotium negotiorum, & ſumma ſummarum jure optimo mereatur vocari? Quonam igitur pacto, ſi rite compertum id habet, ſuúmque finem pro merito æſtimat; poteſt erga illum minùs, quàm toto corde affici? Aut quomodo juſtiſſima hac affectione concepta fieri poteſt, ut ad cogitandum de objecto tam ſibi charo ullam ſuæ menti inferre vim debeat, nec potiùs toto hujus niſu erga illud feratur, ínque illo, tanquam in jucundiſſimo cogitationum ſuarum pabulo, & centro, quamdiu fas eſt, conquieſcat?

17. Felix enim verò, qui ſummi illius boni ſui imaginem aſſiduè præſentem ante oculos habet. Quantam indè facilitatem referet, maximo illud quovis pretio parandi, nec ſe ſumptûs quidquam feciſſe pro tanta merce

existimans, & si terrenæ totius felicitatis impendio ea sibi staret, quàm vilem, nihilíque pendendam præ illo summam omnem rerum humanarum magnificentiam, atque gloriam? Quàm placido animo, sinceráque, & jugi lætitia, inter sæviſſimos quosque adversorum casuum incursus fruetur? Talis erat pius ille Abbas Sylvanus, qui, post tempus in divinarum rerum contemplatione exactum, operiebat sibi manibus faciem, nè quid ex terrenis objectis videret, dicens suis oculis, claudimini, age, mea lumina: nihil enim habet terra vestro dignum obtutu. Talis Seraphica Virgo Teresia, quæ, cùm cardialgia graviter laboraret, & princeps fæmina, in cujus domo hospitabatur, ad illius animum ex ea corporis affectione relevandum, suas illi non vulgaris pretii gemmas ante oculos exposuisset; nesciebat, plúsne sibi ridenda, an commiseranda hominum hallucinatio esset, vana id genus crepundia pro magnis ducentium: cogitans simul, quàm nullo ipsa pacto potuisset, etsi maximè conaretur talia in pretio habere, quamdiu æternorum, ac cælestium meminisset bonorum. (*In Rel. vit. c. 34.*) Talis magnus ille Monachorum Pater Antonius, cui ex assidua cælestis gloriæ consideratione tantum

tum hilaritatis non in animi ſolùm penetralia, ſed in ipſam quoque faciem redundabat; ut teſte D. Athanaſio, (*In vit.*) etiam qui nunquam eum antea vidiſſet, poſſet nihilominus inter quoſcunque alios ex peculiari illa oris lætitia dignoſcere. *Semper enim hilarem faciem gerens liquidò oſtendebat, ſe de cæleſtibus cogitare.* Talis demum, nè longior ſim, Ægidius, ex præcipuis D. Franciſci alumnis, & ſociis: qui vel ſolo paradiſi nomine audito, tanquam ſi illuc invitaretur, extra corporis ſenſus animo rapi conſueverat. Quare, hoc ejus more paſſim evulgato, pueri in compitis, & paſtores in agris, oblectationis materiam indè aucupantes, inclamitare prætereunti ſolebant, *Paradiſus, Frater Ægidi, paradiſus.* Nec plura addere opus erat, ut vir DEI repentè in veſtigio conſiſteret, ſibíque, & rebus humanis ereptus ad prædulcem illam amoris ſui ſphæram tota mente avolaret. (*chron. 1. p. vol. 2. L. 7. c. 11.*)

18. Hos itaque effectus moris eſt in cujuſque animo exiſtere, qui, cùm probè cognoverit, quàm infinitum bonum ſit DEUS; non poteſt non ſimul cognoſcere, quàm incomparabilis beatitudo ſit æternùm eo frui: effectus quidem tantò ſemper majores, minoréſque,

quantò plùs, aut minùs perfecta est cognitio, unde profluunt. Quos ego propterea explicandos hìc duxi, ut lectorum quilibet eos continenter fovere, & ad ulteriorem perfectionis gradum provehere in animo suo studeat: rite sibi persuadens, si tenues, remissíque in se fuerint, fieri non posse, quin DEI quoque notitia, & æstimatio ejusmodi sint.

CAPUT VI.

De altissima veneratione, ac reverentia, quæ DEO à nobis debetur.

REverentia, qua erga quempiam afficimur, non aliunde originem ducit, nisi quia ille sit nobis vel insignis alicujus prærogativæ excellentiâ, vel dominationis jure, vel viribus, & nocendi potestate superior. Atque hinc ille honor existit, quo viros prosequimur sanctitatis, doctrinæque famâ inprimis conspicuos. Hinc etiam veneratio, quam suis vel Dominis famuli, vel Principibus populi exhibere cernuntur. Hinc demum communis apud omnes eorum timor, atque observantia, quibus

bus in proclivi esse noverint, vitam sibi, aut fortunas, quandocunque libeat, eripere. Quænam ergo una ex commemoratis tribus causis non summam à nobis, & quanta esse unquam potest, erga DEUM reverentiam, submissionémque animi exigit.

2. Exigit certè illam primitus infinita exsuperatio, qua increatum DEI esse creata quævis entia transcendit. Ad hanc porrò quàm evidentissimè perspiciendam satis cuique erit, si memori animo percurrat, & summatim sibi proponat, quæ de incomparabilibus DEI prærogativis in superiori libro retulimus: contemplando illum scilicet, tanquam *Esse* nullius causæ indigens, à qua producatur, vel quidquam boni accipiat; ut ipse unica sit princeps causa, quæ omnibus, quidquid sunt, & quidquid habent, largitur: adeò necessarium, ut in illius existentia, quasi in unico suo fundamento, Metaphysica omnis essentiarum possibilitas, & primorum principiorum certitudo subsistat æternùm, ut intrà suum nunquam cœptum, nunquam desiturum, sempérque idem *nunc*, infinitam omnem possibilium temporum seriem absque ullis seu præteriti, seu futuri, seu prioris, seu posterioris, seu aliis fluxi nostri temporis imperfectioni-

bus colligat: adeò bonitatis plenum, imò & ſuprà plenum; ut præterquam quòd nullius in ea novæ acceſſionis ſit capax, poſſit quoque eandem, quamdiu perdurabit æternitas, ampliùs ſemper, atque ampliùs ſinè ulla ſui diminutione in aliorum utilitatem profundere: adeò ſecundùm perfectionem infinitum, ut, quidquid de hac exaggeratiſſimi, & maximi humanæ omnes, atque Angelicæ mentes concipere poſſunt, nihil penè ſit ad illud, quod longè exaggeratius, & majus concipiendũ ibi adhuc ſupereſt: adeò in ipſa hac infinitate ſua ſimplex, ut, quamvìs, quotcunque eſſe poſſunt, perfectionis ſpecies intrà ſe complectatur; omnes hæ tamen ſinè ulla compoſitione, & multiplicitate, quaſi unicum quid, & omnino indiviſum intrà ipſum ſint, imò nihil aliud, quàm eſſentia illius ſint: adeò immenſum, ut præterquam, quòd totam mundi molem ſe ipſo implet; extra ultimas quoque illius oras ambitu nuſquam circumſcripto porrigatur, eam quaſi minimum quoddam centrum in magnitudinis ſuæ medio relinquens: intellectûs adeò perſpicacis, & vaſti, ut unico obtutu præterita, præſentia, futura, & poſſibilia omnia diſtinctiſſimè videat, intiméque pervadat: nec quidquam veri de ullo eorum omni-

mnium vel absolutè, vel sub conditione aliqua pronuntiari possit, quod certissimè non noverit, & quovis tempore ante oculos præsens habeat: potentiæ adeò universalis. ut manus, virésque suas usque ad nihilum extendat: neque ad alterum mundum, imò & ad mille alios mundos hoc majores ex tenebricoso, informíque illo chao producendos, majori labore, atque tempore indigeat, quàm quo opus est ad volendum, ut ii revera existant: tanquam *Esse* postremò, in quo nihil desiderari queat ulterioris boni, cui nihil cogitari par possit, quod omnem modum, ac terminationem excedat, neque hujus sit, aut illius certæ speciei *esse*, sed ipsum purum, & omnimodum *esse*, per cujus communicationem cætera omnia sint, quod sunt.

3. Enim verò Ens adeò singularis naturæ, tantóque intervallô omnia supergrediens, quæ seu videre oculis, seu mente imaginari solemus, si vel rudi, obscuráque sub specie à nobis concipiatur; ad animos nostros nedum sui reverentiâ, verúm etiam horrore, & consternatione replendos valebit: multò magis, quàm percellere Danielem potuerit terribilis majestas illius Angeli, quo præsente humi se corruisse attonitum, & semianimem scribit:

bit: (*c.* 10.) *Vidi visionem grandem hanc, & non remansit in me fortitudo, sed & species mea immutata est in me, & emarcui, nec habui quidquam virium, & jacebam consternatus super faciem meam, & vultus meus hærebat terræ.* Quæ reverentia, & submissio coram infinita DEI magnitudine longè adhuc altiùs in animos nostros descendet; si non contenti eum ità separatim à nobis spectare, & mirari; componere itèm pergamus cum increato illius *Esse* nostrum, nihil à se ipso habens, externæ duntaxat causæ opus, ideóque alienum veriùs dicendum, quàm nostrum: cum illius vita omnis prorsus initii, ac finis nescia, ultráque omne tam præteritum, quàm futurum tempus porrecta, & tota nihilominus intrà unum immobile *nunc*, semper præsente; nostram herì cœptam, manendíque impotem, nisì quamdiu aliena sustinetur virtute, nec non ex perpetua aliorum, aliorúmque præsentium successione compositam, ac propterea nunquam eandem, nunquam totam, nunquam uno longiorem momento: cum omnino, ac semper necessaria illius existentia nostram nîl habentem per se juris, ut in rerum universitate potiùs sit, quàm ut in nihilo jaceat: cum illius perfectione, humano, & Angelico quo-

vis

vis captu infinities majore, nec à ſimpliciſſimo, æternóque ſuo eſſe ſecundùm ullam partem diſtincta, noſtram accidentis ritu nobis ſuperadditam, facilémque in ſingula momenta decedere, nec tantæ unquam magnitudinis, quin reliqua omni poſſibili infinities ſit minor: cum illius immenſitate, certa quævis ſpatia tranſiliente, quæ tamen in nullo non poſſibili ſpatio tota ſemper exiſtit; noſtram parvitatem vix oculis obſervabilem, quatuórque intrà palmos concluſam: cum illius perfectiſſima, nec unquam non præſenti omnium, quæ intelligi, agnoſcíque poſſunt, ſcientia; noſtram, pauciſſimas duntaxat veritates, neque has ipſas, niſi obſcurè intuentem, &, quàm longo cumulatam labore, tam facilem ſubita oblivione deleri: cum illius tandem potentia, cui maxima quævis perficere nihilo eſt difficilius, quàm velle; noſtram imbecillitatem etiam ad pauculas eas operationes, quæ intrà virtutis ſuæ ſphæram continentur, tam diutino tempore, tam operoſo conatu, támque multis inſtrumentis, & ſubſidiis egentem. In hujus ſiquidem comparationis lumine palàm perſpiciemus, nos inter, ac DEUM non tam id proportionis genus reperiri, quod reperitur inter *parvum*, & *manum*,

gnum, putà inter atomum, & mundi universitatem, quàm illud, quod existere potest inter *nihil*, ac *totum*, inter quæ nullum potest existere.

4. Nec parvo usui ad perfectiorem ejusdem rei intelligentiam erit, si gradatione illa utentes, quam D. Ignatius Loyola in suo exercitiorum spiritualium libello proposuit, ità nobiscum ratiocinari instituamus: Quid sum ego cum Roma universa compositus: nihil certè ampliùs, quàm exiguissima, víxque ulli sensibilis portio. Et Roma quid est præ orbe terrarum, omnibúsque in hoc existentibus provinciis, regnis, & populis? Tenuis profectò ipsa quoque, nec æstimari admodum digna tantò amplioris corporis pars. Et globus terrestris cum sua omni amplitudine quid videri potest, si cum cælo tot fulgente sideribus, tam vasta per spatia exporrecto, támque innumeris nobilissimorum spirituum millibus habitato, in comparationem vocetur? Minùs fortè aliquid, quàm vel ego ad Romam, vel hæc ad universum orbem terrarum, & mundi tam cælestis, quàm terreni universitas, quam tandem dicenda est proportionem habere cum suo increato Effectore? Incomparabiliter sanè minorem; quàm cum ea granum

num pulveris habeat. Ipsa quippe ceu molis finitæ non nisi certis vicibus tenue illud granum excedit; at quis possit certò definire, quoties excedatur ab infinita DEI magnitudine? Age jam, si ego præ Roma duntaxat instar nihili sum, longéque ad nihilum propiùs accedo cum omni genere humano collatus, multóque plus de ejusdem inanitate habere videor cum omnibus Angelis simul, atque hominibus compositus; quid esse demum queam ante infinitum DEI *Esse*, coram quo illæ omnes tantò majores parvitate mea summæ evanescunt in minorem quàm exiguissimæ atomi speciem? Quid, inquam, esse ibi possum, & qualis, quantúsque existimari debeo? Næ purum nihil, & vel ipso, si dici fas est, nihilo minor. His itaque comparationibus rite institutis, conceptáque inter illas quàm magnificentissima specie incomprehensibilis exsuperantiæ, qua DEUS creatum esse universum transgreditur; facillimum unicuique erit agnoscere, quàm profunda cum animi demissione coram immensæ adeò perfectionis, & magnitudinis Principe versari se oporteat. Si enim communis ubique hominum mos, ipsáque naturalis ratio præscribit, ut cuilibet decorum sublimitate inter cæteros eminenti pecu-

culiaris veneratio exhibeatur, tantóque major, quantò eminentiora sunt illius decora; quonam nos affici reverentiæ sensu par est erga illud omnino incomparabile Ens? Quódve illi pensitare unquam poterimus venerationis, & observantiæ tam eximium vectigal; quin longissimè infra illius meritum sit? Certè Epicurus, quanquam neque infinitam DEI perfectionem satìs cognosceret; neque ullam ipsi rerum nostrarum providentiam tribueret; fassus tamen est, summum ei à nobis honorem deberi hoc solùm nomine, quòd Ens omnium præstantissimum sit, *propter eximiam ejus majestatem, singularémque naturam.* (*Sen.* L. 4. *de Benef.* c. 19.)

5. Sed multò etiam validiùs ad summam hanc venerationem impellimur, si præter jam dictam singularis illius naturæ excellentiam, plenissimum itidem dominii jus attendamus, quod super nos, creatarúmque omnem rerum universitatem obtinet. Nam ùt suo loco explicavimus, nullam inter omnes seu corporeas, seu spirituales, seu rationales, seu rationis expertes substantias à vermiculo humi reptante ad supremum usque Angelum reperire fas est, quæ supremi illius Regnatoris imperio non penitùs subsit. Neque hæc subjectio

ctio ex adventitiis duntaxat, externísque provenit cauſis, ſed tam intima, & neceſſaria utriuſque partis reſpectu eſt; quàm & ad DEI eſſentiam pertinet, ut primum principium, ultimúſque finis rerum omnium ſit; & ad noſtram, ut non nisì ab ipſo, proptérque ipſum creari poſſimus. Ex quo duplici nomine ſequitur, abſolutiſſimum illi jus convenire pro arbitratu ſuo utendi tam nobis, quàm omnibus, quæ ad nos ſpectant, noſtro nimirum corpore, anima, valetudine, vita, poſſeſſionibus, & aliis quibuſque ſeu interioribus, ſeu exterioribus bonis: neque ullam nobis probabilem cauſam ſuppetere de illo querendi, utcunque de nobis ſtatuat, & quocunque prædictorum bonorum nos ſpoliet. Imò præter hoc tam liberum, & univerſale dominium ſuper omnes, quod vel ſumus, vel poſſidemus, nihil minus obtinet juris ſupra liberum voluntatis noſtræ uſum: adeò ut nulla ex actionibus naturâ ſuâ indifferentibus ſit, quàm juſtiſſimè nobis nequeat ſeu imperare, ſi velit, ſeu contra interdicere: neque citra injuſtitiam quidquam nobis vel minimum agere, putà movere digitum, aperire oculum, verbum proferre, nisì permittente illo liceat. Apertiſſimè, ùt dixi, colligitur hæc tam

omni-

omnimoda illius dominatio ſuper quodcunque ens creatum, ex duobus illis per ſuam ipſi eſſentiam convenientibus titulis; primi ſcilicet rerum omnium principii, atque ultimi finis: cùm nemini manifeſtum non ſit, & quàm plenam poteſtatem unuſquiſque artifex habeat utendi, prout ſibi placitum fuerit, operibus à ſe fabrefactis, ſuâ nempe ſculptor ſtatuâ, vel Poëta ſuo carmine; & quàm naturali jure cuilibet fini debeatur, ut inſtrumenta propter ipſum comparata in proprios ipſius uſus, quanta quanta ſunt, inſumantur. Si ergo Principes, Dominíque mortales, qui tamen non totam ſibi habent ſubjectam rerũ univerſitatem, non elementa, non cælos, non Angelos, ſed certam ſolummodo aliquam humani generis partem: neque huic ipſi ità præſunt, ut in totum illius eſſe, ínque omnes fortunas, & actus unverſos liberam, ac ſui prorſus arbitrii poteſtatem obtineant: ſi ipſi, inquam, reſpectu hujus tam curtæ, imperfectæque dominationis ſuæ uſque adeò obſervantur, ut non modò conſuetas honoris, atque cultûs ſignificationes iis præſentibus denegare nemo audeat; ſed multi inſuper, ſi qua fortè de cauſa eos cominus alloqui debeant; perturbentur, contremiſcant, & ſpiritu

pro-

propemodum, ac voce destitu intur, præsentis illius, licèt non plùs quàm humanæ majestatis terrore perculsi; arguat hinc quilibet, quantum honoris, reverentiæque mereatur humanâ, & creata omni altior supremi Imperatoris majestas: cui Dominum dici perinde est, ac proprio nomine ab omnibus aliis distingui, *Dominus nomen ejus* (*Amos. c. 9.*) cujúsque inter famulos vel augustissimi quique populorum Rectores connumerantur: unde B. Joanni apparuit, *habens in vestimento, & in femore suo scriptum, Rex Regum, & Dominus Dominantium.* (*Apoc. 19.*)

6. Adde, quòd præter naturæ excellentiam, & dominii amplitudinem, tertium itèm observare in ipso est, nec prædictis sanè impar reverentiæ incitamentum, summam nimirum, maximéque formidabilem suas offensas vindicandi potentiam. *Tu terribilis es, & quis resistet tibi?* (*Ps. 75.*) Cùm nemo alius in terris, cælóque existat, à cujus indignatione vel minor evadendi spes sit, vel plus possit perniciei, & exitiorum timeri. Nam homines primò, quantamcunque vim nocendi habeant; non tamen protinus, tantáque cum facilitate eam possunt in nos exercere; quin multoties possimus jam latebrarum, jam fugæ

præsidio illius nos furori subducere. At quibusnam latebris eum frustrabimur, *in cujus conspectu nulla creatura est invisibilis*? Aut quò locorum ab eo effugiemus, intrà quem *vivimus, movemur, & sumus?* Aut quid difficultatis in sumenda de nobis ultione experietur, qui nullo non temporis puncto *habet flatum nostrum in manu sua?* Præterea, etsi hominum quispiam existeret, cujus iram nè ad temporis quidem momentum evitare nobis liceret; hæc tamen nunquam posset, ceu potest divina nostrum esse omnino delere: neque vim haberet, nisi corpus vexandi, secùs ac vindex DEI ira, cujus potestati non minùs animæ subsunt, quàm corpora. Denique quidquid mali, & cruciatûs à mortali hoste possumus pati, brevi temporis spatio concluditur: cùm neque is sævire in nos possit, nisi quamdiu in terris vivimus; & quantò violentiùs sævit, tantò celeriùs ceu nostræ mortali vitæ, sic suæ unà sævitiæ finem imponat. At DEUS è contrario, cùm, teste Apostolo, (*Ad Rom. 14.*) *& mortuorum, & vivorum dominetur*; potest eos, quibus justè irascitur, non brevi duntaxat præsentis ævi tempore, sed per totam quoque æternitatem atrocissimis quibusque suppliciis mactare. Quis ergo non verebitur potentiæ

tam

tam terribilis Dominum? Quis absque humili metu coram illo aderit? Quis ejus indignationem provocare in suum caput audebit? Ah incredibilem hominum vecordiam, qui, cùm solicitè adeò caveant contra se irritare, à quibus vel tenui damno affici possunt; nihil deinde pensi habent cum Omnipotente adversario inimicitias suscipere: imò persæpe imbecilli, & vulgaris homunculi offendendi metu in illius offensionem, qui nunquam timeri satìs potest, securo animo incurrunt. *Quis tu* (libet ità desipientes Isaiæ verbis ad saniorem mentem revocare) *Quis tu, ut timeres ab homine mortali, & à filio hominis, qui quasi fœnum ità arescet, & oblitus es Domini Factoris tui, qui tetendit cælos, & fundavit terram?* (*c.* 51.) Imò libet iisdem repetere sapientissimum illud Christi Domini ad Apostolos monitum: *Dico autem vobis amicis meis, nè terreamini ab his, qui occidunt corpus, & post hæc non habent amplius, quid faciant. Ostendam autem vobis, quem timeatis. Timete eum, qui, postquam occiderit, habet potestatem mittere in gehennam. Ità dico vobis, hunc timete.* (*Luc.* 12.) Nihil enim verò pronuntiari potest sive à graviori authore, sive cum evidentiori ratione, sive majoris ad salutem momenti. *Qui habet aures audiendi, audiat.* (*Luc.* 8.)

7. Cùm igitur adeò quovis ex capite Deus nobis præcellat, ut nulla major exuperantia fingi animo queat; ſummam itidem, & quavis alia majorem noſtram eſſe tum exteriorem, tum interiorem erga illum reverentiam par eſt. Et interiorem quidem exercere poterimus profundiſſima animi ſubmiſſione, & noſtri deſpicientia præ illo: fatentes, viliſſima illius mancipia nos eſſe, *quia ego ſervus tuus, & filius ancillæ tuæ:* (*Pſ. 115.*) imò lutum coram illo, nihilíque inſtar exiſtimari poſſe: *& nunc Domine, Pater noſter es tu, nos verò lutum. Subſtantia noſtra tanquam nihilum ante te.* (*Iſa. c. 64. Pſ. 38.*) neque dignos propterea nos eſſe, qui illi adſtemus, oculóſque ad auguſtum illius ſolium tollamus, nedum qui familiariter cum eo agamus, quóſque ille filiorum locô habendos, imò etiam vel obiter reſpiciendos putet. *Quis ego ſum ſervus tuus, quoniam reſpexiſti ſuper canem mortuum, ſimilem mei?* (*L. 2. Reg. c. 9.*) Quocirca, recolentes animo plùs quàm paternas apud eum noſtri curas, támque eximia charitatis flagrantiſſimæ pignora, quæ nobis & præſtitit, & præſtare uſque pergit; æquum ſanè erit, ut altiſſimâ hinc verecundiâ, & confuſione animi ob beneficia noſtram humilitatem adeò exce-

cedentia ; indè verò admiratione ob incredibilem tantæ majestatis erga nos indulgentiam perculsi, humiliter, sinceréque contestemur, nunquam nostra sponte nos ausuros, eum, nisi ore humi prostrato, alloqui, multóque minùs Patrem vocare, & illius amicitiam ambire, utpote quibus summi honoris locò esset, à tanto Rege vel inter postrema suæ aulæ servitia admitti: sed ea tantùm de causa, quamvis pro nostræ ignobilitatis conscientia timidos, paventésque ad hujusmodi familiaritatem progredi, ut illi sic volenti, jubentíque obtemperemus, néve ipsius tam eximiis muneribus, ea contumaciter repudiando, indigniores reddamur. Hos ergo, hísque similes reverentis erga infinitam DEI majestatem animi sensus curandum cuique est, ut sæpe, ac potissimùm quotidianæ meditationis tempore intrà se excitet: quò nimirum frequens iteratio eos languescere haud sinat, sed usque experrectos foveat, ínque pectore altiùs defigat.

8. Quod porrò ad externas ejusdem reverentiæ significationes attinet, ceu assiduè sub DEI oculis degimus; sic debitus ei præsenti honor requireret, ut talem assiduè in omni motu, gestu, & habitu corporis modestiam,

compoſitionémque præ nobis ferremus, qualem coram ſummo Pontifice, aut Regibus terrenis præferimus. Sed quia tam continua ſui obſervatio nimiùm gravis pleriſque hominum videretur, multíſque ideo anſam præberet dicendi cum Bethſamitis: *Quis poterit ſtare in conſpectu Domini* DEI *ſancti hujus?* (*L. 1. Reg. c. 6.*) noluit DEUS eam à nobis exigere: ſatìs habens, ſi ab iis duntaxat actionibus coram ipſo abſtineamus, quæ juſtiſſimis ipſius legibus adverſantur. Quod genus obſequii adeò certè moderatum, & præſtitu facile eſt, ut nemo, nisì impudentiſſimus, humaníque omnis moris neſcius, imò nisì furioſus, & mentis omnino expers, denegare illud audeat vel terrenis Principibus, ſi minùs reſpectu eorum majeſtatis; at metu ſaltèm eorum indignationis permotus. Unde meridiana luce clariùs patet, quàm contra omnes tum honeſti, tum utilitatis rationes ageret, qui venerationem tam juſtam, nullíſque non Dynaſtis mortalibus exhiberi ſolitam, altiſſimo univerſitatis totius Rectori negaret: nîl penſi habens, ſupremam illius majeſtatem tam injurioſo neglectu violare, nílque metuens, actionibus diſertè ab eo vetitis omnipotentem illius iram laceſſere: quamvìs certò ſciat, non

mo-

modò sub ejus oculis, sed in ipsismet ejus manibus se assiduè versari. *Tangit montes, & fumigant*, (attonitus præ tam insanæ temeritatis admiratione exclamat Bernardus) *& tam timendam majestatem audet irritare vilis pulviscaulus uno levi flatu mox dispergendus, & minimè recolligendus.* (*Serm. 16. in Cant.*) Sed, ut cæca adeò phrenesis meliùs intelligi, & ipsis quodammodo attrectari sensibus queat; fingamus, siniſtro me quopiam eventu in altissimum baratrum decidisse, unde nulla mihi suppetat meo marte emergendi facultas: dúmque contentissimis indè clamoribus auxilium imploro, non neminem eò accurrere, qui, longum mihi funem demittens, eum porrò, méque unà ex eo arrepto suspensum illinc curet educere. Age jam, si, dum ille pio hujusmodi munere erga me fungitur, ego, nescio, quibus intemperiis actus, fœdissima quæque in eum probra, & omne genus contumelias ructare instituerem; nónne omnes de potestate mentis me exîsse affirmarent? Quid enim mortalium stolidissime hoc monstri est? Tua vita, tuúsque interitus ex illius manibus pendet, modò funem dimittat; actum de te est: nullum supereſt, quo sustinearis, fulcrum: præcipiti lapsu in profundum, ossa, & caput

dura humo collisurus revolveris. Inque hoc rerum cardine irritare adversùm te hominem audes, qui extremam perniciem nullo negotio, & labore tibi potest inferre ? Quò concessit tua mens ? quò ratio ? quò tui amor, bonique & mali sensus, nè ipsis quidem brutis ignotus ? Ità omnes procul dubio in hujusmodi eventu, exempli gratiâ à nobis conficto, sed nunquam cæteroqui aut viso inter homines, aut deinceps videndo sentirent, dicerentque. At numquid non huic similem, imò & incredibiliorem hoc eventum revera in se exhibet, qui assiduè ex DEI manibus pendens, magis quàm ego ex illius auxiliatoris mei arbitrio penderem, vidénsque infra se profundissimam orci voraginem, quò si semel prolabatur, acerbissima illi, & quidem perpetuò subeunda mors erit ; nihil tamen veretur, contumeliosis eum factis inimicum sibi ex benevolo reddere, à quo si sustentari vel ad temporis punctum desinat in subjectum sempiternæ mortis baratrum, eodem illo temporis puncto sinè ulla resurgendi spe corruet ? O dementiam, cui similis nullo unquam sæculo audita est, quæque, nisi tam multorum morbus foret, incredibilis vel in uno homine posset videri.

9, Ne-

9. Neque verò ad eam elevandam dicatur, potentiorem quidem terrenis quibuſque Principibus DEUM eſſe ad puniendos, qui debito obſequio ſe fraudent; ſed minùs tamen, quàm ii ſint, formidabilem: eò quòd inaudita quadam lenitate poteſtatem ſuam temperans non ſubitò, neque ſemper factas ſibi injurias ulciſcitur, imò earum innumeras diutiſſimè tolerat, & omnes ſtatim, ac rogatus rite fuerit, condonat. Eſto quippe veriſſimum ſit, peccantium quàm plurimis dari ab eo veniam; non tamen minùs verum eſt, de quàm plurimis itèm ab eo ſumi vindictam, & hanc ſanè, ubi tandem ſumitur pro atrocitate, ac diuturnitate pœnarum, uſque adeò perhorreſcendam, ut vel incertum, remotúmque illius ſubeundæ diſcrimen vehementiùs nos deberet percellere; quàm quidquid ultimorum cruciatuum infligere nobis queat laceſſitus hominum furor. *Horrendum eſt incidere in manus DEI viventis.* (*Ad Hebr.* 10.) Neſcit profectò, quantam in puniendo DEI Juſtitia vim habeat, qui, placabilem eam pluries expertus, ad rurſus irritandam ejuſdem ſucceſsûs perpetuò experiendi ſpe impellitur: cùm è contrario juſtiores metuendi cauſas indè habeat, nè illa ſatìs jam clementiæ à ſe da-

tum existimans, proprias aliquando justitiæ sibi partes resumat, diúque suspensum extremæ ultionis formidolosissimum fulmen in illius denique caput contorqueat: veluti in tot alios contorsit, quibus pluries, pluriésque antèa facilè veniam præbuerat. Inferorum carcer innumeris frequens est animabus, DEI bonitate, ad eum minùs timendum, neque ideò, quantùm par fuisset, observandum, abusis. *Quis non timebit te, ô Rex gentium? Quis novit potestatem iræ tuæ, & præ timore tuo iram tuam dinumerare? Intelligite hæc, qui obliviscimini DEUM, nè quando rapiat, & non sit, qui eripiat.* (*Jerem. c. 10. Ps. 89. & 49.*)

CAPUT VII.

Quàm excellenti modo rerum omnium amabilitatem intrà se colligat: & quàm meritò propterea amandus super omnia sit DEUS.

AMabile esse quodpiam objectum, nihil aliud significat, quàm rationem aliquam illius amandi existere: ut proinde tanta, cujusq; rei amabilitas sit; quot, quantíque sunt ponderis,

ris, quæ ad illius amorem rationes impellunt. Hæ porrò, quemadmodum non nisi in bono quopiam consistunt; ità pro bonorum diversitate in tres classes dividi queunt: in bona videlicet, vel quæ ad propriam objecti amabilis perfectionem spectant, unde amor puræ charitatis, benevolentiæque existit, vel quæ à munifica ejusdem erga nos charitate accepimus, unde amor grati animi provenit; vel quæ per nostrum ipsius amorem consequi possumus, unde amor cupiditatis exoritur. His itaque generatim præmissis, si planum ego fecero, nulli trium ejusmodi rationum tantam vim esse ad cujusquam rei, vel personæ amorem impellendi; quanta earum unicuique inest divini amoris in nostra voluntate excitandi; an non palàm constabit, totam quarumvis personarum, & rerum amabilitatem quàm excellentissimè in uno DEO contineri: dignissimúmque esse, qui cæteris omnibus, quotquot, & qualiacunque sunt, objectis impensiùs ametur? Constabit profectò, juxta exemplum ab Ecclesiastico allatum, ubi ait: *Secundùm ligna silvæ ignem exardescere.* (*c. 28.*) Cùm enim amor ignis speciem referat, illiúsque incitamenta, & rationes instar materiæ sint, quæ ad ipsum producendum, atque alen-

alendum requiritur; consequens procul dubio est, ut, ubi amplius de sua materia nanciscitur; major ibi pariter, & vehementiori cum æstu exardescat. Attende igitur, Lector, quàm clarum, atque evidens secundùm unamquamque trium partium illud tibi antecedens exhibeam.

2. Et primò grande incitamentum, ad quamcunque personam amandam, sunt præclaræ illius dotes: veluti generis splendor, conditionis sublimitas, venusta corporis species, morum elegantia, ingenii acumen, doctrinæ amplitudo, eloquentiæ ubertas, excellentia animi, modestia, liberalitas, fides, & alia istiusmodi decora; unde fit, ut multas egregiarum hujus generis qualitatum in aliquo aspicientes, præsertim si eædem supra usitatum, & vulgarem modum emineant; suavi quadam violentia ad illius amorem nos rapi experiamur. Imò, vel inter audiendum, quæ de aliqua tali persona circumferuntur, famæ præconia non possumus, non continuò amica voluntatis propensione in illam ferri, de illius gaudere successibus, illam cominus nôsse optare, & felices nos reputare, si nos quoque ab ea nosci, atque amari contingeret. Boni quippe excellentia centrum illud

lud est, quò naturæ suæ instinctu amor tendit: neque plus proportionis, & sympathiæ habet seu visus cum amœna colorum temperie; seu auditus cum numeroso vocum concentu, seu alia quæque naturalis facultas cum peculiari suo objecto, quàm voluntas cum bono. Quæ cùm ità sint, proponat sibi quisque Cyros Xenophontis, Lucani Catones, Plinii Trajanos: imò novos fabricet Heroas, quales ad omnigenæ perfectionis ideam procudere ingenium potest, & secum perpendat, num in eorum ullo tot, támque insignes prærogativas summa omnia comminiscendo coadunare poterit; quot, & quales tum supernaturalis fides, tum ipsamet humana ratio spectandas in DEO nobis exhibet. Cogita illum, infinitis ante mundum sæculis à se ipso existentem, ullámne alibi æquè illustrem, ac vetustam nobilitatem reperies? Cogita, quidquid usquam rerum est, terrena omnia, & cæleſtia pro arbitratu suo moderantem; ullúmne hoc altius intueri usquam licebit dignitatis fastigium? Quid de illius pulchritudine eloquar adeò præcellenti, & eximia, ut videri palàm nequeat; quin plenè beatos spectatores suos reddat, pérque totam æternitatem in jucundissima sui contemplatione defixos detineat?

at? Quid de sapientia, quam nihil veri latet? Quid de potentia, cui maxima quæque efficere nihilo est laboriosius, quàm velle? Quid de clementia, nemini, quamvis mille criminum reo, simul atque illa retractârit, veniam negante? Quid de munificentia, quæ omnibus omnia, nihil à quoquam mercedis, & fructûs recipiens largitur? Quid postremò de tot aliis illius perfectionibus dicam, quarum justæ apud nos æstimationi nihil, nisi earum infinitas obest, nostræ mentis captum quàm longissimè excedens, nec propterea se sinens à nobis, nisi visu obscurissimo percipi? Unũ hoc dixisse sufficiat, quidquid præclari, eximii, & amabilis sive oculus vidit, sive auris audivit, sive in cor hominis ascendit, nihil esse aliud, quàm tenuem scintillam, & exiguum, ac rude immensissimæ ipsius amabilitatis vestigium.

3. Quapropter, si paucula quædam decora, & illa eadem quàm plurimis imperfectionibus mista, cujusmodi ea sunt, quæ in creatis objectis intuenda se objiciunt, tanta nihilominus vi ad sui amorem nos rapiunt; quidni multò majorem obtinere vim debeant, nostræ voluntatis ad DEI amorem trahendæ, omnia, quæ cogitari possunt, decora, secundùm totam

tam excellentiæ ſuæ plenitudinem, & ſinè ulla deteriorum qualitatum admiſtione, intrà perfectiſſimum illius *Eſſe* collecta? Si vel unica boni, & perfectionis ſtillula ab eo in has, illáſve res creatas profuſa, explendis noſtris cordibus ſufficit; quídni ſuffecturus magìs ipſe ſit, cujuſvis boni, & perfectionis exuberantiſſimus fons? Si poſt evanidam imperfectæ pulchritudinis ſpeciem attoniti, & vix noſtri compotes currimus; quantò vehementiore par eſt animi impetu erga ipſum feramur, totius ſeu creati, ſeu creabilis pulchri abſolutiſſimum, & inimitabile exemplar? Egregiè D. Auguſtinus, (*In Pſ. 44.*) *Amemus illum, aut, ſi invenerimus in eo aliquid fœdi, non amemus. Ecce ipſe in nobis invenit multa fœda, & amavit nos. Si aliquid fœdi invenerimus in eo, non amemus.* At illius amabilitas (reponet hìc aliquis) non adeò mihi eſt perſpicua, ùt, quæ in objectis noſtratibus cernitur. Eſto: ſed quid tamen id refert? cùm nihilominus infinito intervallo hanc excedat, neque plùs ad amorem excitandum objecti cognitio, quàm ejuſdem bonitas faciat. Age igitur partis unius exuperantiam cum alterius exuperantia in comparationem vocemus. Rerum ſenſibilium cognitio DEI cognitionem clari-

ta-

tate, DEI bonitas earum bonitatem magnitudine exuperat. Quanta est ibi claritatis exuperatio? Certum nempe intrà modum finitum: cùm lumen, in quo objecta sensibilia perspicimus, haudquaquam infinitè clarius eo sit, in quo DEUM mente apprehendimus. Quid bonitatis exuperatio? Quanta hìc dicenda est? nihilo sanè infinitâ minor: cùm DEUS bonum sit infinitè aliis omnibus majus. Et post tantam exuperationis hìc quovis limite ulterioris, illic certis limitibus clausæ inæqualitatem, dubitare quisquam poterit, utra demum ex prædictis partibus majorem excitandi amoris vim habeat? Imperfectior DEI cognitio obstare tantùm potest, nè illum infinitè amemus, quod necessariò eveniret, si non modò ùt infinitè bonum, sed infinita etiam cum claritate cognosceremus. At nullo pacto obest, nè ille, etiamsi aliquantò minùs clarè, quàm bona sensibilia, cognitus, amari tamen à nobis propter infinitam divinæ suæ bonitatis præstantiam plùs iis omnibus possit.

4. Talis itaque, & tantò quavis alia superior absoluta DEI amabilitas est in excellentissimis sita divinæ illius naturæ perfectionibus: quæ propterea solæ, & seorsim à quocun-

cunque alio reſpectu abunde ſufficiunt ad omnium voluntates ſummo illius amore inflammandas. Videamus jam, num ad idem præſtandum ſatìs etiam per ſe ſint, quæ ipſe prior edidit flagrantiſſimæ erga nos charitatis ſpecimina: ratio ipſa quoque ſinè ullis aliis ſat potens, mutuam grati, & amantis animi vicem à nobis elicere. Cùm nemo inter homines ſit tam barbari, & agreſtis ingenii, qui ab aliquo citra ullam vel obligationem, vel utilitatem aſſiduis, nec vulgaribus beneficiis cumulari ſe aſpiciens, non emolleſcat, & ſimili erga hominem adeò ſibi amicum benevolentiæ affectu incendatur: imò cùm ipſæ etiam cædibus innutritæ, nihílque, nisì ſævum ſpirantes belluæ viſæ ſint pluries iis, quorum opem in morbo, vel alio caſu expertæ fuerant, grati amoris, & obſequii ſigna edidiſſe: ceu inter alias complures exemplo eſſe poteſt illa apud Plinium aſpis, quæ unum ex ſuis fœtibus dilaceravit, quod virulento morſu necem hominis ſe paſcentis filio intuliſſet; (*L 10. c. 74.*) Adeò, *etiam in immitiſſimo animalium genere*, amori ſuæmet ipſius ſobolis amor erga bene de ſe merentem prævaluit. At quis, rogo, ex hominibus univerſis viſus, auditúſque unquam eſt, alteri homini, etiamſi inti-

mo amico, etiamsi unico filio charitatem exhibuisse adeo gratuitam, profusámque, & munificam, ut comparari cum ea mereatur; quàm nostrûm cuilibet supremus universitatis Dominator exhibuit? Percurrantur animo tot ampliſſima munera nullis præeuntibus nostris meritis, sed per ultroneam solummodo liberalitatem ab eo nobis collata, tam in naturali ordine, ùt corpus, anima, spiritus, vita, sensuum facultates, intelligendi vis, rationis usus, arbitrii libertas; quàm in supernaturali, nempe altissimus gratiæ, altiórque gloriæ status, ad quos dignatus est humilitatem nostram evehere: jam nunc in amicorum, & filiorum loco nos habens, promiténsque mortali vita functis beatissimam hæreditatem immortalis sui regni. Quanta hæc, quæso, sunt beneficia? Quídve vel minimo eorum simile ab ullo hominum, quamvìs nostri amantissimo, seu aliquando accepimus, seu sperare unquam possumus? Cogitetur providentia, quam nostri gerit, adeò assidua, & in omnes partes intenta, ut nullum vitæ nostræ momentum præterfluat, quo de nobis non cogitet: nullam aggrediamur actionem vel minimam, in qua suo nobis præsenti adjutorio non adsit: nihil circa nos in mundo eveniat, quod

ad

ad noſtram utilitatem non dirigat. Quiſnam ſeu ex intimis cognatorum, ſeu ex ſervorum fidiſſimis, tam continua, tam fideli, tam benevola ſedulitate inſervire unquam noſtris uſibus poteſt? Expendatur mira, & incredibilis patientia, qua tot, támque graves injurias, à noſtra perverſitate incomparabilibus illius beneficiis redditas, tulit, nunquam non dico abnuens, ſed nec differens ullam earum, quantumvis abnormem, centiéſque, aut millies repetitam, ſimul ac facti pœnitentes, veniam expoſceremus, nobis remittere. Quid dicimus de amore tam firmo, tam altis radicibus nixo, & ultra omnem humani amoris conſuetudinem quantaſcunque inter oppugnationes conſtante, & invicto? Revocentur in memoriam, quæ, ut nos ab interitu vindicaret, nunquam alibi audita, & humanam fidem tranſgreſſa, edidit charitatis prodigia, nîl veritus, ea de cauſa mortale corpus induere, & poſt aſſiduas triginta trium annorũ in terris tranſactorum ærumnas, acerbiſſimam demum necem ſuper infami crucis patibulo, plagis, doloribus, contumeliis, atque probris undique onuſtus ſubire. Ullúſne amicorum mortalium, ullúſne frater, aut genitor talia pro nobis perpeti ſuſtinuiſſet? Animadvertatur po-

ſtremò, immenſam hanc adeò, & prodigioſam charitatem exhibitam nobis fuiſſe, non à perſona aliqua ſanguinis nexu nobis conjuncta, nec à Rege quopiam terreno, qui externa duntaxat fortunæ dignitate, & præſtantia ſupra nos emineret; ſed ab infinitæ magnitudinis, naturæque Domino, ut ſingulare benignitatis ſpecimen videri poſſet, ſi vel unico amanti obtutu noſtram humilitatem dignatus fuiſſet: eúmque ad nos ità amandos nullis noſtris prioribus benefactis, neque ulla mercedis, & utilitatis à nobis recipiendæ ſpe impelli potuiſſe, ſed mera nativæ ſuæ bonitatis propenſione, & huic conſentaneo quàm optimè de nobis merendi deſiderio eſſe inductum. Recolantur animo, inquam, hæc capita, quæ ego nunc ſtrictim attingo, quòd alibi enucleatiùs tractaverim: ac deinde æſtimetur, juréne hominis appellationem ferat, an potiùs inter belluas recenſendus, imò ipſiſmet belluis immitior putandus ſit, qui nullos mutui amoris ſenſus erga tam bene de ſe meritum, adeòque amantem ſui Dominum concipit.

5. Proh DEUM immortalem! creduntúrne hæc à nobis, an pro inanibus fabulis, atque ſomniis habentur? Aliquámne in animis noſtris ſui ſpeciem relinquunt? An, ceu barba-

baro expreſſa idiomate, ultra aures non tranſeunt? Enim verò neque Orthodoxa fides de illorum veritate dubitare nos ſinit; neque humanitatis, & grati animi ſenſus. Si ea rite credimus, omnino per incuriam negligere, neque rationis lumen, ſi vel mediocri cum attentione meditanda interdum ſumamus, minora maximis ducere. Ubinam ergo ſunt noſtri ſenſus, nisi hujuſmodi obligationes advertunt? Ubi noſtra corda, nisi illius amore incendantur, cujus tam fervens erga nos amor fuit? *Si amare pigebit*, inquit Auguſtinus (*De Catech. Rud. c. 4.*) *ſaltèm redamare non pigeat.* Rite, & ſecundùm legitimam conſecutionem dictum olim Jacobo eſt, (*Geneſ. 32.*) *Si contra DEUM fortis fuiſti; quantò magis contra homines prævalebis?* Et cur ſimiliter ratiocinari de amore etiam non liceat, imò falſa circa ipſum dicta conſecutio deprehenditur, adeò ut, qui tam fortis ad inflectendum omnipotentem DEUM fuit, támque immenſo eum ardore ſuccendit, nè ſcintillam quidem ſacri hujus ardoris excitare in animis hominum queat? Portentoſa res viſa Moyſi eſt, quòd rubus ſilveſtris in medio igne *arderet, & non combureretur.* (*Exod. 3.*) At portentum longè mirabilius fuerit, quòd hominis cor, car-

neum. tenerum, & amandi causâ factum inter flagrantissimos divinæ erga ipsum charitatis æstus non modò non absumatur, sed neque incalescat? *Vadam, & videbo visionem hanc magnam, quare non comburatur rubus.* Quodlibet ex commemoratis hìc DEI beneficiis sufficeret ad nostrum sibi vendicandum amorem: & omnia in unum collecta non sufficiant? Homini, qui paria nobis exhibuisset charitatis suæ documenta, perpetuam servitutem nos debere arbitraremur: & minus DEO nos debere arbitrabimur? Nullis, & si totas impenderimus vires, externis operibus, atque obsequiis æquam vicem referre illius benignitati possumus: & interiori saltèm cordis affectu ei utcunque respondere non conabimur? *Ah impium, impium est hunc non diligere, cui respondere non queas, etiam cùm dilexeris.* (*Euchar. Ep. ad Valer.*) Ii certè nos sumus, qui nullum æquè in aliis detestamur, ac ingrati pectoris vitium: quonam igitur pacto illud idem tolerare, ac fovere in nobis possumus, quantum nullo unquam tempore alibi extitit? Apage, ab humano convictu, imò à tota rerum universitate monstra adeò execranda, clamat Gentium Apostolus: (1. *ad Cor. c.* 16.) *Si quis non amat Dominum nostrum JEsum Christum, a-*

na.

nathema sit. Ità sanè denuntio, & palàm edico, si quis hominum est, qui tam eximiis charitatis significationibus à DEO provocatus redamare illum abnuit, devitetur ab hominibus, tanquam pestifera lue infectus, tanquam devotum diris caput, tanquam terrarum, cælique odium. Extorrem facessere ab urbibus homines jubeant, nè habere cogantur præ oculis tam infame sui generis probrum. Errantem, ac profugum nolint suas intrà silvas leones, tygridésque admittere, nè illius ab exemplo novos feïtatis hactenus sibi ignotæ mores condiscant. Quin & ipsi Apennini, atque Caucasi recipere eum suis specubus nolint, abominantes hominem, qui per improbitatem nihilo minùs sensu animi careat; quàm illius se exortem finxit natura. Undique ejectus neminem nanciscatur, qui se excipiat, præter inferos, unicam convenientem, & propriam ingratorum sedem. *Si quis non amat Dominum nostrum JEsum Christum anathema sit.*

6. Quid porrò, si prædictis rationibus amandi DEUM super omnia, novas, nec minùs per se sufficientes, atque idoneas ipsemet nostri amor adjungeret? Quantùm indè augeretur, magisque non modò inexcusabilis,

verùm etiam incredibilis appareret illorum nequitia, qui neque proprii ſui boni reſpectu permoventur ad ſatisfaciendum iis obligationibus, quas ob ſummam earum æquitatem nedum ſinè ullo proprio emolumento, ſed & cum quantovis ſuo impendio deberent implere? Atqui illas ipſe etiam pro virili, & quidem validiſſimas adjicit. Nam neque amare ſemet ipſum verè poteſt, qui ſummum ſuum bonum non amet; nec aliud eſt cujuſvis rei ſummum bonum, quàm in quo perfecta ſua beatitudo, ultimúſque ſuus finis conſiſtit. Quamobrem, cùm nuſquam, niſi in DEO, perfecta hominis beatitudo, ultimúſque finis conſiſtat; quonam pacto fieri poteſt, ut aut illum non amans revera ſe amet; aut verè ſe amans, non ad illum quoque amandum ab hoc ſui amore incitetur? Adde huc præterea, quòd non ſolùm DEUS ſit ſummum hominis bonum; ſed illius quoque amor inter omnes aliarum rerum amores maximè homini utilis, ùt qui animam plùs cæteris quibuſcunque amoribus nobilitat, locupletat, & ſatiat: ut proinde, ſi aliquo noſtræ utilitatis ſtudio tenemur, veluti nuſquam fructuoſiùs, quàm in DEO collocare amorem noſtrum poſſumus, ſic eundem vel unicè debeamus, vel plùs cæteris quibuſque objectis amare.

7. Et

7. Et sanè, ut à primo prædictorum trium fructuum, nimirum nobilitate ordiamur, meridiana luce clariùs patet, tantò hanc secundùm geometricam proportionem loquendo, majorem referri ex divino, quàm ex alio quovis rerum creatarum amore; quantò Deus est objectum quibuscunque aliis sublimius. Quemadmodum enim neminem latet, quàm proprium cujusvis amoris sit efficere, ut anima objecti à se amati naturam, qualitates, conditionémque induat, & quodammodo in imaginem illius transformetur; ità nemo non palàm perspicit, quantò eadem celsiùs assurgat, magísque nobilitetur, dum per interiorem hujusmodi metamorphosim ex suo non plùs, quàm creato, & humano in altissimum supremi rerum omnium Conditoris esse transgreditur; quàm si creatas res amans in earum similitudinem, atque indolem transeat: cùm nulla ex his non longissimè infra DEUM, pleræque verò eâ ipsâ longè inferiores sint: adeò ut amare illas nequeat, quin è sublimiori suo gradu ad earum se humilitatem demittat. Comparetur status, ad quem Esther conscendit, quòd Assuero centum, & viginti septem provinciarum Regi nupserit cum statu, in quo remansura erat, si fossorem, vel baju-

lum sibi virum legisset: & habebitur rudis aliqua imago diversissimarum conditionum, quas anima sibi adoptat, quoties vel cum supremo universitatis totius Domino, vel cum quapiam ex rebus ab eo procreatis per connubium amoris conjungitur. Rudis imago, inquam: neque enim ullum amari ab ea ens creatum potest, quod, quantumcunque inter cætera ejusdem ordinis, generisque emineat, non infinitò ampliùs à divina Majestate excedatur, quàm Assuerus per regale suum decus abjectissimo cuicunque homuncioni antecelleret.

8. Summa itidem, neque minùs ad intelligendum perspicua est inæqualitas lucri, quod DEUM, & alia inferiora bona amando adipiscimur. Nullus quippe, esto vehementissimus, horum amor per se unum sat est, ad nos in possessionem boni amati inducendos. Cùm altera ex parte DEUM amare idem sit, atque illo re ipsa potiri. Quæ diversitas scitè animadversa, & expressa à D. Augustino est, ubi amorem pecuniæ cum amore DEI comparans: (*Serm. 2, de Divers.*) *Numquid*, inquit, *hoc est amare, quod aurum habere? Multi amant, & non habent. DEUS nobis de compendio se offert. Clamat nobis: amate me, & habebitis me.*

Quo-

Quocira, cùm omnis amor ad poſſeſſionem rei amatæ, veluti ad finem ſuum tendat; malle bona creata, quàm DEUM ſummum bonum amare, nihilo minùs diſpendioſum, atque imprudens conſilium videtur, quàm ſi quiſpiam pro eo, ut aurum quærat in Peruviæ fodinis, ubi princeps illud metallum certam, paratámque ſe offert eruentium manibus prædam, vellet plumbum potiùs viliſſimum metallorum, & in arentibus quidem Lybiæ deſertis rimari, ubi tanquam in ſolo metallorũ omnino inopi, nè unciolam quidem adamati quæſtûs, eſto ad extremam uſque laſſitudinem fodiens, & laborans inventurum ſe novit.

9. Quid poſtremò de ſatietate, & quiete dicemus, quæ in DEO amando invenitur? Ullúmne eſt aliud objectum, cujus ex amore polliceri nobis æquè plenam poſſimus? Ah nullum, ait D. Bernardus. Cùm enim anima hominis facta ſit ad fruendum bono infinito; quinam fieri poſſit, ut in ullo ex bonis creatis, imperfectis omnibus, & naturâ finitis, pabulum, aviditati ſuæ omnino ſatiandæ, atque explendæ ſufficiens nanciſcatur? Delirantis, séque ultrò fallentis animi eſſet, id credere. Et ſi rei veritatem, per ſe cæteroqui apertiſſimam, libet adhuc manifeſtiùs perſpicere; inter-

terrogate opulentiſſimum quemque Regum, num theſauris, & vectigalibus ſuis ità ad plenum contentus ſit, ut nullam iis acceſſionem fieri optet. Interrogate, qui bellicæ laudis, vel ingenii, doctrinæque præſidio ſplendidiorem inter homines ſibi comparaverint famam; ſufficiátne ipſis præſens nominis claritas, an eam latiùs extendi, & novis cumulari ulterioris gloriæ proventibus velint. Interrogate illos, dixi: & mentiar, nisi reſpondentes audieritis, parùm ſibi videri, quidquid hactenus conſecuti ſunt opulentiæ, atque famæ præ tantò majori utriuſque amplitudine, quam adhuc poſſent, ideóque & cuperent conſequi. Nec diſſimilis procul dubio erit reſponſio, quam interrogantibus, ſive circa imperii latitudinem, ſive circa voluptatum affluentiam, ſive circa quodcunque aliud mortalium bonorum genus ii reddent, qui hujuſmodi fortunæ muneribus maximè abundant: plùs omnes intenti animo in id, quod acquirendum ſibi ſupereſt, quàm in id, quod acquiſiviſſe jam contigit: ac propterea nihilo vacui, & ſitientes minùs in exuperanti ſua copia, quàm reliquorum hominum vulgus in ſua tenuiori fortuna. Uſque adeò *ad imaginem DEI facta rationalis anima cæteris omnibus*

bus occupari poteſt, impleri non poteſt. Capacem DEI, quidquid DEO minus eſt, non implebit. (*S. Bern. in Declam.*) Unde ſequitur obſervatus ille à D. Auguſtino effectus, ut miſella, ceu in nullo præſentium bonorum optatam ſatietatem reperit, ſic in nullo quieſcat: ſed vix uno delibato ad aliud appetendum, guſtandúmque ſe vertat: aſſiduè commutans ſua vota, repudians, quod paulò antè appetiverat, nullámque cupiditatem concipiens, cui extemplo non ſuccedat faſtidium. (*Aug. in Pſ. 102.*) *Ad quodcunque me convertero, vileſcit mihi adeptum, quanquam accenderit deſideratum.* Præſertim quòd terrena quævis bona huic jam memorato tenuitatis ſuæ vitio bina inſuper alia, nec levis momenti adjiciunt: quòd ſcilicet neque acquiri ſemper poſſint, quanta optaremus, & acquiſita ſemper poſſint vel maximè invitis nobis deficere. Quare eorum amator, præterquam quòd in nullo ex iis plenam ſatitatem reperit; in quocunque etiam uberem timorum, atque ægritudinum materiam offendit: timorum quidem, utpote ſemper incertus, num ſibi continget, ſive adipiſci, quod deſiderat, ſive adeptum poſſidere, quòad velit: ægritudinum autem, utpote continenter aſpiciens, (quod in bonis adeo inſtabilibus

fre-

frequentissimum est) jam hujus spem sibi in irritum cadere, jam illius possessionem perire: cùm neque anxietatis vacuus possit vivere, qui incertum bonum amat; neque expers mœroris, qui bonum amatum sibi intercipi videt. Idque adeò certum quotidiano usu est, ut, quisquis suas omnes transacti ævi ægritudines instituat ad examen singillatim vocare, nullam omnino reperturus sit, quæ à creati cujuspiam boni amore ortum non duxerit. Unde etiam planissimè arguet, si nullum ex istiusmodi bonis unquam amâsset; nullam se in omni sua vita molestiam, ægritudinémque animi sensurum fuisse. En igitur, quosnam bona creata suis pariant amatoribus fructus: uberrimam nempe, & continuam perturbationum, anxietatum, mœrorum, ac solicitudinum messem. At nemo idem suspicetur de DEO, qui, cùm pleniſſimam omnium possibilium bonorum universitatem in se uno contineat; nîl animæ per amorem secum copulatæ ultra desiderandum relinquit: & veluti, ut certissimè acquiratur, ac perpetuò possideatur, nihil præterquam amari exigit, nec unquam minùs possidetur, quàm amatur; ità fieri non potest, ut ullam inquietudinis, tristitiæque afferat, nisi aut se non amantibus,

aut

aut imperfectè amantibus causam. *Gustate, & videte, quoniam suavis est Dominus. Beatus vir, qui sperat in eo.* (*Ps.* 33.)

10. Si ergo quæcunque integerrimam amabilitatem constituunt, simul juncta, & secundùm omnes perfectionis suæ numeros in DEO existunt, cùm nemo alius reperiri usquam possit, sive tam singularibus prærogativis conspicuus, quin ab eo infinitè excedatur; sive adeò nostri amans, ut illius beneficentissimam erga nos charitatem æquet; sive qui tantum se amantes nobilitet, locupletet, ac satiet; quantum ipse bonum, ceu quibuslibet aliis immensô intervallo excellentius; ità etiam inter quæcunque alia tum acquiri, tum conservari facillimum: si hæc, dico, tam perfecta, nullóque non in genere incomparabilis illius amabilitas luculentissimè à nobis demonstrata jam est, nec ab ullo revocari in dubium potest; quænam tandem excusatio hominibus supereſt, adeò plerumque amoris sui prodigis erga quodvis objectum, in quo vel tenuissimæ amabilitatis radius subluceat, adeóque contrà lentis, & segnibus ad amandum hoc unum, in quo, quidquid cætera omnia præclari, obligantis, & frugiferi habent, cum immensa exuperatione collectum se objicit?

Ex-

Excusari forsan se dicent, quòd ipsum haud satìs cognoscant. Sed hoc erit illius non amandi causam potiùs afferre, quàm culpam minuere. Quàm enim verum est, idcirco ab iis DEUM non amari, quia ignari illius sint, juxta illud D. Joannis effatum, (*Ep. 1. c. 4.*) *Qui non diligit, non novit DEUM*; tum judice D. Cypriano, culpari merentur, quòd negligant illum cognoscere, quem præ omnibus debent amare. (*De van. Idol.*) *Hæc est summa delicti, nolle agnoscere, quem ignorare non possint.* Objiciunt se ipsis, hinc illa, vel illa res creata, indè summus omnium Creator, certatim poscentes, ut præstantissimam inter suas facultates, ipsummet nempe suum cor sibi donent: *Præbe cor tuum mihi*, illa dicit: *Præbe cor tuum mihi*, hic reponit. Parvíne adeò id negotium momenti est, ut decidere illud par sit, priusquam accuratè quæsitum de competitorum qualitatibus fuerit, & maturo, ac solerti pensitatum examine, uter assensu dignior sit, utri plùs debeatur, ex utro major reportari utilitas queat? Hujusmodi certè providentiâ uti omnes solent, vel in deliberationibus, ubi de minori, quàm hìc, re agitur: putà ubi in controversiam venit, quemnam ex pluribus Advocatis, seu Medicis eligere magìs expediat:

hoc-

hoccíne, an illud ſanciendum potiùs connubium: hæne, an illæ emendæ ſint merces? Quas inter, aliáſque ſimiles electiones, nemo eſt adeò temerarius, & in judicando præceps, ut ex duabus propoſitis partibus eam confeſtim, quæ ſibi eſt notior, nulla priùs habita de alterius meritis inquiſitione amplectatur: præſertim, ſi in prima illa permultæ, nec exiguæ imperfectiones appareant, de alterius verò præſtantia inſignis latè rumor circumſonet. Quonam igitur pacto, cùm in diſceptationem veniat, utrínam potiùs ſuum amorem, hoc eſt ipſummet ſuæ animæ cor donaturi ſint; creatíſne rebus, quarum, eſto bonitatem videant, multò plùs tamen huic admiſtum odioſi, & fugiendi ſimul vident; an DEO, cujus incomparabilem excellentiam non ambiguis famæ popularis rumuſculis, ſed certiſſimis fidei teſtimoniis celebrari audiunt; nullam hujus clariorem notitiam ſecum ratiocinando exquirunt: ſed per amentiam prorſus incredibilem, omni poſthabita comparandæ invicem utriuſque partis cura, nihílque cogitantes, quàm inæſtimabile ſibi diſpendium ex tam vecordi electione proventurum mox ſit; amorem ſuum, & ſeſe cum eo totos illis addicunt? O amabiliſſime DEUS! ô infinitum

perfectionis, bonitatis, & pulchritudinis pelagus! ô totius noſtri boni munificentiſſime Author! ô ultimus finis! perfecta beatitudo! & pleniſſima noſtrorum cordium ſatietas! Itáne fieri poteſt, ut te tantum, adeóque incomparabile objectum intueri ſemper cogar, apud pleramque hominum partem prorſus oblivioni traditum, totius debiti amoris expertem, & pretii terreno quovis bono minoris? Itáne fieri poteſt, ut, cùm ad te amandum validiſſimis urgeamur rationibus, quas vel honeſtas ſuppeditare, vel utilitas queat: cúmque adjuſtum tibi amoris vectigal perſolvendum, nè ſexcenta quidem nobis corda ſufficerent; nullæ tamen rationes vim habeant impetrandi à nobis, ut vel unum, & peranguſtum hoc corculum, cujus capax natura noſtra eſt, tuo totum amori ſacremus; imò ut aliquam ſaltèm illius partem tibi reſervatam velimus, neque totum res creatæ auferant, & inter ſe partiantur? O perverſitatem! qua nihil cogitari deteſtabilius poteſt, nihil ab omni ratione alienius, nihil ſeu DEO injurioſum, ſeu noxium, & exitiale homini magìs.

11. Ah tu ſaltèm, pie Lector, nè quæſo DEUM tuum, & pro incomparabili ſuæ naturæ excellentia amari digniſſimum; & qui te pri-

prior, tametsi omnino indignum, plùs quàm paterna charitate dilexit; & in quo amando tua omnis perfectio, ac beatitudo consistit; nè talem, inquam, tuum Dominum tributo defraudare, adeò ipsi debito, adeò tibi utili, velis: sed universas tuæ mentis cogitationes, universos tui cordis affectus, universas tui animi facultates, & vires in illius amorem impende. Et quid peti à te potest suavius, tuæque naturæ consentaneum, & accomodum magis, cùm nihil petatur aliud, nisi ut ames objectum, quo nihil est amabilius, tuum nempe verum, summum, atque unicum bonum? *Ratione plenissimum est*, (non suo magis Valeriano, quàm unicuique hominum scribit D. Eucherius) *te illum, in quo habeas omnia, amare præ omnibus.* Ego certè nequeo perspicere, ubinam nostræ voluntates, nostræque appetitiones sint, si externo hìc quopiam incitamento egent, nec potiùs per sese, atque innato suo pondere ad exercitationem adeò sibi convenientem nos rapiunt. Quid enim? mutatáne est rerum natura? Amisítne bonum insitam sibi pelliciendi amoris virtutem? Nec voluntas usitatam erga suum objectum propensionem jam retinet, & simulacri aliunde, & vim sibi inferre opus habet ad amandum a-

mabile? Quin imò tam à vero alienum id eſt, támque vehemens in ea permanet naturalis ſuus inſtinctus erga quodvis objectum, in quo amabilitatis quidpiam ſeu videat, ſeu videre ſe arbitretur, ut ad eam retinendam, nè poſt bona inania, vetita, & pernicioſa cæco impetu ruat, neceſſarii ſint, & ſæpe vix ſufficiant omnes in adverſum rectæ rationis conatus. Nisi fortè opinemur, hanc rapiendæ illius vim boni tantummodo imaginarii, puſilli, ac mutabilis, non verò ſummi, perfecti, & infiniti boni eſſe propriam. Quod perinde abſurdum foret; ac ſi nequidquam naturali ratione, ipsáque adeò experientia reclamante opinaremur, ſeu calefaciendi vim, nulli non igniculo communem, Veſuvii incendiis deeſſe; ſeu illuminando aëri tenuem quemvis lychnum ſufficere, immenſam verò ſolis lampadem non ſufficere; ſeu tandem, ubi ſumma agendi ſit virtus, ibi minorem, majoríque cum labore effectum produci. Durum quid, ar duúmque, & violentum videtur cuipiam DEUM amare? At ego contra aſſevero, ſi ille locò præcepti interdictum potiùs hominibus ſe amandi poſuiſſet; hoc fore, quod maximè durum, & grave videri nobis deberet inter omnia divinæ Legis præcepta. Uſque adeò

adeò voluntas humana ſummi illius boni causâ facta eſt, proin, dummodo illud rite cognoſcat, proprio quodam, & neceſſario penè inſtinctu ad illius amorem urgetur.

CAPUT VIII.

Quàm plenum, & univerſale ſuper omnem animam ſit amoris dominium: quantáque cum facilitate, qui ex toto corde amat DEUM, cæteros quoque ſui animi affectus, & motus eidem ſubjiciat.

AMor unus quidam re ipſa eſt affectus, ſed qui omnium affectuum inſtar videri poſſit: adeò ſuam omnibus imprimit ſpeciē, omnéſque pro arbitratu ſuo moderatur, & ſervire ſuis propenſionibus cogit. Si erga objectum aliquod per deſiderium tendimus, amor eò nos impellit. Si ab aliquo alio per odium, & averſationem refugimus, idem nos indè avocat. Ille ſupremum mobile eſt, quod inferiores omnes orbes in noſtro microcoſmo circumagit: ille princeps rota, quæ reliquis omnibus in animæ noſtræ horologio motum

impertit: ille demum secunda hominis natura, unde illius omnis seu motus, seu quies originem ducit: *Principium movendi, & quiescendi, in quo est.* (*Arist. L. 2. Phys. tex. 3.*) Quò se cunque ille vertat, & qualiscunque sit, eodem illico verti, & talem prorsus esse totam animam videas. Ab illo incipit, cessante illo cessat, próque illius varietate, variat omnis nostra operatio. Ità sanè Dionysius Areopagita censuit, nullam in mundo rem moveri, aut operari aliquid scribens, nisi per amorem, sive à natura insitum, sive in appetitu sensibili ortum, sive à voluntate conceptum. (*De Div. Nom. c. 4.*) *Propter amorem boni omnia agunt, quæcunque agunt.* Ità visum quoque D. Augustino est: tum ubi affirmat, fieri ab amore in animabus, quod à pondere fit in corporibus: ideóque, veluti hæc non moventur, nisi quò illa suum pondus impulerit; sic neque alios esse animarum motus, nisi qui ab amore imprimuntur: (*L. 13. Conf. c. 9.*) *Pondus meum amor meus: eo feror, quocunque feror*; tum ubi statuit, talem unumquemque, bonum nempe, aut malum esse, qualis seu bonus, seu malus illius amor sit. Cùm neque aliunde, quàm ex hominis moribus argui illius bonitas, & malitia possit; neque

que vel mores cujuſquam ab ejuſdem actibus, vel actus ab affectibus, vel affectus poſtremò ab amore, qui eorum omnium univerſalis cauſa eſt, in bonitate, aut malitia diſſideant. (*Ep. 52. ad Maced.*) *Non faciunt bonos, vel malos mores, niſi boni, vel mali amores:* ac proinde *talis eſt quiſque, qualis ejus dilectio.* (*Tr. 2. in Ep. Joa.*) Nec diverſa Thomæ Aquinatis mens fuit, dum omnes animi affectus ab amore ſimiliter proficiſci docet, ac omnes unius arboris rami ex eadem radice oriuntur. (*1. p. qu. 20. a. 1. & 1. 2. qu. 25. a. 2.*) *Omnes alii actus appetitivi præſupponunt amorem, quaſi primam radicem:* ſuum hoc effatum confirmans naturali ordine, ſecundùm quem proprium amoris objectum cæterorum quæque affectuum objecta neceſſariò præcedit. Quemadmodum enim bonum poteſt animo concipi, merè prout bonum, & ſinè ulla abſentis, vel præſentis imagine, ſub qua proprium eſt deſiderii, ſpei, & voluptatis illud reſpicere, multóque magìs ſeorſum ab ea mali ſpecie, quam propoſitam ſibi habere, odii, averſationis, timoris, triſtitiæ, atque iræ affectibus convenit: at nullum contra ex hujuſmodi objectis ſinè præcedenti aliqua illius repræſentatione concipi poteſt: ſic amor quoque, cujus ſpeciale diſ-

crimen à reliquis animi affectionibus est, bonum prout merè tale intueri; debet iis omnibus, perinde ut ipsius objectum earum omnium objectis, naturæ primatu, & ordinis prærogativâ anteire: adeò ut neque ipse ullâ earum ad existendum indigeat; neque earum ulla, nisi per ipsum excitari in animo queat.

2. Quanquam, quid opus est accersitis hinc indè testimoniis veritatem comprobare; cujus sibi testis unusquisque certissimus esse potest, dummodo mentis oculos ad interiorem suam agendi rationem reflectat. Idque ut manifestiùs fiat, quæro ex te, Lector, cur hoc, illúdve bonum cupias, speres, adesse gaudeas, contra autem hoc, vel illud malum oderis, metuas, síque acciderit, irâ, & mœrore perturberis. Ullámne depromere aliam potes hujuscemodi affectuum causam, præter tuum amorem erga personam, cui primum utile est, alterum verò adversatur? Nullam certè aliam: nam cæteroqui, si amor iste abesset; tam parùm illa bona, vel mala te afficerent; quàm parùm afficiunt eorum bona, vel mala, quos minimè amas. Ità omnino se res habet: Eadem objecta, si amemus, nostros animos commovent: si non amemus, prorsus immotos, & sinè ullo sui sensu relinquunt. Unde qui-

quivis facilè colligat, amorem convenientiſſimè dici poſſe novam ipſius animæ animam: ideóque, velut corpus animâ deſtitutum neque videt, quæ præ oculis habet; neque audit, quæ ad aures ſuas accidunt; ſic animam quoque, ſi omni amore eſſet vacua, eſto bona, atque mala illius menti ſe objicerent; perſtituram tamen mortuæ, & nihil ſentienti ſimilem, abſque ullo penitùs vel propenſionis ad illa, vel fugæ ab his motu.

3. Imò tam naturale amori eſt, univerſos animi affectus pro ſuo arbitratu excitare, iiſque tanquam adminiſtris uti, ut D. Auguſtinus vix ullam inter ipſum, atque illos diſtinctionem admittat, neque in ſenſu minùs lato, & univerſali videatur nomen amoris, quàm nomen affectûs accipere. Unde eſt, quòd omnem affectuum diverſitatem ad diverſas tantummodo revocet amoris unius qualitates: nihil eſſe uliud cupiditatem affirmans, nisì amorem abſentis boni inveniendi ſolicitum: nihil aliud lætitiam, nisì amorem in bono jam reperto acquieſcentem: nihil aliud timorem, nisì amorem profugum ab objectis ſuo bono contrariis: nihil aliud triſtitiam, nisì amorem de hujuſmodi contrariorum præſentia ægrũ. En ipſa ejus verba: (*L. 14. de Civ. c. 7.*) *A-*

mor inhians habere, quod amatur, cupiditas est: id autem habens, eóque fruens, lætitia: fugiens, quod ei adversatur, timor est: idque, si acciderit, sentiens, tristitia est. Quæ tam latè patens amoris significatio, & natura confirmari videtur recepto apud Theologos sentiendi, & loquendi usu circa præcipuum inter omnes amores, nempe amorem divinum: cùm quemcunque actum voluntatis, qui pro objecto DEUM habeat, sive ille desiderium sit, seu gaudium, seu spes, amoris divini actum vocitent: tanquam si amoris nomen generis ratio sit, eadem in quovis prædictorum actuum, quæ per adjunctas unius ab altero peculiares differentias, jam spei, jam desiderii, jam gaudii species constituat.

4. Verùm hæ omnes loquendi formæ nihil denique exprimunt aliud, nisi amorem unum esse, à quo cæteri omnes affectus excitantur in anima, eámque hoc, vel illo pacto commovendi vim habent: ut propterea dici possit unus ipse agere, quidquid ab eorum singulis agitur: quemadmodum supremus copiarum Imperator dicitur victoriam reportare de hostibus, ab exercitu suo profligatis: & Princeps palatium ædificare, quod à fabris illius jussu, atque impensis exstruitur. Unde

An-

Angelicus Doctor post duplicem rationem propositam, qua universale dici aliquid possit, nempe vel secundùm affirmationem, cujusmodi est quodvis genus plures species complexum; vel secundùm operandi virtutem, cujusmodi quævis causa, producendis quibusque alicujus generis effectibus par; concludit: in posteriori hac significatione affectûs universalis titulum amori congruere. (1. 2. *qu 46. a. 1.*) *Generale dupliciter dicitur: uno modo per prædicationem, quemadmodum animal est generale ad omnia animalia: alio modo per causam, sicut sol est causa generalis omnium, quæ generantur. Et per hunc modum potest dici generalis passio amor, ùt patet per Augustinum. Amor enim est prima radix omnium passionum.* En igitur, quid interpretis tam idoneo testimonio Augustinus intellexerit, cuilibet primariarum quatuor affectionum amoris nomen tribuens hoc, aut illo modo operantis: non aliud profectò intellexit, nisi prædictos omnes animi motus vi amoris, tanquam universalis eorum causæ excitari: atque ità per metonymiam, effectui nomen accommodans, cupiditatem, lætitiam, metum, atque ægritudinem, tanquam motus ab amore produci in anima solitos, amoris cupidi, læti, metuentis, atque ægri vocabulo expressit.

5. Idem

5. Idem quoque dicendum est de pervulgato apud Theologos more, divinum amorem vocandi quoscunque desiderii, gaudii, vel alterius speciei affectus, qui pro suo incitamento, & objecto bonitatem DEI habeant: nimirum neque ipsos in prædictis affectibus propriam, & germanam amoris indolem, sed meram solumodo effectuum ab ipso productorum rationem agnoscere. Præsertim, quòd Theologi amorem divinum non tantùm pro unico affectu inter cæteros omnes primo, ac præcipuo; verùm etiam pro peculiari virtute accipiant, cujus objectum DEUS sit, prout bonum in se ipso infinitum, & ad quam omnes nostri actus, summo illo objecto impellente concepti, esto cæteroqui alii ab aliis diversi pertineant: idque propter singularem excellentiam, quam inter omnes hujusmodi actus ille unus præseseert, qui amor propriè appellatur: dignus hac de causa illis visus, qui universæ virtuti, ceu illius pars præcipua, & singulis quibusque ejus actibus, tanquam commune omnium principium, nomen suum impertiretur. Ad quam rem luculentiùs declarandam, exemplo esse potest Theologicarum virtutum alia, quæ, licèt ipsa quoque ex permultis, diversisque affecti-

bus

bus conſtet; ab eorum tamen uno, ſpe videlicet, ſuum nomen deſumpſit. Quemadmodum ibi timorem, odiúmque peccati inter proprios Theologicæ ſpei actus recenſemus, ſpem accipientes, haudquaquam in primario ſuo ſenſu pro certa, & ab omnibus aliis differenti affectione animi: (ad eam quippe ità ſumptam nullo modo poſſet timor, aut odium ſpectare) ſed in novo, amplioríque ſignificatu, à Theologis ei ſuperaddito, pro una quapiam nimirum peculiari virtute, omnes illos actus complexa, qui, licèt ſecundùm proprias ſuas ſpecies ab invicem differant; in ratione tamen DEUM aſpiciendi, tanquam ſummum hominis bonum, indiſcriminatim conveniunt; ſic amoris Theologici nomine inſigniri ſolent univerſi, & ſinguli actus, ſive odii, ſive deſiderii, ſive alterius cujuslibet generis, ad quos concipiendos infinita DEI bonitas per ſe ipſam ſpectata incitamentum, atque cauſam voluntati præbuerit: quia licèt ii minimè ad amorem pertinent, in germana, & nativa ſignificatione ſua acceptũ, pro primo videlicet, ac cæteris omnibus præeunte animi affectu; poſſunt tamen ad eundem ſpectare in latiori alio ſenſu conſideratum, ceu ſupremam nimirum inter omnes Chriſtianas virtutes.

6. Cæ-

6. Cæterùm necesse omnino esse, ut inter affectus boni studiosos. putà desiderium, spémque, & lætitiam, alius itèm quispiam, diversæ ab iis omnibus speciei, & eos omnes natura præcurrens, nempe amor existat, tam liquidò cuilibet patet, ùt nemo est, quin palàm perspiciat, neutiquam posse à nobis ulli personæ boni quidpiam desiderari, & sperari, quódque ipsa eo potiatur, gauderi sinè præcedenti alio erga ipsam affectu, qui minimè sit vera spes, verúmque desiderium, & gaudium, sed necessaria duntaxat secundariorum ejusmodi affectuum causa: nempe nisì priùs eam personam amemus. Adde, quòd bonum, ceu à nobis jam ùt præsens, jam ùt absens concipitur, alitérque hac, vel illa ratione conceptum nos afficit; ità concipi adhuc potest, quasi ab omni tum præsentia, tum absentia per mentis apprehensionem sejunctum, & aliquem sub hac itidem specie in animo affectum ciere. Quæro jam, cujusmodi futurus sit ille affectus, quem tunc excitabit. Desiderium certè, aut spes esse non poterit: cùm hi affectus necessariò requirant, desideratum, speratúmve bonum, quasi absens animo concipi. Sed neque lætitia: cùm hujus proprium sit, non nisì ex præsentis boni objectu ex-

ci-

citari. Reliquum ergo est, ut motus animi esse debeat, tum à prædictis bonum appetentibus, tum ab aliis malum fugitantibus differens: ille scilicet, quem amorem speciatim vocamus, quique propterea definiri potest, affectus in appetitu proveniens ex imaginatione boni, merè prout boni, neque ullam insuper exhibentis seu præsentiæ, seu absentiæ suæ speciem. Quòd si aliquis propriam illius indolem, rationémque, qua erga bonum fertur, paulò sibi distinctiùs explicari cuperet; non alia meliori explicatione uti possem, quàm quæ relicta à D. Thoma est, dum amorem aliàs *complacentiam boni*, aliàs *inclinationem quamdam ad bonum* vocavit: (*1. 2. qu. 23. a. 4. & qu. 25. a. 2.*) Secundùm hanc itaque Doctoris Angelici descriptionem, & veluti imaginem, amare aliquid nihil significabit aliud, nisi in appetitu experiri intimam quamdam erga ipsum propensionem, & nescio quem quasi impulsum, non utique ad illud re ipsa acquirendum, (hoc enim proprium desiderii est) sed ad contemplandum, & præsens in animo habendum: nec non præterea illud approbare, lætúmque & contentum eo esse, non quòd jam possideatur, utilitatémque aliquam afferat, (id enim ad lætitiæ, gaudiique affectum

ctum pertinet) sed soluumodo, quia bonum in se ipso est. Ac proinde, quoties boni quidpiam mente apprehendimus, nullo pacto advertentes, careamúsne illo, an potiamur, sed de sola bonitate illius cogitantes, ergáque illud ità conceptum nos suaviter rapi, & dulci sympathia affici persentiscimus; tunc enim verò dici poterit, quòd illud affectu, qui merè, propriáque amor est, prosequamur. Unde etiam colligere rationem fas est præcipuæ illius efficacitatis, qua pulchritudo rapere in sui amorem animos solet: cúrque illam Platonici potissimum esse, imò unicum objectum doceant, cujus gratiâ amandi facultatem à natura acceperimus. (*Max. Tyr. Diss. 11.*) Cùm enim teste D. Thoma, (*1. 2. qu. 25. a. 2.*) *nihil aliud sit amor, quàm complacentia boni*, nihílque aliud pulchrum esse omnes sentiant; quàm objectum bonitatis suæ merito placere intuentibus natum, manifestò apparet, quanta inter utrumque convenientia, & proportio intercedat: quámque naturale, nè dicam necessarium voluntati sit pulchrum amare: nimirum delectari de objecto, quod aspici nequit, quin aspicientes delectet.

8. Constituto igitur, & rite admisso, primum hunc boni gustum, qui amor specialiter nun-

nuncupatur, esse animi affectum, quibuslibet aliis necessariò priorem, adeóque omnes illos auspiciis suis moderantem, ut nullus seu excitari possit, nisi ipse jusserit; seu permanere, nisi quamdiu ipsi libeat; seu tendere, nisi, quò ipse impellat: posito hoc, dixi, admissóque: apertissimè indidem sequitur, ad illam inducendam in affectus hominis formam nihil ultrà requiri, quàm ut eadem in amorem hominis inducatur: illúdque objectum, quod animæ amorem suo dominatui subjecerit, ejusdem simul animæ, omniúmque illius motuum posse Dominum dici. Simili pacto, ac Margaritarum piscatores, ubi illam unam, quæ instar Ducis, ac Reginæ, aliarum minorum vulgus solet post se trahere, in suam potestatem redegêre; (*Ælianus* L. 14.) nullo jam negotio cæteram quoque multitudinem, utpote amisso sui cursûs rectore incertam, & immobilem capiunt. Cùm itaque conatus ego jam pro viribus sim, Lectorum meorum animos ad DEUM omni ope, studióque amandum impellere, tum in prima operis parte, ubi incomparabiles illius prærogativas fusè, ac singillatim descripsi; tum in proximo superiori capite, ubi simul coacervavi, & voluntati pressiùs admovi, quæcun-

que incitare illam poterant, ut divino se amori totam devoveret; videri jam possum ad ultimas perveniſſe mei operis metas: nec quidquam cauſæ habere, cur illud ulteriùs pertexam, ſuadendo, hortandóque, ut de DEO aſſiduè cogitetur, ut illius gloria curæ ſit, ut de infinita illius beatitudine gaudeatur, útque cæteri erga illum exerceantur affectus, quos erga dilectas ſibi perſonas ſua ſponte, & ſinè ullis aliorum hortatibus exercere quilibet ſolet. Vel enim divinus ille, de quo egimus, amor in Lectorum animis excitatus jam eſt; vel nullis, quæ adhibita hactenus ſunt, argumentis excitari ſat potuit. Si altero hoc modo ſe res habet, nè quidquam ſperari poteſt futurum, ut ii primo hoc gradu nondum facto ad ulteriores procedant. Nam, veluti nemo id poteſt amare, quod necdum noverit; ſic neque deſiderium, ſpem, gaudium, ſive alium quemvis affectum concipere erga id, quod non amet. Ac proinde, quemadmodum inconſultè ageret, qui conaretur ad amorem objecti mihi ignoti me confeſtim impellere, ſed curandum tantummodo ipſi eſſet, ut ejuſmodi objectum amaturus neceſſariam mihi priùs illius notitiam compararem; ità ſtultus labor meus eſſet, ſi ad DEUM inceſ-

ceſſanter animò retractandum, & majorem ipſius gloriam ubique exquirendam ſedulò, inſtantérque adhortandos ſumerem, qui omni ejus amore ſint vacui: nec aliud ſuadere talibus poſſem, nisì ut idoneam ad prædictos actus habilitatem conſecuturi eximium DEI amorem, unde ii tanquam ex unico, & neceſſario ſuo principio oriuntur, ſtuderent in ſe ipſis accendere. Sin verò primum illud accidit, & ſacer hic amor excitatus jam abunde in Lectorum animis eſt; ſupervacuus, imprudénſque, & hominis ſtultè actum agentis labor fuerit, novos his ſtimulos addere, ut eos erga DEUM voluntatis actus exerceant, ad quos prædictus illius amor ſinè ullo alio, & plùs quovis alio exteriori incitamento urgere animos, qui penitùs ſe conceperint, ſolet. Non aliter ac ſupervacuè, ineptéque agere ab omnibus diceretur, qui magnopere laboraret efficere, ut lapis alta è turri demiſſus, humum versùs tenderet, quò ſinè ulla alterius operatione ab innato ſuo pondere continenter impellitur.

8. Sed quamvis ſecundùm rationes hìc propoſitas alienum à prudentia, & recto conſilio videatur, ad proprias divini amoris exercitationes eos incitare qui ad DEUM rite a-

mandum, quantùm fieri poterat, incitati pridem sunt, tanquam opus vel minimè valiturum, si prædictum ii amorem nondum conceperint, vel minimè necessarium, si eo succensi jam sint; plus tamen ponderis, ut nè supervacuum existimem, divino amore flagrantibus secundarios hujusce amoris actus commendare, habet penes me sequens ratio. Quia nimirum, licèt anima principium aliquod intrà se habeat, ad nonnullorum actuum exercitationem se inclinans; si tamen illud subindè expergefacere, vividúmque tueri, & nativa illius virtute uti per socordiam negligat; fieri utique potest, & sæpe revera fit, ut ii actus vel nullo modo, vel remissè admodum, languidéque exerceantur. Sic exempli gratiâ, licèt primæ duæ syllogismi evidentis propositiones principium sint ad tertiam admittendam validissimè impellens; potest tamen, qui ratiocinatur, postquam firmissimè assensus illis est, vel quòd progredi usque ad conclusionem nolit, vel quòd aliò interim mentem averterit, minùs perfectum, imò etiam nullum aliquando huic assensum præstare. Quemadmodum igitur nequit supervacuus, & inutilis meus labor videri, si conclusionem aliquam homini ejus ignaro de-

demonstraturus post allatas propositiones, unde ipsa evidenter sequitur, illam quoque ipsam conceptis verbis expressam, & diserta illius confessione sanciendam adjunxero: imò sic agens meliùs assequor, ut eam ille evidenter percipiat, indubitantérque admittat, quàm si contentus illius consensu circa solas veritates prævias, mihíque persuadens, conclusionem palàm inibi inclusam ab ipso per sese erutum iri; vel nullo illam pacto, vel intrà unũ *ergo* contractam, depromerem; simili ratione, quamvìs amor naturali suo instinctu reliquos omnes animi affectus erga objectum suum rapiat, neque minùs legitima hæc conclusio sit, tu amas DEUM; ergo in votis tibi esse, & afferre lætitiam debet, quidquid ad gloriam illius facit; quàm hæc alia, sol lucet, ergo dies est; non tamen jure dici ego potero, actum inutiliter agere, si, postquam meos Lectores ad DEUM toto pectore amandum permoverim, commendare illis pergam eorum exercitationem affectuum, ad quos cæteroqui ipsemet illius amor solet impellere, palàm iis faciendo consequentis hujus cum principio illo nexum. Imò, hanc agendi viam iniens, efficaciùs ab iis obtinebo, ut prædictum consequens practicè, ac re ipsa ex prin-

cipio illo eruant, nempe ut ea, qua par est, sedulitate ad exercendos affectus amoris sui proprios incumbant; quàm, si satìs haberem, prædictum tantummodo amorem in eorum cordibus inseruisse: sperans, mox illos, quamvis nullo præterea incitante à sola ejusdem vi abunde impulsum iri ad consentaneos ei actus promendos. Cùm fieri è contrario posset, ut seu per voluntatis torporem, & desidiam, seu ob mentis hac illac discursantis aberrationem, otiosum in suo animo id principium relinquerent, nec, quo decet studio, & conatu applicarent ad eorum productionem effectuum, qui in nativa illius vi continentur.

9. Hujusmodi, inquam, est ratio, quæ mihi persuadet, pios quoslibet erga DEUM affectus posse utiliter vel iis commendari, qui sacro illius amore succensi quàm intimum, tam perpetuum, & efficax in hoc habent ad eos exercendos incitamentum. Quapropter in reliquis hujus libri capitibus pergam, ceu ejusdem initio proposui, de affectibus loqui, ad quos proprium cujusvis amoris est, suo igne jam correptos impellere: déque illis loquar, haud novas uniuscujusque rationes ex DEI amabilitate depromens, sed ostendens Lectori quem apud me statuo, firmum ex pri-

pridem dictis jam concepisse, inque animo fovere propositum amandi DEUM ex toto corde, ex tota mente, & ex totis viribus suis) quàm intima unicuique ex hujusmodi affectibus cum prædicto suo amore intercedat cognatio: quámque conveniens, proclive, & vix non necessarium sit eos exercere, proprium ipsorum principium, & semen intrà se habenti. Quod erit, conceptum ab eo amorem, ut alacriùs, promptiúsque operetur, quasi concutere, agitare, & innatæ virtutis suæ commonere: quemadmodum, etiam absque novo lignorum adjectu, ex mera sufflatione vegetiorem fieri, & vividiùs exardescere ignem aspicimus. Priùs tamen, quàm id facere fingillatim aggrediar, operæ mihi pretium videtur, de generali quadam conditione agere, quam nostro erga DEUM amori inesse admodum cupio, ceu plurimum momenti allaturam, ut, quantò suaviùs, tantò etiam fructuosiùs propositæ illius exercitationi operam demus.

CAPUT IX.

Curandum esse, ut noster erga DEUM amor sit jucundus, hilaris, & confidens, qualis solet esse erga amicum, aut patrem.

SApienter pronuntiatum à veteri Poëta est: (*Ov. 3. Metam.*) *Non convenire amori cum majestate.* Exuat supercilium, & Principi patrem misceat, oportet, qui amari filiorum ritu à subditis vult. Si semper authoritatis suæ pondere eos premat, nunquam, nisi dominantis vultu aspiciat, nunquam sibi adstare, nisi famulari cum submissione patiatur; timeri quidem, & observari ab iis poterit; impensè, flagrantérque amari non poterit. Hinc adeò usitatum, & solenne multis Ducibus fuit, quò militum sibi animos arctiori benevolentia devincirent; omni fastu abdicato, contubernalium ritu cum iis agere, & ad intimam omnem familiaritatem, & tantùm non æqualitatem descendere. Qualem inter alios Cnejum Pompejum Cicero exhibet, adeò in congressibus humanum, & comem; (*Or. de Leg. Man.*) *Ut is, qui dignitate Principibus excellebat, fa-*

facilitate par infimis esse videretur. At si Principum quisquam hac ingenii, animíque benignitate erga subditos fuit; altissimus totius universitatis Dominator quàm maximè est: volénsque à nostra humilitate intimè amari, non tantùm permittit, verùm etiam ex animo cupit, ut salvis observantiæ sibi debitæ legibus eam cæteroqui inter agendum cum ipso familiaritatem usurpemus qua quilibet cum veteri amico, & sodali, vel filius cum indulgentissimo parente uti solet.

2. Et verò ullane supremus ille mundi Arbiter luculentiora exhibere nobis poterat sui hujusce animi documenta, quàm quæ per inauditam quamdam benignitatem toties exhibuit, assiduéque exhibet? Ultimæ popularitatis significationes, ad quas Principum quispiam sese possit demittere, sunt, quantùm animo assequor, si externo quovis fortunæ apparatu deposito plebeji hominis habitum induat, solus, & sinè ullis stipatoribus infimorum civium domos subeat, agat, deambulet, epuletur cum ipsis, non aliter, quàm si ex ipsorum numero unus foret, fratres, sodalésque eos appellet, nec iisdem nominibus compellari ab iis dedignetur. At numquid non hoc prorsus pacto cælestis se Dominus erga

nos gessit ? Nónne obtectis pannoso servi schemate Divinitatis fulgoribus ex altissimo suo solio in ima terrarum descendit, mortalem hìc vitam non uno, alteróve tantùm die, sed triginta tribus ipsis annis nobiscum acturus : quin imò neque in immortalem suam regiam reversus, pudori sibi ducit, ignobile nostræ carnis indumentum gestare : pergítque etiamnum inter nos hìc morari; *omnibus diebus usque ad consummationem sæculi*, abjectiorem humano habitum, panis nempe imaginem præferens : & sub vili adeò specie non domos duntaxat, sed ipsamet viscera contemptissimi cujusque homuncionis subire, factus inauditæ familiaritatis prodigio nedum homo, sed hominum cibus. Neque his omnibus suæ satìs indulgentiæ factum existimans, nè infinitæ majestatis suæ species nostram humilitatem servili terrore à se arceret; quibus exquisitissimis loquendi formulis suam erga nos charitatem exprimere, & animos nobis facere ad liberi amoris fiduciam omisit ? Nónne illum in Proverbiis audimus, dicentem: (*c. 8.*) *Deliciæ meæ esse cum filiis hominum* ? Nónne per Isaiam pollicetur, nunquam fore, ut nostri obliviscatur. (*c. 49.*) *Numquid oblivisci potest mulier infantem suum, ut non miserea-*

reatur filio uteri sui? Et si illa oblita fuerit, ego non obliviscar tui: addens præterea, delicias se nobis facturum iis similes, quas facere suis matres infantulis solent: (*c. 66.*) *Ad ubera portabimini, & super genua blandientur vobis. Quomodo si cui mater blandiatur; ità ego consolabor vos.* Nónne dilecti sui discipuli verbis testatur, nequaquam pro servis nos apud se esse, quales cæteroqui naturâ sumus: *Jam non dicam vos servos:* sed pro amicis, *vos autem dixi amicos:* imò etiam pro filiis, *Videte, qualem charitatem dedit nobis Pater, ut filii DEI nominemur, & simus?* (*Euang. c. 15. Ep. 1. c. 3*) An non demum in D. Matthæi Euangelio jubet se à nobis cum eo agere incipientibus statim Patrem vocari, (*c. 6.*) *Sic ergo vos orabitis: Pater noster, qui es in cælis.* Quod tantæ familiaritatis nomen, prout S. Cyprianus observat, (*De Orat. Dom.*) *Nemo nostrûm in oratione ausus esset attingere, nisi ipse nobis sic permisisset orare.* Quanquam parùm adhuc visum ipsi est, Patrem se à nobis vocitari; sed vult insuper, ut ejusmodi nomen sibi tribuamus cum ea simplicitate, & confidentia, qua pueruli etiamnum balbutientes proferre illud inter loquendum cum suis patribus solent. Ità sanè interpretatur Theodoretus illa D. Pauli verba

ba ad Romanos: (*c. 8.*) *Non enim accepistis spiritum servitutis, sed spiritum adoptionis, in quo clamamus, Abba Pater.* Abba siquidem in sermone Syriaco Patrem denotat, sed puerili more prolatum, ceu *Tata* apud Latinos: ut proinde, dicens Apostolus, nos à Spiritu sancto incitari ad compellandum DEUM hac voce, *Abba Pater*; non aliud juxta prædicti Authoris explicationem innuat, quàm incitari ad DEUM, audacula, & simplici puerorum libertate, Patrem vocandum. (*In Ep. ad Rom.*) *Adjecit Abba, ostendens libertatem dicendi. Pueri enim majori libertate utentes apud patres frequentiùs ad eo ea voce utuntur.* Et post hæc à DEO nobis præbita amoris usque adeò non efficacis duntaxat, sed & suavis, ac teneri monumenta, erit adhuc, qui timeat, nè ille servili potiùs cum trepidatione, quàm confidenti, amicáque cum libertate agi secum ab hominibus velit? Certè, cùm filiorum, & amicorum in numero nos habere se prædicet, Patérque à nobis, imò & *Abba Pater* appellari gaudeat; dubium esse nemini potest, quin fiduciam hujusmodi nominum propriam peculiari approbet modo, & gratissimam habeat.

3. Idque novo adhuc argumento confirmatur validiùs. Quia, si quæ in contrarium sup-

ſuppeteret ratio; hæc vel unica, vel potiſſima videtur fore, quòd per noſtram hujuſmodi familiaritatem vileſcere, aut minui saltèm poſſet creatâ omni infinitè auguſtior, ſupremi imperatoris majeſtas. Qua de cauſa terreni Principes haud ſolent ad promiſcuam cum vulgo conſuetudinem ſe demittere, neque liberam ſubditis facultatem dare ſecum familiariùs agendi: imò ſi eorum fors quiſpiam ultrò ſibi illam ſumat, iniquo animo audaciam hanc ferunt: & meminiſſe hominem ſubmiſſionis debitæ jubent. Quemadmodum feciſſe Auguſtus Cæſar traditur, cùm à neſcio quo civium invitatus ad cœnam, ſed parcè admodum, & apparatu, qui ſodali potiùs conveniret, quàm Cæſari, acceptus fuiſſet, dicens illi in digreſſu, (*Macr. L. 2. Saturn. c. 4.*) *Neſciebam, me tibi adeò familiarem eſſe.* Ut de Septimio Severo interim taceam: (*Spart. in Severo.*) qui, antequam ad imperii culmen conſcenderet, Legatus in Africa, quòd vetus quidam ſuus familiaris, ſed plebejus, de nova amici dignitate geſtiens; ad amplexandum eum cucurriſſet, ægrè adeò ingenuam illam hominis ſimplicitatem tulit, ut protinus virgis cædi illum juſſerit, præcóne interim clamante, condiſcant hinc plebeji homines, reve-

verentiùs deinceps cum populi Romani Legato agere. Sed prædicta ratio nihil loci, viriúmque in DEO habet. Si enim terrarum Domini peculiarem aliquam exigere à vulgo in exteriori ſecum conſuetudine reverentiam ſolent, indè id provenit, quòd eorum magnitudo, & poteſtas, utpote adventitia, fundamento admodum fragili nititur, pluribúſque ad retinendam ſubjectorum venerationem adminiculis eget. Cùm cæleſtis, æterníque Regnatoris majeſtas, ceu finitum omnem modum prætergreditur, nec alibi, quàm in ipſamet divina ſua eſſentia conſiſtit; ſic extra timoris aleam ſit, nè per quamcunque erga ſubjectos ſui acclinationem decreſcat. *Poſſum cum eo converſari*, ſcribit D. Tereſia, (*In Rel. vit. c. 33.*) *tanquam cum amico, etiamſi revera ſit Dominus. Novi enim, haudquaquam ex illorum numero eum eſſe, quos hìc compellamus Dominos, quíque totam ſuam dominationem in factitia quadam, & extrinſecùs accerſita authoritate conſtituunt. O Rex gloriæ, & Domine dominantium, ſat liquidò apparet, regnum tuum nullis ſtatuminum, aſſerúmque fulturus ſuam firmitatem debere. Haud opus tibi eſt Aulicorum deducentium, & ſtipantium pompâ, ut Regem te prodas. Cùm terrenos contra Principes, qui ſolos, & abſque conſue-*

ſuetis ſatellitibus viderit, agnoſcere pro Principibus nequeat, utpote nihil per ſe habentes, unde ſupra reliquorum hominum vulgus emineant Quare aſcititiis hujuſmodi apparatibus, & authoritatis adminiculis egent, nulla alioqui in æſtimatione apud intuentes futuri, ceu nullam ex naturæ ſuæ privilegio peculiarem potentiam & dignitatem ſortiti. Imò tantùm à vero abeſt, DEUM, quia infinito dignitatis, potentiæ, & magnitudinis intervallo creatas res omnes excedit; congruentiorem indè cauſam habere, humanum genus à familiari ſecum conſuetudine arcendi; ut hoc ipſo nomine videatur ad intima quæque ſecum commercia illud poſſe tutiùs admittere. Cùm juxta veriſſimam Plinii obſervationem, quantò quiſque Princeps imperii amplitudine, & potentiâ plùs eminet, tantò minùs adeat periculum ſuæ apud ſubditos minuendæ authoritatis, ſi ſe illis, ſibíque illos populari affabilitate quodammodo miſceat. (*In Paneg.*) *Nam, cui nihil ad augendum faſtigium ſupereſt, hic uno modo creſcere poteſt, ſi ſe ipſe ſubmittat, ſecurus magnitudinis ſuæ. Neque enim ab ullo periculo fortuna Principum longiùs abeſt, quàm ab humilitate.* Unde etiam videmus, ceu à Dione additur, ſupremos populorum Rectores, ac Dominos minùs indignari, ſi quis fortè ex

præ-

præscriptis in aula reverentiæ, officiíque ritibus, non adeò scrupulosè observatus secum fuerit; quàm offendi propterea, & in contumeliæ suæ loco accipere idem soleant eorum ministri. *Qui enim* (ità memoratus Scriptor) *dignitate propria eminent, neque salutationes istas ab aliis requirunt; neque omissas vitio vertunt, gnari, non id ex contemptu sui fieri. At, qui ascititiis ornamentis utuntur, summopere ea, tanquam ad perfectionem suæ dignitatis necessaria, desiderant: ac, nisi consequantur, tanquam probro, incuriáque affecti commoventur. Quare magis ejusmodi homines, quàm ipsi ferè Imperatores sunt observandi. Nam apud hos virtutis locò habetur delictorum gratiam facere: apud illos verò, si quid delinquitur, imbecillitatem suam arguere creditur, faceréque ad firmandam potentiæ opinionem, si ulciscantur.* (L. 58.)

4. Denique nemo ibit inficias, gratum DEO esse, si eo secum modo agamus, qui nos maximè idoneos reddit ad perfectam ipsi exhidendam servitutem: cùm nihil ille aliud in mundi administratione, omnibúsque suis operibus spectet, nisi suam gloriam, hominúmque utilitatem, quæ ambo præstitus à nobis ei famulatus inseparabiliter continet. Atqui, si certissimè apud omnes id constat, cer-

certissimè itèm constet, necesse est, non posse DEO displicere, imò acceptam inprimis esse nostram hanc, de qua loquimur, familiarem, atque amicam cum eo conversandi rationem: quando neque DEI famulatus alibi magis positus, quàm in amore DEI est; neque alio nos pacto aptiores ad eum intimè amandum, quàm familiari, atque amica cum eo consuetudine efficimur. Et ad primæ quidem propositionis evidentiam satis est recordari, quæ in præcedenti capite de amoris natura universè statuimus: nempe hunc consistere in suavi quadam propensione animi erga objectum amatum, qualis est rerum sensu carentium propensio erga suum bonum, putà corporũ gravium erga mundi centrum: adeò ut, quemadmodum hæc minimè patitur corpora gravia, sive uspiam extra mundi centrum quiescere, sive ad alium quemquam terminum ferri, sed assiduis impulsibus eò versùs illa urget; sic amor, ubi potitus animâ est, illiúsque dominatum obtinet, neutiquam ei jam permittit sive intrà se ipsam quiescere, sive aliorsum, quàm erga bonum à se amatum moveri; sed ad hoc suum quasi centrum eam assiduè, omnésque illius motus impellit. Qua convenientia, & proportione observata, sci-

tè Augustinus & amorem vocavit pondus animæ, scribens: *Pondus meum amor meus: eo feror, quocunque feror;* & pondus amorem corporum, addens: *Amores corporum momenta sunt ponderum. Ità enim corpus pondere, sicut animus amore fertur, quocunque fertur:* (L. 11. de Civ. c. 28.) Hoc siquidem posito æquè manifestum fit, haud posse nos meliùs nostro Conditori, quàm eum amando servire; ac manifestè perspicitur, neque meliorem aliam nobis esse illi serviendi rationem, quàm si omnes nostrorum animorum motus ad eum dirigamus; neque ab ullo hoc exactiùs, quàm à vero, intimóque illius amatore præstari. Nihil itaque ultrà mihi obstat, quo minùs extra omne dubium cum Hugone Victorino concludam: *DEO servire, DEUM diligere est, &, qui non diligit, non servit: &, qui diligit, servit: &, qui parùm diligit, parùm servit: &, qui multùm diligit, multùm servit.* (*Serm. 88.*)

5. Jam verò ad fovendum, augendúmque hunc amorem, nempe hanc totius animæ, & omnium illius motuum collineationem in DEUM, ubi summa consistit divini famulatûs perfectio, liberalem fiduciam, quàm humilem metum plùs facere; veritas est nihilo priori minùs clara, & oculis patens. Cui enim du-

dubium esse possit, quin & propriissima amoris qualitas sit, libenter cum amato agere; & libentiùs unusquisque cum eo agat, quicum familiaritas sibi intercedat, quàm cum eo, quem revereri, ac timere tantummodo cogitur? Nemo certè oblectamenti locò ducit, assiduè versari coram Principe, rigido obsequii exactore, quique neminem ferat sibi adesse, nisi fronte submissa, & toto corpore ad humilem reverentiam composito. Quin imò servilis ille corporis, animique habitus, & violenta sese perpetuò circumspiciendi necessitas gravis adeò humanæ libertati accidit, ut tolerari diu nequeat. Cùm contrà Principis alterius consuetudo, qui se nobis familiarem exhibeat, & nostra secum familiaritate gaudeat, prorogari ad solidos dies, nedum sinè tædio, sed & jucundè, ac delectabiliter possit. Quapropter, si aliquis nunquam DEUM sibi aliter repræsentet, quàm ut infinitæ magnitudinis Dominum, & præ quo non ipse duntaxat, sed omnis quoque rerum creatarum universitas longè quid minùs, contemptiúsque atomo sit; næ tantæ majestatis terror, affectus parùm suapte natura delectabilis, remoræ ipsi potiùs, quàm invitamento erit ad eum sibi assiduè præsentem habendum,

illiúsque consuetudinem suaviter, ceu amantium mos est, toto die producendam. Secùs omnino, atque alteri usuveniet, qui concipere DEUM animo soleat, tanquam Dominum, infinitæ quidem majestatis, & potentiæ, sed & prodigiosæ adeò, immensæque benignitatis, ut nos abjectissima cæteroqui capita, & repentes humi vermiculos, filiorum in numero habeat, próque vero Patre à nobis haberi velit. Nempe hic, quantò digniorem summa omni veneratione, ac reverentia DEUM esse perspiciet, tantò suaviorem illius præsentiam, consuetudinémque experietur, ceu quæ in memoriam ei revocabit, tantum tòtius universitatis Dominum suum esse amicum, & Patrem. Ac proinde nîl laboris, molestiæque, imò plurimum voluptatis reperiet in continuanda per totum diem illius memoria: nec aliter ad orationem se conferet, quàm si ad amicum vocaretur, & miræ jucunditatis cõlloquium. Quia scilicet, prout verissimè ait D. Augustinus, vel quicunque alius composuit *Manuale*, ipsius nomini vulgò adscriptum, (*c.* 19. *&* 20.) *Qui amat, fiducialiter accedit ad* DEUM: DEUM *familiariter percontatur, consultátque de omni re. Amor dat familiaritatem, familiaritas ausum, ausus gustum.* Quid plu-

plura? Adeò ad quamcunque perſonam amandam neceſſarium videtur aliquid confidentiæ, & libertatis cum ea habere; ut D. Petrus Chryſologus nullum eſſe amori locum affirmet in corde, quod nimius occupaverit timor: (*Serm.* 147.) *Amare non poteſt, qui ſatis timet.* Quapropter cùm haud facilè amari intimo ex corde, ac medullitus queat, qui offuſo nimiæ majeſtatis terrore cor nobis adſtringit; concludi tandem poteſt, DEUM, ſicuti teſte D. Laurentio Juſtiniano, (*De Diſc. & Perf. Mon. Con. c.* 16.) noſtro magìs amore, quàm timore delectatur; (*ſemper enim omnipotenti DEO magìs complacuit amari, quàm timeri*) ità plus probare, ſi ad eum cum hilari filiorum confidentia, & libertate, quàm ſi cum ſervili anxietate, & ſubmiſſione accedamus. Quæ veritas uſque adeò certa apud Apoſtolum eſt, ut non contentus prolato ſuperiùs à nobis loco eam affirmâſſe, ſcribens Romanis: *Non enim accepiſtis ſpiritum ſervitutis in timore, ſed ſpiritum adoptionis, in quo clamamus, Abba Pater*; conteſtatam rurſus velit in ſecunda ad Timotheum epiſtola his verbis: *Non enim dedit nobis Dominus ſpiritum timoris, ſed virtutis, & dilectionis.* (*c.* 1.)

6. Unum id solummodo quæri posse hìc à quopiam videtur, num prædicta scilicet ratio familiariter, amicéque agendi cum DEO, quam adeò esse, & ipsi acceptam, & nobis utilem vidimus, ab omnibus promiscuè usurpanda sit; an iis tantùm conveniat, qui non mediocres in virtutis curriculo progressus jam fecerint? Qua super re nullum nihi occurrit expeditius, certiúsque responsum, quàm omnes laudabiliter affectaturos eam esse, qui capaces tum illius usurpandæ, tum spiritualis fructûs capiendi ex ea sint. Ubi primùm capacitatem illius usurpandæ requiro: nam, qui perexiguâ DEI notitiâ instructus foret, animámque vana æstimatione, & immodica cupiditate rerum terrenarum occupatam haberet; dubitari à nemine potest, quin ob ejusmodi impedimenta minimè aptus esset, ceu ad DEUM intimè amandum, sic ad illam familiariter, fidentérque cum eo agendi rationem, quæ non nisi intimè amantium est propria. Addo præterea, opus esse habilitate ad interiorem animi frugem ex ea referendam. Si quis enim nondum firmas radices in profunda sui nihili, extremæque suæ coram DEO vilitatis cognitione jeciisset, nec mortiferum quodvis crimen adeò supra omnia præsenti

vi-

vitæ mala horreret, ut nullius à longo pridem tempore admissi conscientiâ morderetur, næ illi necesse esset, talia spiritualis vitæ instrumenta, & præsidia sibi priùs comparare: alioquin locò percipiendi ex amica, & familiari cum DEO consuetudine utilitates illius proprias; noxia indè potiùs referret levitatis, fastûs, socordiæ, similiúmque animi pestium fomenta; in peccandi pericula temere se conjiciens, præ se alios parvi æstimans, solidarum virtutum exercitationem negligens, neque illam familiari suo ergaDEUM amori reverentiam conjungens, quam à familiari vel amicorum mortalium, & naturâ invicem parium consuetudine nunquam separari vult Tullius, exigens ab iis, ut *non solùm inter se diligant sed etiam vereantur.* (*De Amic.*)

7. Cæterùm, ubi id genus conditiones non desunt, sed aliquis & à lethalibus noxis procul se habet, & leviores itèm studet vitare, & pravis affectionibus subigendis, necessariísque virtutibus sibi comparandis operam navat, & persuasissimum habet, nihil se præ DEO esse, nihílque sinè gratuita, & assidua ope illius posse; ubi, dico, talis quispiam est, & ità secundùm ordinariam vivendi rationem compositus; non video, cur ex Christianæ

humilitatis impulsu, & suarum imperfectionum conscientia familiarem, atque amicam cum DEO conjunctionem refugere potiùs debeat, quàm ob fructus sibi indè proventuros appetere. Nisi fortè quis dicat, pertinere ad Christianam humilitatem, ut illius professores divina etiam munera, & spiritualia sua emolumenta repudient. Quod ubi admittetur, laudabilius jam erit, si unusquisque nulla interioris suæ utilitatis ratione habita à sanctissimo Christi corpore manducando, quantùm licet, abstineat: veluti à familiaritatis specimine, quo nullum edi inusitatum magis vel erga conjunctissimos hominum potest, quóque erga DEUM uti ultra omnem confidentiam, atque audaciam videatur. At cui unquam inter Theologicæ, seu scholasticæ, seu mysticæ Authores talem promulgare humilitatis regulam in mentem venit? Satis esto audire, quid visum de ea sit S. Teresiæ, insigni adeò rerum asceticarum magistræ. *Omittantur*, ait illa, (*In Itin. Perf. c.* 28.) *verecundiæ quidam sensus, quos nonnulli esse humilitatis putant: cùm tamen hæc non consistat in regiis muneribus repudiandis, sed in agnoscendo illa esse liberalitatem gratuitam, neque nostris meritis debitam. Lepidum enim verò humilitatis genus: ha-*

bere me domi ſupremum cæli, terrarúmque Imperatorem, qui eò acceſſit, ut ſua mihi dona impertiret, séque mecum oblectaret: nec modeſtiæ causâ velle ei reſpondere, cúmque eo converſari, &, quæ largitur, accipere. Nè curæ vobis ſit, filiæ, ità eſſe humiles: ſed agite cum illo, veluti cum parente, cum fratre, cum hero, & cum ſponſo. Cúrnam eſſe fatuæ velitis? Poſcite ab ipſo, ut ſtet pactis vobiſcum, &, cùm veſter ſponſus ſit, tanquam ſponſas vos tractet.

8. Præterea, ſi novus ille humilitatis canon legitimam vim obtineret, non rudes, ac novitii ſolummodo, ſed veterani inſuper, & conſummatiſſimi quique ſanctioris vitæ cultores procul ab omni amicæ familiaritatis auſu non aliter, quàm timida, ſervilíque cum reverentia DEO famulari deberent: cùm ipſi quoque nihilo prioribus minùs eſſe humiles debeant, minúſque dignos ſe credere, qui cum ſumma cæleſtis Domini majeſtate confidenter, amicéque agant. Libet itaque argumentari in hunc modum: Vel ad familiarem cum DEO conſuetudinem neceſſariò requiritur, dignum eâ uſurpandâ per ſe hominem eſſe; vel ſatìs eſt, illius uſum omnibus, qui ad ſpiritualem indè fructum percipiendum habiles ſunt, eſto cæteroqui immerentibus, & mi-

nimè dignis à divina bonitate permitti. Si prima pars verior videtur, nemo hominum, licèt sanctissimus, imò neque ullus vel supremi Chori Angelus, citra summam temeritatem affectare illam poterit. Sin alteram potiùs admittamus, cuilibet, dummodo majorem indè animi frugem se colligere experiatur, nedum extra omnem arrogantiæ notam, sed & magna cum prudentiæ laude ea uti licebit. Cùm nequeat DEUS pro minori erga se reverentia ducere, quod ad ampliorem nostram utilitatem conducit: ceu & suprà jam statuimus; & illis confirmatur, quæ in Concilio Ephesino pronuntiata sunt, gravissimis verbis: (*Ap. S. Th. p. 3. qu. 51. a. 1. ad 3.*) *Nihil horum, quæ salvant hominem, injuriam facit DEO: Nihil putat injuriam DEUS, quod est occasio salutis hominibus.* Vel hoc alio pacto eandem argumentationem instituo. Amicum, & familiare commercium cum DEO nemini tu esse permittendum contendis, nisi hominibus ad eximiam sanctitatem provectis. Cur, rogo, hisce solis? nullam certè aliam potes causam proferre, nisi quia ipsi tantùm vel capaces indè proficiendi, vel digni eo utendi sint. Atqui si primum dicis, non de summa, sed de quavis capacitate intelligens, temere id dicis,

&

& D. Bernardum palàm contradicentem tibi habes, qui Salomonis Cantica exponens, *Omnem animam*, docet, *licèt oneratam vitiis, irretitam peccatis, luto hærentem in se advertere posse, non modò unde respirare in spem misericordiæ queat; sed & unde aspirare audeat ad nuptias Verbi cum* DEO *inire fœdus societatis non trepidet, suave amoris jugum cum Rege Angelorum ducere non vereatur.* (*Serm. 83*) Si verò posteriori causæ inniteris, ex opinione tua sequitur, opus esse, ut qui amici, filiíque ritu conversari cum DEO vult, ità priùs apud se statuat, ego jam abunde in sanctimonia profeci, dignúsque sum, qui liberiùs, & confidentiùs cum DEO agam. Quod judicium, non video, quî excusari ab arrogantia possit: cùm illud concipiens non aliunde, quàm ex suis meritis audendi fiduciam sumat: saltèm multò minùs humile, ac modestum eo judicio videtur, quod ab hominibus etiamnum imperfectæ virtutis concipiendum esse ego affirmo, quando ad DEUM propiùs accedunt; nempe ut intrà se dicant; tanta est DEI magnitudo, & mea coram eo vilitas, ut indignus sim vel oculos ad eum intuendum tollere, ósque ad loquendum cum ipso aperire; nedum Patrem vocare, & tanquam cum tali jucundam consuetudinem instituere. Quia tamen & multùm

tùm mihi hoc conferre ad ſpiritualem profectum experior ; & ipſe pro ineffabili ſua benignitate, ut ſecum ſic agam, permittit, nolo cum animi detrimento illius dona reſpuere. Tantùm igitur à vero abeſt, eos, qui mediocriter in ſanctiori vita profecerunt, minus reverentiæ, ac ſubmiſſionis præſeferre, dum ità animo comparati familiariter DEO adhærent, ut eâ potiùs carere dicendi eſſent, qui ſupremas ſanctimoniæ metas aſſecuti jam videntur, ſi illius familiaritatis privilegiũ ſibi unis convenire arbitrarentur: quippe qui uſurpandi illud cauſam non ùt priores ex ſola cæleſtis Patris indulgentia, ſed ex propriæ virtutis ſuæ merito ducerent. Veluti ex duobus, quorum alter indignum ſe cæteroqui ob ſua crimina tanto munere exiſtimans octavo quovis die ad ſacram Euchariſtiam, tanquam ad cæleſte ſui animi medicamentum accedit ; alter verò, ut ad eam dignè accedat, non niſi ſemel toto anno id facere audet; primum illum remotiorem ab omni arrogantiæ ſpecie, quàm hunc alterum, Caſſianus cenſet. Cujus doctrinam, quia ad præſentis rei declarationem plurimùm facit ; juvat hìc paulò fuſiùs ipſiſmet illius verbis attexere. *Nec tamen* (ità apud ipſum Abbas Theonas pronuntiat) *ex eo de-*

debemus nos à Dominica communione ſuſpendere, quia nos agnoſcimus peccatores: ſed ad eam magìs eſt propter animæ medicinam, & purificationem ſpiritûs avidè feſtinandum: verumtamen ea humilitate mentis, ac fide, ut indignos nos tantæ gratiæ perceptione judicantes, remedia potiùs noſtris vulneribus expetamus. Alioquin nè anniverſaria quidem dignè eſt præſumenda communio: ùt quidam faciunt, qui ità Sacramentorum dignitatem, ac meritum metiuntur; ut æſtiment, ea non nisì Sanctos, atque immaculatos debere præſumere: & non potiùs, ut Sanctos, mundóſque nos ſua participatione perficiant. Qui profectò majorem arrogantiæ præſumptionem, quam declinare ſibi videntur, incurrunt: quia vel tunc, cùm ea percipiunt, dignos ſe eorum perceptione dijudicant. Multò enim juſtius eſt, ut cum hac cordis humilitate, qua credimus, & fatemur, illa ſacroſancta Myſteria nunquam pro meritis nos poſſe contingere, ſingulis ea diebus Dominicis ob remedium noſtrarum ægritudinum præſumamus; quàm ut vana perſuaſione cordis elati, vel poſt annum dignos eorum participio nos eſſe credamus. (Coll. 23. c. ult.)

9. Moneo poſtremùm, ad præcavendas dæmonis fraudes neceſſarium videri, ut nemo ſive ordinariæ, ſive eximiæ virtutis inter ſuavem hanc intimi amoris cum DEO neceſſitu-

di-

dinem eorum obliviſcatur, quæ ad humilem, abjectámque de ſe ipſo opinionem faciunt: nimirum ſe hominem eſſe, mera DEI bonitate è nihilo eductum, nulli bonæ rei vel aſſequendæ, vel efficiendæ per ſe idoneum, plurimorum criminum reum, & ad quævis alia perpetranda, plùs quàm dici poſſit, ſuo ingenio proclivem, quàm nihil DEO neceſſarium, tam ſemper, & ubique illius auxilio indigentem, perfectæque idcirco ſubjectionis, atque obedientiæ ipſi debitorem: tanquam Domino, qui licèt nunc per inauditam quamdam benignitatem in filii, atque amici loco ſe habeat; nihil dubitabit tamen, ſi legitimum ipſe obſequium fors exuat, & familiari ſecum uſu ad peccandi abutatur licentiam; ex ſuorum albo eum confeſtim eradere, pro inimico, & perduelli odiſſe, æterníſque inſuper ſuppliciis, niſi tempeſtivè reſipiſcat, afficere. Neque contentus ſit, omnia hæc cognita habere, atque inter converſionis, ſuæ initia pluries perpendiſſe: ſed curet præterea, identidem animo retractare, quíque hujuſmodi notionibus congruunt, profundiſſimæ erga DEUM ſubmiſſionis, & reverentiæ ſenſus concipere. Ità tamen, ut poſt pia id genus neceſſariæ humilitatis exercitia ad amicam, atque hi-

hilarem cum DEO consuetudinem redeat: & hac quidem, quasi cibatu ad quotidianam animi refectionem; illis verò ceu pharmacis ad extraordinarias opportunitates utatur.

CAPUT X.

Ad prædictam cum DEO agendi rationem opus esse, ut genuina de illo species in mente formetur, nonnullis indè phantasiis, & commentis exclusis, quàm à propria illius benignitate abhorrentibus, tam nostri erga illum amoris suavitati contrariis.

IUre queritur Clemens Alexandrinus (*L. 7. Strom. c. 2.*) non satis esse hominibus, si DEUM imaginentur, & pingant, quales ipsi sunt, nigrum putà Æthiopes, & Thraces cæruleum; sed progredi ulteriùs, ad mores quoque ipsi tribuendos, affectúsque, & instinctus hominum proprios. Perinde quasi verum, germanúmque Conditoris sui exemplar homo esset, nec potiùs argui è contrario deberet, talis est nostra, ergo longè alia DEI ratio, & natura. Ex hac porrò absurda consue-

ſuetudine effingendi ad noſtram ſpeciem illud nulli imitabile, ſed omnino ſingulare, atque unicum Ens, quemadmodum alibi pluries, ſic in præſenti etiam materia non pauci, nec exigui errores proveniunt. Qui, quoniam comendatæ hìc à nobis divini amoris ſuavitati recta fronte adverſantur, demonſtrandum exiſtimo, quàm à vero abſoni ſint, nulliúſque momenti eſſe debeant, ad cordatũ quemque hominem ab amica, & familiari cum Deo conjunctione abſterrendum.

2. Et primò errant hìc multi, DEUM intrà ſe comminiſcentes, terrenorum inſtar Principum, ſuæ ubique majeſtatis cuſtodem ſolicitum. Adeò ut, quemadmodum hi conſervandæ authoritatis ſuæ gratiâ timeri à ſubditis volunt, nec nisì uni, alteríve ex primariis aulæ proceribus familiares ſe exhibent, ſic ipſe etiam ſupremus *Rex Regum*, *& Dominus Dominantium*, coram quo creata quævis entia *ſunt*, *quaſi non ſint*; nolit ſecum agi, nisì pro incomparabilis excellentiæ ſuæ merito: & intimiori aliqua communicatione ſolis reſervata cæleſtis ſuæ regiæ Principibus, nos terræ ignobiles filios, & ſua infimæ notæ ſervitia, neutiquam patiatur ſibi adſtare, nisì cum eo profundiſſimæ ſubmiſſionis, extremíque horro-

roris sensu, qui à mortali nostra conditione infinitæ illius dignitati debetur. Sed enim verò, quàm alienus ab hac magnitudinis ostentatione, atque pompa, imò quàm, ut ità loquar, popularis, & in se omnibus evulgando sit profusus immortalis Regnator, quantò gratius ei sit amari à suis famulis, quàm timeri, quantam abjectissimo cuique facultatem indulgeat confidenter, & filii ritu ad sese accedendi, quàm denique, ut Bernardi, & Petri Chrysologi verbis utar: (*Serm. 69. in Cant. serm. 7.*) *Sponsum exhibeat, qui Dominus est: & velit charitate magis, quàm potestate regnare*; nullis hìc argumentis demonstrari eget, cùm in præcedenti capite ostensum jam planissimè sit. Satis esto duntaxat, coronidis quasi locò ibi dictis superaddere præclaram D. Teresiæ animadversionem ex libro *Conceptuum amoris divini.* Ubi, cùm mentionem feciſſet offensionis, quam pusilli nonnullorum animi ex amatoriis Salomonis Canticorum sensibus capiunt; narrâssétque, quanto cum auditorum risu excepta fuerant, quæ Concionator quidam ad flagrantissimum erga nos DEI amorem repræsentandum ex eo libro depromperat; subdit, causam rei esse, quòd ejusmodi homines non satis advertant, quàm in-

audita, & prodigiosa suæ erga nos charitatis monumenta DEUS exhibuerit, dum pro nostra asserenda salute acerbissimæ morti se obtulit, & suum nobis corpus in Eucharistia sumendum reliquit: monumenta certè amoris, usque adeò omnem verborum benignitatem excedentia; ut, quisquis ea rite perpenderit, nullas in sacris usquam Libris amatorias DEI voces reperturus sit, quæ, non dicam, supra modum exaggeratæ ipsi possint videri; sed & tota significationis suæ vi ardentissimum, intimúmque illius amorem æquè, ac hujusmodi opera exprimant. *Concludo itaque*, (sic ipsa in prædicti libri capite primo) *nihil esse, cur admiratio vos capiat de ullis peramantibus verbis, quæ DEUS animæ in sacris Literis dicat. Amor, quo ille nos re ipsa prosecutus est, ac prosequitur, plus admirationis mihi affert, meíque extra sensum me abripit: videntem nullis loquendi formis plenè, vividéque adeò illum repræsentari, quin expressiùs repræsentetur factis. O mi JEsu! Et quid nos admiratione afficit? Nónne admirabiliora sunt opera? Nónne ipsomet Servatoris DEI corpore in Eucharistia vescimur?*

3. Nec à vero minùs devii feruntur, qui in proprio, germanóque sensu accipientes, metaphorica quædam sacrarum Literarum di-

dicta, ubi DEUS sub furibunda, & terribili imagine intuendus proponitur; non aliter eum concipiunt, quàm instar Domini irâ efferveſcentis, qui assiduè objurget, minitetur, & flagrum in manibus, furorémque in oculis præferat. Unde oritur, injucundam iis esse illius recordationem, tanquam objecti, à cujus specie animum sibi contrahi experiuntur. Et, quamvis nullius præsentis peccati conscientiâ mordeantur, nullámque justam habeant rationem timendi, nè ille iratus adversùm se sit; nihilominus, quemadmodum, ubi aliquis in iracundiæ fermento est; neque ipsimet domestici, & filii agere tunc cum eo audent; ità ipsi, DEUM sibi fingentes, assidua indignatione commotum, propter scelera, quæ ubique cernit patrari, & sempiterna jam horum, jam illorum damnatione continenter ulciscitur; timent ad eum propiùs accedere, tanquam parùm in eo æstu familiaribus, & jucundis colloquiis idoneum. Atqui ego id genus phantasias indignissimas esse, ajo, quæ ab homine vel mediocris sapientiæ concipiantur de DEO: curandúmque cuivis esse, ut eas pro vulgi deliramentis habeat, penitúsque à sua mente proscribat: certissimè sibi persuadens, supremum illum mundi Rectorem nulli ob

quæcunque hominum malefacta, vel minimæ perturbationi esse obnoxium: sed, prout in libro Sapientiæ affirmatur, etiam cùm peccantes minis territat, meritísque afficit pœnis, (*c.* 12.) *Cum tranquillitate judicare*, pacatissimum, quietissimum, nec quidquam ex præcipiti furoris instinctu, sed omnia ex mero, sedatóque recti amore decernentem: instar legum, quæ secundùm M. Tullii observationem in vetandis criminibus; & eorum constituendis suppliciis, (*L.* 1. *de Off.*) *Non iracundiâ, sed æquitate ducuntur*, convenienter à Philosopho nuncupatæ, (*L.* 3. *Polit. c.* 12.) *Mens absque appetitu.* Talis, inquam, humanarum ità omnium perturbationum expers, nec sub alia, quàm æquissimæ legis, imò ipsiusmet purissimæ, universalis, æternæque æquitatis specie concipiendus nobis DEUS est, si dignam, propriámque ejus imaginem formare in animo volumus. Unde & ipse apud Oseam pro lenitatis suæ causa affert, quòd non homo, sed DEUS sit: (*c.* 11.) *Non faciam furorem iræ meæ, quoniam DEUS ego, & non homo*; & D. Joannes illius solium, quanquam fulgetris, & tonitruis indè prorumpentibus terrificum, iride, proprio tranquillitatis, & pacis hieroglyphico circumvallatum vidit:

(*Apoc.*

(*Apoc. 4.*) *Et iris erat in circuitu ſedis, & de throno procedebant fulgura, & tonitrua.* Perinde quaſi deſignaretur ejuſmodi imagine, etiam quando tonat jurgiis, miniſque, & ſupplicíorum jaculatur fulgura; ipſum omnia hæc abſque ullo perpetuæ, immotæque ſuæ pacis detrimento facere. Certè haud novum quid omnino, inauditúmque eſt, reperire inter homines Judicem quempiam placidiſſimæ indolis, omníque iracundiæ felle vacuum, qui tamen ex mero æquitatis ſtudio ſancitam à legibus pœnam, cuicunque eam merenti, etſi amico, & conſanguineo præſcribat, dicens: damnabo, fili, lex ità decernit, & ſecundùm eam judicari neceſſe eſt. Ego, quod ad me pertinet, quíque meus erga te amor eſt, multò mallem te abſolutum dimittere, quàm damnare; ſed quoniam communis æquitatis ratio aliud exigit, patere illam ſuum jus obtinere, nec à me, qui coactus juſſa exequor, ſed ab ea ſic fieri jubente, imò ut veriùs loquar, à tua ipſam, ut id jubeat, impellente malitia condemnari te credito. Quapropter facillimum cuique erit, ſimilem in DEO quoque exterioris ſeveritatis cum interiori lenitate conjunctionem agnoſcere: proponendo illum ſibi, tanquam Principem, ad manſue-

tudinem, & clementiam proniſſimum, nec quidquam cupientem magìs, quàm omnibus, etiam extrema auſis facinora, veniam, ſalutémque impertiri: ſed qui nihilominus, quos in morte capitalis noxæ reos deprehenderit, ſolo amore juſtitiæ permotus, quàm inexorabiliter, tam placidè, & procul ab omni in eos ira, odióve condemnet. Nisì fortè minùs propriè loquendo, iram nominare, atque odium velimus externam eos cruciandi actionem, veluti effectum, ab ira, odióve produci apud homines ſolitum. Secundùm quem unicum ſenſum ait D. Auguſtinus, ea intelligi poſſe ſacrarum Literarum loca, ubi DEO ira attribuitur. (*Enchir. c.* 33.) *Ex humanis motibus translato vocabulo, vindicta ejus iræ nomen accepit.* Et ſecundùm quem tantummodo oſtendit Doctor Angelicus, (*L. 1. c. Gent. c. 96.*) accipiendum eſſe odium peccantium à Davide in DEO agnitum, dum in Pſalmo quinto canit: *Odiſti omnes, qui operantur iniquitatem*, quamvìs juxta aliam ſignificationem magìs propriam audiamus in Sapientiæ libro dici: (*c. 11.*) *Diligis omnia, quæ ſunt, & nihil odiſti eorum, quæ feciſti.* Siquidem juſtis cruciatibus impios afficiens, ità cum iis agit exteriùs, ceu ab odio incitari nos ſolemus ad agendum

dum cum hostibus, dicíque propterea in aliquo latiori, improprio, & materiali sensu potest eos odisse: tametsi eos illis cruciatus infligens, haud ità animo interiùs sit compositus, prout sunt, qui vero odio incitantur, nimirum ex intimo illorum mali studio, sed ex mero amore justitiæ; secundùm aliam magis ei accommodatam loquendi rationem, dicatur nullo odio illos prosequi.

4. Similis jam expósito illorum quoque error est, qui, prout à D. Bernardo observatur, DEUM sibi effingunt, tanquam naturâ immisericordem, summo jure cum humana fragilitate agentem, & quàm indulgentiæ, veniæque parcum, tam ad vindicandum proclivem: (*Serm. 38. in Cant.*) *Gravem, & severum imaginantur, qui pius est: durum, & implacabilem, qui misericors est: ferum, & terribilem, qui amabilis est: & mentitur iniquitas sibi, formans sibi idolum pro eo quod non est ipse.* Quare & leges illius non secùs intuentur, ac latas olim à Dracone Athenienſibus, quas Demades præ nimia severitate conscriptas fuisse ajebat, (*Apud Plut. in Solone.*) *Non atramento, sed sanguine:* & locò accessûs ad eum cum hilaris fiduciæ sensu affatum, congressúmque ipsius perhorrescunt, offerentes illi sua vota, *quasi*

videantur elephanto stipem porrigere: (*Suet. in Aug. & Macr. L. 4. Sat. c. 4.*) ceu Augustus Cæsar exprobravit nonnemini, qui supplicem sibi libellum consternato vultu, & manu tremebunda exhibebat. Iniquissima, & nimiùm quantùm à vero aberrans hæc itèm opinio est, quámque ideo refutatam videmus tum à Propheta Regio, ubi DEUM appellat (*Ps. 82*) *suavem, & mitem, & multæ misericordiæ*; tum ab ipsomet DEO, qui apud Jeremiam profitetur, non aliis erga genus humanum se affici, quàm clementiæ, & mansuetudinis sensibus: (*c. 29.*) *Ego cogito super vos cogitationes pacis, & non afflictionis*: imò refutatam, ut compendio dicam, ab omnibus ferè hagiographis libris, ubi nihil reperire est frequentius, quàm divinæ bonitatis exempla, & præconia. Severus, & immisericors DEUS? Ità planè: ideóque discipulorum ardorem objurgavit, ignem è cælo supra Samaritanos deposcentium, ceu qui sua parùm instituta, & mores callerent. (*Luc. c. 9.*) *Nescitis, cujus spiritus estis, Filius hominis non venit animas perdere, sed salvare.* Ideò Ninivitarum quoque partes suscepit, contra Jonæ severitatem, eos omnino puniri volentis, ac proinde indignantis, quòd esset (*Jon. c. 4.*) *DEUS clemens, & mi-*

misericors, patiens, & multæ miserationis, & ignoscens super malitia. Ideò demum Eliæ iracundo, & ad rigorem proclivi non in turbine, aut tempestate, vel igne, sed in aura leni se exhibuit. (*L. 3 Reg. c. 19.*) *Spiritus grandis, & fortis, subvertens montes, & conterens petras ante Dominum: non in spiritu Dominus, post spiritum commotio: non in commotione Dominus, & post commotionem ignis: non in igne Dominus, & post ignem sibilus auræ tenuis:* secundùm quæ verba septuaginta Interpretes addunt: *& ibi Dominus.* Severus, & immisericors DEUS? Impudentissimæ genus calumniæ, nec minùs à vero remotæ, quàm si ater candor, & tenebricosa lux diceretur: cùm, teste Dionysio Areopagita, nihil aliud natura DEI sit quàm *Essentia bonitatis*, ipsamet nimirum pura, & absolutissima bonitas. (*De Div. Nom. c. 1.*)

5. Fateor quidem, sub præsentis vitæ occasum nullum ab eo ulteriori veniæ locum relinqui, quò minùs ream tunc lethalis culpæ animam justis mactet suppliciis. Sed observetur, quæso, quàm toleranter, quoad in terris homines vivunt, ferat, ac si non videret, tot, támque indigna eorum flagitia, *nolens aliquos perire, sed omnes ad pœnitentiam convertí.* (*2. Petr. c. 2.*) Animadvertatur præterea,

quàm, juxta Isaiam, (*c. 55.*) *Multus sit ad ignoscendum,* condonans cuilibet rite pœnitenti omne criminum genus, eúmque ibi protinus in priorem amici gradum restituens: neque id semel tantùm, bísve, aut decies, sed supra quam *septuagies septies*: quamvìs videat, permultos incredibili hac clementia, & ignoscendi facilitate abuti ad liberiùs deinceps peccandum. Enim verò, quisquis hæc omnia suis momentis perpendat, usque adeò existimare illum minimè poterit immisericordem, ac durum; ut ægre inventurus humanas rationes sit, quibus nimiæ placabilitatis notam ab illius gubernatione defendat: cogetúrque admirabundus ipse quoque in ea verba prorumpere, quæ à nonnullis D. Augustino adscribuntur: (*L. 1. de Visit. Infirm. inter opera S. Aug. t. 9.*) *DEUS meus, DEUS meus, audebo dicere, pace tua dicam, in quodam ecstasis tripudio de te præsumendo dicam. Nisì quia DEUS es, injustus esses. Quia peccavimus graviter, inhæremus pertinaciter peccato, gaudemus de peccato, prædicamus peccatum non abscondimus, & tu placatus es. Nos te provocamus ad iram, tu nos ad misericordiam.* Jam, si post hæc adeò mira tolerantiæ, ac lenitatis exempla, obduratus aliquis in sua improbitate, mavult reus, & pœni-

nitentiæ expers mori, quàm oblatam ab eo toties sibi veniam admittere; quemnam accusare, nisi se ipsum potest, qui vel invita, & nequidquam retinente divina bonitate voluntarium in exitium se præcipitem miserit? Aut quodnam ulterioris clementiæ specimen desiderandum, poscendúmque ibi à DEO supereſt? Totiúsne ut æquitatis, justitiæque obliviscatur? Suásne omnes ut abroget leges? Ut demum, etiam ejusmodi reos absolvens, plenam omnibus sinè ullo jam metu in quodvis scelus ruendi facultatem, ac licentiam permittat? Quodnam excogitari regimen posset, hôc inconsultius, & præposterum magìs? Aut quotusquisque adeò impudens sit, qui tale illud à supremo mundi Gubernatore audeat exposcere?

6. Haudquaquam id ab eo poscimus, fortè hìc quisquam subjiciet. Vindicet sanè, quando ità manifestum jus exigit, in contumaciores hujusmodi animas. At cur omnia ultioni tunc fræna laxanda? Cur nullo etiam longissimo miserarum cruciatu explenda est; sed æternæ ab iis temporariæ improbitatis pœnæ repetendæ? Hoc enim verò illud est, quod extremæ, horrendæque severitatis speciem præsefert, nec misericordis, & mansue-

ti

ti Judicis proprium videtur. Vaniſſima tamen hujuſmodi oppoſitio eſt, quæque nîl egeat à me hìc rurſus refelli: cùm in prima operis hujus parte, adversùs eam pro infinita bonitate DEI diſputans, luculenter oſtenderim, neutiquam poſſe in caſu, de quo agimus, pœnâ minùs, quàm æternâ ſeu divinæ Juſtitiæ rationibus ſatisfieri, ſeu neceſſariis humanæ vitæ, ac felicitatis uſibus conſuli. Non primum: quia, cùm ſempiterni quoque temporis pœna ſatisfactio ſit *citra condignum*, nec ſatìs adæquans infinitam peccati, DEUM graviter offendentis, malitiam; quonam pacto dignè huic reſponderet, ſi temporaria tantùm foret, hoc eſt undecunque finita? Sed neque alterum: quia, cùm experientia palàm oſtendat, nè ipſam quidem tartareorum cruciatuum æternitatem ſufficere, ad pleroſque hominum à peccandi licentia abſterrendos; arguat hinc quilibet, quantò minorem eoſdem in officio retinendi vim haberet pœna, cujus non aliter, ac purgatorii ignis, certum aliquando ſibi finem promitterent: neceſſarius proinde eſt ſimilis rigor, horribilis quidem, ſed communi bono apprimè conducens; ad quem tandem depromendum majoris noſtræ utilitatis causâ ab ipſamet ſua bonitate DEUS impel-

pellitur. Neque tamen idcirco ſpirituales viri eum pro DEO potiùs terribili, quàm amabili habent: eò quòd optimè nôrint, haud ſolere ipſum funeſta hæc exempla edere, nisì in animas deploratæ ſalutis; quódque facillimam alioquin cuivis homini non omnino peſſimo fecerit, ſuæ potiùs nativæ benignitatis, quàm neceſſariæ, & coactæ quodammodo ſeveritatis promerendæ rationem.

7. Subit jam refutandus aliorum error, qui, audientes prædicari ſummam animi puritatem, quam DEUS à ſuis famulis exigit, dicens illis: (*Levit. c. 11.*) *Sancti eſtote, quia ego ſanctus ſum*, neque aliud in ſe contrà intuentes, quàm imperfectionem, & peccatorum ſaltèm venialium labes; imaginantur, parùm illi gratos ſe eſſe, nec amico, & libenti obtutu ab eo aſpici. Unde ingens diffidentia ſubſequitur, & timor, familiariter ad eum accedendi, perinde quaſi magis abalienaturi eum à ſe ſint, ſi animam tot maculis, támque fœda illuvie obſitam puriſſimis, & delicatiſſimis ipſius oculis ingerant. Sed enim verò hallucinantur ii quoque, DEUM ſibi comminiſcentes tam facilem ad indignandum de quotidianis erratis, & ad averſandos, qui per naturæ ſuæ fragilitatem in ea prolabuntur. Vulgatiſſima quippe

pe apud Theologos doctrina est, leviores culpas, ceu nihil de gratia sanctificante decerpunt, sic neque posse amicitiam cum DEO, quæ merè in eadem gratia posita est, diminuere, ac proinde nihilo minùs amicum animæ DEUM esse, minúsque eam amare, post hujusmodi culpas, quàm amicus ei esset, eámque amaret, priùs quàm has illa in sese admisisset: imò, si quispiam plures alio veniales culpas patraverit, sed ampliori simul gratia sanctificante decoretur; plùs eo altero charum, acceptúmque DEO esse. Et confirmantur, quæ dixi: quia nimis quàm dissentaneum à placidissimo, facillimóque DEI ingenio videtur, ob quamcunque levem causam succensere suis amicis, & servis: spectata præsertim imbecillitate conditionis humanæ, cui impossibile factu esse perspicit, non interdum delinquere, & labi. Quamobrem ordinarii nostri lapsus commiserationis potiùs, quàm offensionis, iræque causas ei præbent, juxta illud Psalmi centesimi secundi: *Quomodo miseretur Pater filiorum, misertus est Dominus timentibus se. Quoniam ipse cognovit figmentum nostrum, recordatus est, quia pulvis sumus.* Quod si & inter homines vitio vertitur proclivitas ad excandescendum contra amicos, ubi quid

per

per negligentiam deliquerint; quonam pacto eam comminiſci in DEO poſſumus, amico omnium leniſſimo, miræque etiam in gravibus ſuis offenſis tolerandis patientiæ? *DEUS Judex, juſtus, fortis, & patiens, numquid iraſcitur per ſingulos dies?* (*Pſ. 7.*) Haud igitur, qui non nisi venialium noxarum conſcius ſibi eſt, DEUM imaginari adversùm ſe iratum debet, quo more iraſci homines ſolent contra eos, à quibus dicto aliquo, factóve læſi fuerint, averſando nempe illos, & minori, quàm priùs benevolentia proſequendo: ſed perſuadere ſibi debet, illum, utpote primam totius recti normã non poſſe quidẽ non improbare, quidquid peccatum etiam leviter ſit: neque, ut ipſammet perfectiſſimam æquitatem, nihil pro eo velle ſatisfactionis exigere: cæterùm ſolidam interim, &, quanta antè fuerat, remanere amicitiam, implendo id, quod in libris Regum promiſerat, (*L. 2. c. 7.*) *Ego ero ei in Patrem, & ipſe erit mihi in filium. Qui, ſi iniquè aliquid geſſerit, arguam eum in virga virorum, & in plagis filiorum hominum: miſericordiam autem meam non auferam ab eo.* Similiter, ac ſi Princeps aliquis centenûm aureorum mulctam ſtatuiſſet certum quoddam teli genus ferenti, repertóque illo teli genere apud aulicum inter omnes

omnes alios sibi chariſſimum vellet hunc quoque, quanquam nihil contra eum offenſionis ſive animo fovens, ſeu vultu præferens, communem mulctam tuendæ legis causâ pendere. Qui aulicus poſt pœnam, quam videt, ſinè ulla adversùm ſe ira, ſed ex mero æquitatis ſtudio ſibi irrogatam; pergeret ipſe quoque priſtinam retinere in agendo cum Principe familiaritatem, amoríſque fiduciam.

8. Advertendum tamen hìc eſt, levia peccata, ſi ab homine ſciente, & volente patrentur, eorúmque voluntas ſinè ulla efficaci retractatione in animo perſeveret; eſto amicitiam nobiſcum minuere in DEO nequeant; magnam nihilominus vim habere, ad noſtri erga DEUM amoris flagrantiam, ſuavitatem, & fiduciam minuendam, imò etiam penè omnino extinguendam; tum propter amaras conſcientiæ objurgationes, quibus anima continenter caſtigari ſe audit; tum quia nequit interim actus exercere intimi erga DEUM amoris proprios, conteſtando videlicet, nihil ſe ardentiùs optare, quàm ut illi in omnibus placeat, & perfecta conjunctione adhæreat. Quamobrem ſinè ulla dubitatione affirmaverim, ab hoc peccatorum venialium genere impediri plùs poſſe charitatis fervorem, & fami-

miliarem cum DEO consuetudinem, quàm ab ipsis lethalibus noxis, quas aliquis efficaci jam dolore, & pœnitentiâ aboleverit. Cæterùm, si de aliis loquamur levioribus culpis, quarum hominem jam pœnituit; usque adeò illæ nostri erga DEUM amoris confidentiam, & dulcedinem interturbare per se nequeunt; ut hæc labefactari, minuíque in nobis haud debeat, neque propter gravissima, quæ jam satis retractaverimus, prioris vitæ flagitia: prout hìc ostendere aggrediar, contra vanas præposteræ alterius circa DEUM persuasionis formidines.

9. Errant igitur ex falso circa DEUM persuasione illi quoque, qui, licèt plenissimam præteritorum criminum veniam in Sacramento Pœnitentiæ consecuti ab eo sint; minimè tamen audent familiariter, amicéque cum eo conversari: timentes nimirum, nè qua in eo post reconciliatam gratiam supersint prioris inimicitiæ vestigia, ceu plerumque evenire apud homines cernimus: qui, si fortè alicui injurias acceptas remittant, solent nihilominus, præsertim ubi hæ graves, indignæque admodum fuerint, menti infixam earum memoriam, unáque tacitam quamdam ab earundem authore alienationem animi retinere.

Sed enim verò ad prædictum timorem funditus ab animo eliminandum sat fuerit, quòd Orthodoxæ ille fidei adversetur. Cùm hæc pro certissimo statuat, hominem, qui rite comparatus ad Pœnitentiæ Sacramentum accesserit, non modò veterum offensarum omnium, quantumvis multæ, enormésque sint, benignissimam condonationem à DEO assequi. Sed in eundem, in quo priùs fuerat, imò etiam superiorem amicitiæ gradum restitui, támque charum deinceps haberi, quàm si DEUS acceptas ab eo injurias æternæ oblivioni mandâsset. *Ego sum, ego sum ipse, qui deleo iniquitates tuas, & peccatorum tuorum non recordabor*, verba illius sunt apud Isaiam. (*c. 43.*) Quam in rem acutè observat operis imperfecti Author, (*Hom. 43. in c. 23. Matth.*) Christum Dominum, dum exprobraret Hierosolymæ suam adversùs Prophetas, Deique nuntios crudelitatem, nequaquam dixisse: *Hierusalem, quæ occidisti*, sed, *quæ occidis Prophetas*: perinde quasi hac loquendi forma indicatum vellet, culparum, quæ in præsens haud permaneant, nullam se retinere memoriam, nè ad improperandas eas quidem, quibus propter pœnitentiam condonatæ jam fuerint: sed, veluti ad majorem ejusdem veritatis declarationem addit

dit D. Auguſtinus: ſeu quicunque ſcripſit librum (*de diligendo* DEO) *Sic indulgere ex toto, & ſic omnem donare injuriam; utjam non damnet ulciſcendo, nec confundat improperando, nec minùs diligat imputando.* Et poterit ſanè quiſpiam prudenter metuere, nè ex aliquo legitimæ pœnitentiæ defectu ſuorum remiſſionem criminum non obtinuerit: ſed hac poſita dubitare, utrùm à DEO diligatur, quaſi nunquam eas commiſiſſet, eſt eidem dicenti non credere, quòd noſtra crimina ità per veniam deleverit, ùt ſolis radiis, aut ventorum flatu disjicitur nebula, nullo ejus veſtigio ſuperſtite: (*Iſai. c. 44.*) *Delevi ùt nubem iniquitates tuas, & quaſi nebulam peccata tua.* Quia, ſecundùm Joannis Tauleri memorabile effatum, (*Apud Bloſ. in Conſ. Puſ.*) DEUS, *præſentiæ* DEUS *eſt. Qualem unumquemque reperit, talem eum ſuſcipit, & aſſumit: nec reſpicit, quid olim fuerit, ſed quid modò ſit*: ideóque *converſo peccatori familiaritatem omnem, & ſecretorum ſuorum revelationem, quam alicui impendit, exhibere jam poteſt.* Unde concludi ad extremum poteſt, peccata per pœnitentiam abolita, nullam vim habere, impediendi ſuavem noſtri erga DEUM amoris fiduciam: imò potiùs valere, ad eam magis, magíſque intendendam:

majoris benignitatis causâ, quam per eorum occasionem DEUS nobis exhibuit, planè adeò integréque in pristinam nos amicorum, & filiorum dignitatem restituens.

10. Quisque ergo DEUM concipere assuescat, non secundùm nostræ naturæ imperfectiones, & præposteras vulgi opiniones, sed potiùs qualem aut fides, aut ipsa naturalis ratio eum repræsentat: nempe ceu Dominum nostri amantissimum, & nostra secum familiari consuetudine inprimis gaudentem; nulli iracundiæ, & furori, quantumcunque ab humana improbitate irritetur, obnoxium: ab omni contra impios, etiam quando justas iis pœnas decernit, affectione odii vacuum: mirè quarumvis injuriarum tolerantem, nec minùs ad easdem ignoscendas proclivem: mitissimum, in quotidianis famulorum suorum erratis sinè ulla vel minima diminutione amicitiæ ferendis: peccantium, quos post innumeras offensas in suam gratiam receperit, nihilo amicum, & amantem minùs, quàm si omnis omnino præteritæ eorum improbitatis memoria ipsi excidisset: quisquis, inquam, talem DEI speciem sua in mente formaverit, háque illius tam amabiles prærogativas secum recogitare identidem perrexerit, næ is a-

nimum facilè inducet ad hilariter, fidentérque cum eo agendum, tanquam cum ſuaviſſimo Domino, cum fidiſſimo amico, cum amantiſſimo Patre: in quavis rerum, temporúmque difficultate ad ipſum recurrens, de ſuis omnibus votis, curis, ſucceſſibus cum eo tractans, & eam demum in quavis ipſum alloquendi occaſione familiaritatem uſurpans, quæ intimi, & reciproci amoris eſt propria: cum reverentia quidem, ſed quæ nihil ſervilis metûs, & perturbationis admiſtum habeat, cúmque humilitate, ſed generoſa, ad quam confidentia, atque hilaritas erigat.

CAPUT XI.

Quòd nemini certò conſtet, ſe DEI gratiâ in præſens potiri, non ſatis cauſæ eſſe, ad nos revocandos à familiari, & jucunda illius conſuetudine.

QUemadmodum, teſte D. Joanne, proprium charitatis eſt, animos expedire à timoris anguſtiis, (*Ep. 1. c. 4.*) *Timor non eſt in charitate, ſed perfecta charitas foras mittit timorem*; ſic

è contrario usitatum, & solenne timori est, perturbare charitatis dulcedinem; triplex autem videtur esse posse in servorum DEI animis hujusmodi timor: timor nimirum, nè divinâ gratiâ in præsens careant: nè ab illa aliquando excidant: neu sinè illa supremum diem obeant. Et sanè dubitari minimè potest, quin ab unoquoque ex commemoratis timoribus nostri erga DEUM amoris confidentia, & suavitas perturbetur. Perturbatur à primo: cùm enim amicitia nihil aliud per Aristotelem sit, nisi (*L. 8. Eth. c. 2.*) *Amor mutuus non latens*: quonam pacto jucundè, fidentérque acquiescere in DEI amicitia ego possim, cujus amor me latet; vereárque, nè odio potiùs illi sim, quàm amori? Perturbatur à secundo: inhærens quippe animo boni cujusvis amittendi timor minùs jucundâ illius possessionem facit: quantóque bonum est charius, tantò ejus jacturæ formido plùs cruciat. Perturbatur denique à tertio: quia migrare ad æternitatem inimicum DEI, talémque permansurum necessariò, quamdiu illa duraverit, malum est tam ferale, omnémque alium cruciatum exuperans, ut & tenuis ejus suspicio amarissimo felle confundere cujuslibet gaudii dulcedinem queat. Ex altera verò

rò parte sat videtur causarum suppetere, cur prædicti timores ab unoquoque hominum concipi debeant. Primus, quia ob exiguam interioris nostri statûs notitiam nemini certò constat, seu plenam præteritorum scelerum remissionem efficaci pœnitentia à se impetratam; seu nullum deinceps novum crimen admissum. Unde illa est Salomonis sententia, (*Eccl. c. 9.*) *Nescit homo, utrùm amore, an odio dignus sit*: & illud Ecclesiastici monitum, (*c. 5.*) *De propitiato peccato noli esse sinè metu.* Secundus, propter notam plùs nimiò humanæ naturæ pronitatem ad malum, & tristia multorum exempla, quos post vitam diu persanctè productam, in fœdissima novimus corruisse flagitia. Tertius demum, ob impenetrabilem nostris mentibus divinorum judiciorum altitudinem, & quòd nulli mortalium secundùm communem providentiam liquere DEUS voluit, utram ipse ad classem, Electorúmne, an reproborum pertineat? Accedit huc præterea, quòd nonnulli ascetica vitæ magistri id genus timores, quasi ad solidiorem animæ humilitatem, interiorémque sui custodiam perutiles, non parùm commendant, altiùsque defigere in animis hominũ studeant: tragica oratione exaggerando humanæ condi-

onis fragilitatem, difficultates assequendæ salutis, exiguúmque illorum numerum, qui eam assequuntur. Unde fit, ut permulti vel eorum rationibus moti, veritíque, nè nimiæ laxitatis, & præfidentiæ sit diversa sentire, continuos inter animi angores vitam traducant; vel saltèm ambigui, incertíque hærent: neque existimantes una ex parte idoneam sibi causam adesse, ità sese discruciandi; neque ex altera audentes, strictioribus id genus doctrinis libero spiritu obsistere.

2. Ast ego commiserans tum hasce eorum angustias, tum impedimenta, quæ indè illis proveniunt, nè confidenter, & amicorum ritu cum DEO agant; demonstrare statui, suprà dictos tres timores reprimendos potiùs, quàm fovendos suo in animo esse ab hominibus, qui ex professo Christianæ perfectioni, & divinæ charitati operam navant, ídque duplici ex causa: prima, quia hujusmodi homines nihil habent, cur eorum ullo perturbari meritò debeant: altera, quia ex eorum quolibet plus possunt incommodi, quàm utilitatis percipere. Quarum causarum vim circa primum de divina fors præsenti inimicitia timorem hìc continuò expendam, idem circa reliquos duos in sequenti capite acturus.

3. Ut-

3. Utque ab earum altera initium desumam; quæro ex iis, qui volunt DEI servos metuere, nè fors in præsens gratiâ, amicitáq; illius careant; quidnam spiritualis emolumenti ejusmodi trepidatio allatura illis sit? Dicent, nî fallor, humiliores eos reddituram, & solicitos magìs. Humiliores quidem, quatenus prohibebit, nè inaniter glorientur, & contenti statu suo sint: magìs verò solicitos, quia fodientis instar stimuli eos assiduè incitabit, ut novis pœnitentiæ actibus curent suam cum DEO amicitiam certiorem reddere. Ità profectò complures sentiunt, atque hinc causas ducunt prædictæ anxietatis laudandæ, & suadendæ: suam insuper confirmantes sententiam ambiguitate, in qua nos DEUS circa cælestis hujus boni possessionem reliquit: utilius nempe nobis existimans, (ceu indè ab ipsis colligitur) si, quantùm ad illam, semper incerti, & pavidi essemus. Sed pace illorum dictum sit, in prima ex prædictis utilitatibus asserenda videntur, Christianam humilitatem cum propriæ sortis displicentia, fastúmque, & arrogantiam cum læta ejusdem approbatione confundere: parùm advertentes, nullum inter ista duo necessarium, & naturalem nexum, quin latum potiùs discrimen intercedere. Fa-

ſtus quippe, & animi tumor, ſi ſacris Doctoribus credimus, non in eo poſitus eſt, quòd aliquis divina in ſe munera advertat, déque iis ſibimet gratuletur; ſed potiùs, quòd ejuſmodi bona propriæ virtuti attribuat, séque ob ea magni æſtimet, & alios anteponat. Ità planè docet D. Thomas, nullius culpæ affinem pronuntians, qui bona ſua agnoſcat, & magni pendat: (*2. 2. qu. 132. a. 1.*) *Quòd aliquis bonum ſuũ cognoſcat, & approbet, non eſt peccatum*: confirmánſque ſuum dictum iis Apoſtoli verbis: (*1. ad Cor. 2.*) *Nos autem non ſpiritum hujus mundi accepimus, ſed ſpiritum, qui ex* DEO *eſt, ut ſciamus, quæ à* DEO *donata ſunt nobis.* Ità D. Auguſtinus, virtutem potiùs, quàm vitium cenſet, prædicationem collatorum ſibi à Deo munerum. (*Serm. 28. de Verb. Ap.*) *Non eſt arrogantia, ſed fides, prædicare, quod accepiſti: non ſuperbia, ſed devotio.* Ità D. Bernardus obſervans, non reprehendi ab Apoſtolo, qui gloriatur, & gaudet, quaſi de re penitùs ſua, & quam nemini alteri debeat. (*De Dilig. DEO.*) *Non ait ſimpliciter, quid gloriaris? ſed quid gloriaris, quaſi non acceperis? Ut aſſerat, reprehenſibilem, non qui in habitis, ſed qui tanquam in non acceptis gloriatur.* Ubi etiam ſubdit, divinorum in ſe donorum cognitionem uſque adeò

adeò culpandam non esse, ut sit verius necessaria, & laudabilis. *Utrumque ergo scias, necesse est, & quid sis, & quòd à te ipso non sis, nè aut omnino non glorieris, aut inaniter glorieris.* Ità postremò D. Teresia, quæ adhortans animam peculiari aliquo DEI beneficio inter orandum decoratam, ad debitas ipsi partes reddendas. (*In vita c. 10.*) Nè, inquit, *pensi habeat quædam humilitatis genera, de quibus cogito agere inferiùs: qualis nonnullorum judicio est cogitationem avertere à donis, quibus* DEUS *nos interdum dignatur. Intelligamus, quod res est, hujusmodi munera sinè ullo priori nostro merito à divina liberalitate nobis conferri, gratíque ideò illi simus. Nisi enim nota sint nobis beneficia, quæ accepimus, neutiquam excitabimur ad eum amandum, à quo illa accepimus. Certè tunc amare impensiùs quempiam solemus, cùm præsentiorem habemus illius erga nos beneficentiæ memoriam. Si ergo licet mihi, imò & in meriti loco apud* DEUM *est recordari, quòd ipse me in lucem produxerit, & sui sanguinis pretio redemerit; quidni animadvertere pariter liceat, quòd, cùm olim de terrenis, profanisque rebus confabulari solerem; nulla mihi illius ope jam sint, nisi de illo colloquia? Enim verò, quæ hominum naturalis conditio est, impossibile mihi facìu videtur, ut magna pro* DEO *audeat, qui pecu-*

culiariter se ab eo diligi nesciat. Adeò quippe proclivi ad terrena, & caduca ingenio sumus; ut ægre à quibuslibet præsentis vitæ bonis alienum gerere animum possit, qui minimè agnoscat aliquod futurorum pignus se habere. Hactenus consultissima illa rerum spiritualium magistra: addens inferiùs, dæmonem suo judicio multùm laborare, ut animas orationi, vitæque interiori deditas, ab ampliori in ea faciendo progressu, falsis quibusdam de humilitate opinionibus retineat. His igitur positis, fac, aliquis persuasissimum habeat, DEO charum in præsens se esse, neque ullis, quantùm ad hoc, solicitetur inquietis timoribus, sed lætus, & gestiens, tanquam de singulari beneficio divinæ bonitatis grates persolvat; ubinam hic ulla species, ullúmve vestigium superbiæ? Aut quidnam aliud contrariæ suspiciones, anxietatésque facerent, nisi quòd perturbarent hominis animum: nisi quòd minùs jucundum ei redderent orationis, & consuetudinis cum DEO usum: nisi quòd in eo spiritualium lætitiam, & fervorem charitatis minuerent?

4. At (ab adversariis responderi audio) si quis miserum se existimaret, minúsque interiori statu suo contentus foret, is sanè humilior animo foret. Atqui ità respondere ni-

nihil profectò est aliud, quàm in observatam paulò antè vocum, & sensuum confusionem revolvi: pro eadem re accipiendo parùm quempiam interiori suo statu contentum vivere, & animo humilem esse. Quod si admitteretur pro vero, næ parùm humilis sanctissima DEI Parens fuisset, cùm *exultavit spiritus ejus in DEO salutari suo: quia fecerat sibi magna, qui potens est*, adeò ut propterea *beatam dicturæ illam essent omnes generationes.* Nec non universi itèm Cælites existimari parùm humiles possent, utpote qui & suam certò agnoscunt, absolutissimam felicitatem, & plenissimo in eo gaudio acquiescunt. Contrà verò nemo humilior damnatis ad inferos foret: cùm nemo in terris æquè, ac illi se miserum fateatur, & omni prorsus bono carentem. Non igitur Christianæ humilitatis perfectio in prædicta sui statûs displicentia consistit; sed in eo veriùs, ut ea homo suspiciens, quæ à se ipso habet, propriéque sua sunt, abjectissimum sese, ac miserrimum, & omnis funditus boni vacuum existimet: quamvis alioqui multa in se agnoscat collata sibi à DEO munera, quæ summo in pretio, próque eximia felicitate sua habeat, & quorum causâ peramantes supremo Largitori gratias perpendat. Nempe hæc

illa

est gloriatio, & exultatio in DEO, commendata à D. Paulo, ubi scripsit, (2. *ad Cor. 10.*) *Qui gloriatur, in Domino glorietur.* Qui proinde, etiam ubi magnificentissimè de se loquitur, dicens: (*Ibid. 12.*) *Nihil minus fui ab his, qui sunt supra modum Apostoli;* nihili tamen sibi nomen, ac locum usurpat, protinus subdens, *tametsi nihil sum:* & alibi adhuc fusiùs eandem tum divinorum in se munerum præclaram æstimationem, tum omnimodum sui contemptum declarat his verbis: *Ego sum minimus Apostolorum, qui non sum dignus vocari Apostolus. Gratiâ autem* DEI *sum id, quod sum, & gratia ejus in me vacua non fuit, sed abundantius illis omnibus laboravi. Non ego autem, sed gratia* DEI *mecum.* (1. *ad Cor. 15.*)

5. Haud tamen acquiescunt timoris patroni, reponentes, posse quidem fieri, ut quispiam supernaturalia sua bona, & animadvertat, & plurimi faciat, nihil indè ad vanam sui æstimationem inflatus. Sed sapientiam ejusmodi non nisi paucorum decus esse, qui in Christiana humilitate, & demissione animi profundas radices jam egerint, neque idcirco ab iis quoque præsumendam, quorum virtus nondum ad æqualem firmitudinem, soliditatémque adolevit. Durum sanè hominum ge-

genus, qui ſpiritualem lætitiam, pacémque animi à potiori famulorum DEI parte, nempe ab iis omnibus, qui ad eximiam, perfectámque virtutem nondum pervenêre, proſcribendam exiſtimant. At bene, quòd præſtantiſſimus Euangelicæ ſapientiæ Magiſter Paulus Apoſtolus alios longè ſenſus, aliáſque inſtitutiones è tertio cælo detulit. Nisì fortè ſinè ulla probabilitatis ſpecie fingamus, omnes univerſos Philippenſis Eccleſiæ Neophytos in ipſiſmet ſuæ fidei primordiis perfectos fuiſſe, adeò ut tutò inculcare illis poſſet; (*c.* 3.) *Gaudete in Domino ſemper, iterum dico, gaudete:* perfectóſque itèm omnes, qui ad Chriſtum nuper converſi Theſſalonicæ erant, ut iis ſimiliter commendandum putaret, (1. *c.* 5.) *Semper gaudete: in omnibus gratias agite.* Nam quæ, rogo, perpetuæ illius in Domino lætitiæ, & gratiarum actionis cauſa utriſque eſſe poterat, nisì quòd perſuaſum haberent, aſſiduéque recogitarent, DEO charos, atque amicos ſe eſſe? Moneant ergo, ſi libet, cauti iſti animarum inſtitutores, tantum illum fidei præconem, nè adhuc crudam, & teneram recentium Chriſtianorum ſobolem tam impensè, fidentérque ad exultandum, & quidem perpetuò de ſupernaturali ſua felicitate exhor-

hortetur. Timeri siquidem haud immeritò posse, nè eorum nonnulli occasionem inanis gloriolæ, arrogantiæque sumant. Novi id, novi satis, respondebit eorum monitioni sapientissimus Gentium Doctor. Sed discrimen hujusmodi non adeò vitatu difficile cuilibet, vel mediocris prudentiæ, ac virtutis homini est; ut declinandi illius causâ necesse sit, aut expediat, perpetuis conscientiæ angoribus sese ultrò discruciare, qui animi vigorem debilitant, proficiendi alacritatem extinguant, amicam cum DEO conjunctionem impediant, nec aliam demum humilitatem producant, nisi servilem, tetricam, inquietam, miseræque fontium in tartaro animarũ humilitati consimilem. Certè, si nihil aliud in spirituali vita curandum magis esset, quàm omnes vel remotas superbiæ occasiones defugere, ac proinde expediret cuivis, pessimè semper de se ipso opinari; nimirum quàm inconsultè conarentur animarum rectores eas vanis, ceu persæpe contingit, admissorum criminum dubiis, & suspicionibus exagitatas, in tranquillum redigere: cùm potiùs cohortari easdem deberent, ad suos illos scrupulos, pavoréque, ceu præsentissima superbiæ amuleta intrà conscientiam fovendos: & curandum, quoad fieri

ri poteſt, ut in quovis vitæ actu ſibi videantur DEUM graviter offendiſſe, illiúſque ideo gratiâ carere. Conſectarium procul dubio abſurdiſſimum, quódque nequeat, nisi ex abſurdiori principio deduci.

6. Perſpicuè igitur demonſtratum videtur, anxios id genus timores de præſenti intra conſcientiam capitalis culpæ reatu, ad hominem in ſolida humilitate cuſtodiendum neceſſarios non eſſe. Videamus porrò, num ſaltèm ei utiles ſint ad DEI amicitiam recuperandam, ubi fortè illam occulti alicujus criminis causâ amiſiſſet. Et quidem, ſi de profanis, ac ſolutioris vitæ hominibus ſermo eſſet, haud gravatè id faterer. Cùm enim, qui ejuſmodi ſunt, obſtrictam non rarò gravi ſcelere conſcientiam vel ignorantes habeant; à concepto tam periculoſi ſui ſtatûs timore ſtimulari poſſunt, ad ejus remedium in Pœnitentiæ Sacramento quærendum. At, cùm noſtra hæc omnis tractatio ad homines dirigatur, ſpirituali vitæ jam diu addictos, qui & ſuæ ad DEUM converſionis initio accurata præteritorum quorumvis criminum homologeſi conſcientiam rite expiârunt; eandémque in ſubſecutis deinceps confeſſionibus, quandocunq; uſus ferret, ſedulò repurgare inſtite-

runt, neque jam dudum lethale ullum crimen admiserunt, imò illud, quasi extremum malorum gravissimè perhorrescunt, quóque maximo possunt, studio devitant: nitentes præterea ulteriores semper, ulteriorésque facere in conjunctione cum DEO, atque animi puritate progressus; ad quas demum novas, & solertiores divinæ redintegrandæ amicitiæ curas ab illius amissæ dubio, atque metu incitari illos posse dicemus? Num ad conscientiam semper subtiliùs examinandam, & ad repetenda, quoties Sacramentum Pœnitentiæ instaurarant, quasi minùs disertè explicata, præteritarum confessionum delicta: sinè ullo fine, atque modo novas assiduè comminiscendi criminum circumstantias, déque exactioribus aliis anteactæ totius vitæ confessionibus cogitandi? At si id facere instituant, prudens quilibet Pœnitentiæ Sacramenti administer superstitiosæ illos diligentiæ coarguet: jubebítque supervacuam ejusmodi inanium animadversionum, & solicitudinum turbam missam penitùs facere: neque de culpis, quas semel, iterúmque ad Sacerdotis aures detulerunt, anxios ultrà esse, sed eas pro legitimè jam enuntiatis, & remissis habere: contemptim explodendo, quasi larvas sinè corpore, quid-

quidquid temere conceptarum ſuſpicionum menti occurrerit. Ad quas igitur alias divinæ gratiæ aſſerendæ artes ab eo timore impellentur? Num ad ſua crimina, quàm celerrimè etiam extra Sacramentum, ex DEI offenſi amore deteſtanda: quo eorum ſcilicet veniam, ſi nondum fortè aſſecuti eſſent, hac certiùs ratione aſſequantur? Sed enim, qui divinæ conſuetudini, & charitati ſedulò vacat, quales animæ ſunt (quibuſcum hoc in libro agimus) neutiquam indiget à prædicto timore ſtimulari ad ſuorum deteſtationem facinorum. Nempe hic, ceu in peculiari, proprióque capite infrà explicabimus, etſi inſtar Mariæ Magdalenæ certiſſimè ſciret, præteritas omnes culpas ſibi eſſe à DEO condonatas; pergeret tamen, nihilo ſeciùs, ac pridem eas deteſtari, non quidem divinæ gratiæ certiùs obtinendæ causâ, ſed puræ charitatis vi impulſus: nimirum ex dolore, quòd iis perpetrandis DEUM infinitè amabilem, ſibique ſuper omnia adamatum offenderit. Qua ratione concepti pœnitentiæ actus perfectiores ſolent eſſe, & quantò minùs ſuum bonum reſpiciunt, tantò certiùs conſequuntur. Quocirca ex quacunque demum parte rem intueamur, præſentis divinæ inimicitiæ timor nihil utili-

tatis hujusmodi animabus parit: neque ullam vim ferè habet, nisi eas inquietandi, efficiendique, ut in supervacuis circa suum statum præteritum curis cogitationes suas occupent, quas multò fructuosiùs in acquirendæ ulterioris perfectionis studio occuparent. Effectus, quàm ipsis noxios, tam malignis hostis tartarei votis consentaneos: qui, teste D. Teresia, (*Cast. Inter. c. 10. Mans. 6.*) pro ingenti lucro suo habet, si animas videat interioribus molestiis perturbatas, & quietis expertes ratione impedimenti, quod ejusmodi pertubationes illis afferunt, nè DEO amando, & laudando totas se impendant.

7. Sed quid argumento respondebimus, quod adversarii ad prædictas utilitates confirmandas ex omnimoda obscuritate, atque ignorantia desumunt, in qua nos DEUS circa nostram secum amicitiam, vel inimicitiam reliquit: non alia profectò, ut legitimè colligi putant de causa; nisi quia utilius nobis censuerit, si, quantùm ad hoc, usquequaque incerti, dubiique, & metuentes essemus? Tria sunt, quæ opponere illi possim responsa, & unumquodque ad ipsius refutationem per se satis idoneum. Nego itaque primitus: DEUM voluisse, ut de præsenti sua amicitia penitùs

tùs neſcii, incertíque ageremus. Eſto quippe metaphyſica, & omnimoda noſtræ hujus ſortis certitudine careamus; poſſumus tamen, utì paulò inferiùs monſtrabo, moralem de illa certitudinem conſequi: notitiam nimirum, & perſuaſionem firmis adeò rationibus nixam, ut nullum anxiis, & meticuloſis de oppoſito dubitationibus locum relinquat. Quarum abigendarum cùm facultatem DEUS nobis providerit, quonam pacto rite argui poteſt, voluiſſe, ut ad majorem noſtram utilitatem perpetuò in nobis hærerent? Præterea, undenam compertum adverſarii habent, veram, germanámque rationem, cur DEUS abſque ſumma hujus rei certitudine nos reliquit, fuiſſe, quia ejus privatio merè per ſe ipſam ſpectata nobis foret utilior? Ego ſanè id inficiari nîl dubito: cùm obſervato ſolenni ipſius ritu ducendi nos, quamdiu in terris agimus, per obſcurum fidei tramitem, aliam poſſe mihi videar magìs propriam prædicti effectûs cauſam afferre: nempe quòd noluerit, manifeſta aſſiduè miracula edere, revelando unicuique mortalium ſupernaturalem ſuæ animæ ſtatum: quod faciendum neceſſariò erat, ut certiſſimam, & omnino indubitatam quiſque haberet de ſua cum illo amici-

tia scientiam. Qua eadem de causa neque sensibile cum animabus vitâ functis commercium, rerúmque divinarum visiones, &alia id genus ostenta quotidianam rem esse, ac promiscuam omnibus voluit: quamvis dubitari nequeat, quin permultis magno hæc adjumento, sive ad emergendum è vitiis, sive ad ampliorem in vita spirituali profectum fuissent. Cæterùm, fac, homines universos quàm certissimè exploratum habere, quòd amici DEI sint. Quidnam, rogo, detrimenti hinc perciperent sive ii, qui tales essent, sive alii, qui minimè essent? Nihil profectò secundi: talis enim scientia acres potiùs illis stimulos adderet, ad quærendum solicitè bonum, quo carent; sed neque priores, utpote qui majori propterea cum alacritate ad DEI famulatum incumberent, & locò supervacuæ anxietatis circa præsentem suum statum curas omnes converterent ad eum, qualem esse tunc lætum, atque optabilem vident, in reliquam porrò ætatem servandum. Certè sancti illi viri, quos per disertam revelationem de præsenti secum amicitia certiores DEUS fecit, usque adeò supernaturalem id genus notitiam spirituali suo profectui minùs utilem arbitrati non sunt, ut pro ea, tanquam pro singula-

ri

ri beneficio amantissimas divinæ bonitati gratesrependerint. Adde, (sítque hæc tertia responsio) quòd pleraque etiam Christianæ Religionis mysteria, ad majus fidei meritum obscurissima DEUS esse humanis mentibus voluit; nec tamen, quasi utilitatis suæ improvidos damnat, qui sedulo humanæ ratiocinationis nisu, atque studio, quantam possunt plurimam iis affundere claritatem conantur. Ergo, etsi utilius nobis foret, metaphysica, & summa certitudine, utrùm DEI amici simus, nescire; non tamen hinc sequeretur, quin summa adhuc quæri utiliter, & laudabiliter possit, quam habere in præsenti vita fas est, circa id certitudo: cujusmodi est, quam moralem appellant, non omnino infallibilis illa quidem, sed tamen sufficiens ad hominis animum extra inquietas, & meticulosas dubitationes ponendum.

8. Et hæc dicta sint ad probandum, debere eos, qui intimæ cum DEO conjunctioni student, abigere potiùs, quàm fovere inquietas suspiciones, & formidines, nè exosi illi sint, tanquam affectus detrimenti ampliùs, quàm utilitatis sibi allaturos. Superest jam, ut probem, debere idem ab iis fieri, ob alteram quoque duarum rationum, quas initio at-

tuli, quia nimirum plus cauſæ habent, cur ejuſmodi metus in ſe temerarios, & futiles, quàm cur juſtos, & probabiles credant. Neque huic rationi adverſantur, quæ objecta ſunt ſuperiùs è ſacris literis loca. Nam incipiendo ab illo Eccleſiaſtici monito; *de propitiato peccato noli eſſe ſinè metu*; particula *De* non videtur habere ibi vim præpoſitionis *circa*, ità ut ſenſus ſit, nè timoris expers ſis circa peccatum, quamvìs cæteroqui jam remiſſum: ſed æquivalere potiùs præpoſitioni *propter*, quaſi dicatur: non quia peccatum tibi remiſſum jam eſt, ſecuro eſſe animo debes, ſed cavere, nè iterum pecces. Talis, inquam, magìs propria eſſe illius moniti ſignificatio videtur: tum quia, ſi peccatum jam remiſſum eſſe conſtat, nulla ſupereſt ratio, imò neque vis, & facultas metuendi, nè remiſſum non fuerit; tum ratione verborum protinus ſubſequentium; *Neque adjicias peccatum ſuper peccatum; & nè dicas: miſeratio Domini magna eſt, multitudinis peccatorum meorum miſerebitur*: ſive, ùt in textu Græco legitur: *De propitiatione nè ſis ſinè metu, ut adjicias peccata peccatis.* Quæ verba ſat apertè indicant, moneri ibi hominem, qui peccavit, nè, quia condonatum ſibi à DEO eſt præteritum crimen, pergat ſinè ullo metu

alia

alia committere, tanquam certus de impetranda illis quoque à DEO venia. Si quis tamen adhuc contendat, prædictum locum ità esse accipiendum, ut timor, & solicitudo ibi commendetur circa ipsum crimen jam remissum; neque hoc admisso sequeretur, objectum, & materiam timoris debere esse, quòd incerta, & ambigua ipsius sit remissio. Cùm, quamvis certissima hæc sit, sat idoneam tamen causam timendi suppeditent pravi effectus peccati, etiam post ejus condonationem remanere in animo soliti: veluti pœnæ luendæ reatus, vitiosique habitus peccando contracti, & ad nova peccata impellentes: de quibus propterea, quàm penitissimè fieri potest, abolendis solicitos, inque metu esse nos convenit. Quod verò ad eam Salomonis sententiam spectat: *Nescit homo, utrùm amore, an odio dignus sit*, etsi accipienda non esset de æterna prædestinatione, vel reprobatione hominis, prout à D. Bernardo (*Serm.* 1 *de Septuag.*) accipitur, sed de præsenti ejusdem amicitia, vel inimicitia cum DEO; possum tamen cum pluribus, & gravissimis peccatoribus dicere, solam ab ea denegari homini prorsus certam, & infallibilem de sua cum DEO amicitia scientiam: non verò persuasionem quoque animi, practicè,

& moraliter certam : qua homo nimirum tranquillè, fidentérque DEI amicum se credit; ut, quamvis contrarii possibilitatem inficiari nequeat; de ea tamen ferè nîl cogitet, nec magis perturbetur, quàm si esse nullam putaret.

9. Et verò haud difficile factu esse, ut sedulus quilibet vitæ interioris professor persuasionem ità practicè, & moraliter certam de sua cum DEO amica conjunctione habeat; vel solis sat posset sanctorum Patrum testimoniis probari. Audiatur D. Basilius : *Quomodo* (inquit ille) *certò persuasus esse aliquis potest, quòd DEUS ei peccata dimiserit?* respondétque, securum de hoc esse posse : *si affectionem in se anima senserit, similem illius, qui dicebat : iniquitatem odio habui, & abominatus sum.* (*In Reg. brev. Inter.* 12.) Audiatur D. Joannes Chrysostomus, qui, recitato illo Apostoli dicto : *Ipse spiritus testimonium reddit spiritui nostro, quòd sumus filii DEI*; hanc indè conclusionem eruit : *Quando verò spiritus testatur, quænam relinquitur ambiguitas?* (*Hom.* 14. *in Ep. ad Rom.*) Audiatur D. Augustinus super Psalmum 84. ubi exhortatur veros fideles, ut fidenti animo compotes gratiæ sanctificantis se existiment : *Dicat unusquisque fidelium, sanctus sum. Non est*

ista

ista superbia elati, sed confessio non ingrati. Audiatur D. Leo Magnus, qui dubitare nos vetat, num DEUM in anima habeamus præsentem, quandocunque aliquod ex propriis illius effectis, ac vestigiis in ea deprehenderimus. *Discutiant se fidelium mentes, & intimos cordis sui affectus vera examinatione dijudicent: ut, si depositum aliquid in conscientiis suis de fructibus charitatis invenerint, DEUM ibi inesse non dubitent.* (*Serm. 2. de Fest. Pasch.*) Audiatur demum D. Bonaventura, qui secundùm nostram distinctionem pronuntiat: *Dicendum, quòd, quamvis de meritis non habeatur certitudo per scientiam necessariam; haberi tamen potest certitudo per probabilem conjecturam, & per quamdam ipsius bonæ voluntatis confidentiam, quæ consurgit ex conscientia. Puritas enim conscientiæ, quæ introducitur per expulsionem culpæ, dat ipsi animæ quamdam securitatem, & certitudinem de merito jam inchoato, & per consequens certitudinem de præmio consequendo.* (*In 3. Dist. 26. a. 1. qu. 5. ad 1.*)

10. Sed & ad manum est ratio, quæ idem planum faciat, dummodo causæ advertantur, unde posset contingere, ut quispiam nesciens cæteroqui divinâ gratiâ careret, quæque ideo omnium in præsenti materia dubitationum, ti-

mo-

morúmque fons sunt. Hæ verò, ùt quilibet videt, duæ esse possunt: vel scilicet, quòd aliquis assecutus veniam culparum non sit, quas alioqui se novit patrâsse; vel quia, esto illarum veniâ donatus, aliam quampiam sibi occultam patraverit. Neuter horum eventuum impossibilis est: non prior; quamvis enim confessio rite instituta nullis non criminibus abolendis par sit; unde tamen constare nobis potest in confessionibus, quas peregimus, nihil ad legitimum valorem necessarii defuisse: seu vitio Ministri Pœnitentiæ, qui haud potuerit, voluerítve nos absolvere, seu nostro, qui admissas ei culpas, nec omnes, nec debito cum dolore exposuerimus? Sed neque posterior: cùm nulli hominum certò, atque evidenter noti esse possint singuli quique interiores sui actus. Quod & propria cuique experientia demonstrat; & unanimi confirmatur testificatione tum Apostoli, de se ipso scribentis: *Nihil mihi conscius sum, sed non in hoc justificatus sum*; (*1. ad Cor. 4.*) tum Regii Prophetæ, qui perturbatus, pavénsque ad Deum clamat, (*Ps. 18.*) *Delicta quis intelligit? Ab occultis meis munda me*; tum D. Augustini, ubi posse aliquid criminis in angulo quopiam nostræ conscientiæ latère, ait, quod nobis in-

co-

gnitum acutior DEI visus perspiciat. (*Serm. 23. de Verb. Dom.*) *Tu non vides peccatum: fortè* DEUS *videt, qui meliùs videt.* Si ergo hìc ostendam, prædictorum eventuum possibilitatem non ultrà valere, quàm ut absolutam, & omnimodam divinæ gratiæ certitudinem sanctiorem vitam professis tollat; an non simul ostendero, posse hos nihilominus practicam, moralémque obtinere de sua cum DEO amicitia certitudinem: certitudinem scilicet, quæ illos trepidis de sorte contraria dubitationibus inquietari non sinat? Ità planè, ut nemo non videt. Age igitur, propositæ rei demonstrationem à primo capite exorsi aggrediamur.

II. Incertus sum, dicit quispiam, num Sacramenti Pœnitentiæ administer, qui peccata confitentem me audiit, seu legitimè initiatus Sacerdotio fuerit; seu voluntatem me ab iis absolvendi habuerit? Neque insuper mihi constat, utrùm plenè, integréque, & cum eo, quo par erat, supernaturalis doloris sensu mea illi delicta aperuerim? Priusquam objectioni planiùs respondeam; statuo, ceu doctrinam apud omnes certissimam, licèt unam fors aliquis, pluréve confessiones ex quocunque defectu irritas, imò etiam sacri-

le-

legas pridem obierit; si tamen deinde ad Pœnitentiæ tribunal, & legitimum ejus ministrũ rite præparatus, cúmque universali suorum omnium criminum detestatione accedat; esto irritarum ejusmodi confessionum delicta citra suam culpam ignorans, vel oblitus, tunc repetere omittat; nihilominus ab iis quoque, tanquam in generali suo dolore comprehensis per Sacerdotalem sententiam absolvi: plenámque anteactæ totius pravitatis suæ remissionem obtinere, & in pristinam cum DEO gratiam restitui. Hoc itaque extra controversiam posito, circa dubitandi occasionem è ministro Sacramenti petitam, respondet Franciscus Suarius, ubi quis apud alios, atque alios Sacerdotes confessus malefacta sua est, déque nullo eorum justam timoris causam habet, nè legitima se absolvendi potestate, aut voluntate caruerit; certum esse moraliter posse, quòd saltèm ab aliquo ex iis valida, & efficax sibi fuerit impertita absolutio. *Tunc enim, licèt generatim loquendo, in uno vel altero possit defectus, seu deceptio timeri; tamen moraliter videtur impossibile, quòd inter tot Ministros nullus fuerit & verus Sacerdos, & fidelis in ministrando. Est ergo tunc moralis certitudo de validitate Sacramenti ex parte Ministri in aliqua absolutione:* li-

licèt in particulari in hac, vel illâ determinatè non sit tanta certitudo. (*Tom.* 3. *de Gr. L.* 9. *c.* 11. *n.* 7.) Quantum verò ad conditiones, quas afferre necessariò ipse pœnitens debet, néve non attulerit, & frustratus propterea Sacramentum sit, timeri potest; aliæne tandem illæ sunt, nisi ut conscientiæ suæ latebras solerter scrutatus, si quid ibi capitalis culpæ nondum expiatum deprehenderit; & commississe ex animo doleat, & Sacerdoti candidè aperiat? Non aliæ profectò. Quænam ergo illarum tam difficilis paratu est, ut quisquam Christianæ perfectionis cultor suspicari probabiliter possit, in nulla ex tot confessionibus, post sanctioris vitæ initia à se obitis, eam sibi adfuisse? Num sincera, & fidelis noxarum memoriæ occursantium expositio? Atqui adeò perspicuum cuique est, ullámne, cujus recordaretur, capitalem noxam sciens, volénsque in Sacramento reticuerit; ut, factúmne id, an non factum à se sit, juratus affirmare post confessiones singulas queat. Num igitur (quæ altera est conditio) summus, atque intimus de patratis criminibus dolor? At enim verò, & liberrimum cuivis volenti est sic dolere; & ipse voluit, conatúsque est, quantùm in se erat, id agere: neque dolor prædictus

ctus rara adeò, & laborioſa res eſt; ut credibile videatur à DEI famulo, quantumvis volente, & conante, nunquam fuiſſe in ulla tot ſuarum confeſſionum pro eo, ac neceſſum erat, conceptum. Alioquin quid de vulgo fidelium fieret, cujúſve ex iis ſperanda eſſet ſalus; ſi etiam ii, qui perfectiori vitæ operam navant, nunquam Pœnitentiæ Sacramentum, etſi ad illud ſe parare diligenter ſtuduerint, cum idoneo, & ſufficienti dolore ſuſciperent? Ah credi non poteſt, DEUM voluiſſe, ut tam difficile, & ambiguum humano generi eſſet remedium, quod cæteroqui adeò illius fragilitati erat neceſſarium ad æternam conſequendam ſalutem: habendúmque ideo pro eventu moraliter impoſſibili eſt, quòd, qui à pluribus retro annis peculiarem DEI famulatum profitetur, omnéſque illius graves offenſas ſolertiſſimè vitat, quin & ordinarias, & leves frequenti confeſſione eluit; nè ſemel quidem tanto temporis tractu ſacram exomologeſim peregerit cum ea præparatione animi, quæ ad ſuperioris vitæ culpas delendas, & recuperandam DEI gratiam ſufficeret. Ità certè ſentit citatus paulò antè Suarius: affirmans, ubi quiſpiam longo tempore cum peculiari æternæ ſalutis, & ſpiritualis profectûs ſui cura vi-

vixerit, Pœnitentiæque interim myſteria frequentârit cum eo, quem ſat eſſe arbitratur, interiori paratu; eſto de peculiari quapiam confeſſione dubitare ſecum poſſit, num valida, & efficax fuerit; haud tamen de omnibus poſſe idem dubium prudenter concipere. *Tunc enim, licèt talis homo in una, vel altera confeſſione hæſitare poſsit; tamen in confuſo moraliter eſt valde certus, aliquando rite confeſſum eſſe Ergo hoc ſatis eſt, ut talis homo cum magna fide morali judicet, ſe aliquando amiſſam gratiam recuperâſſe.* (*Ibid.*)

12. Imò tam verum id eſt, ut re probè æſtimata nulla mihi occurrat ratio, cur vir pius, præſertim non indoctus, ſi ad interiores ſuos actus velit mentem advertere; nequeat de peculiari etiam quavis confeſſione eſſe moraliter certus, quòd eam cum ſincero de offenſis divinis dolore, & firmo melioris in poſterum vitæ propoſito obierit. Nam & curam adhibuit, ut prædictos actus conciperet; qui faciles cuivis homini ſunt, qui vel mediocriter in DEI cognitione, & amore profecerit. Quidnam igitur cauſæ eſt, cur dubius animi pendeat, num eos re ipſa conceperit, nec potiùs conceptos à ſe eſſe pro certo habeat? Næ id eſſet imitari quodammodo ſcepticorum ve-

cordiam, qui nihil usquam certi statuentes dubitabant, nosséntne revera, quæ noverant, & velléntne, quæ volebant, philosophandi ratione prorsus homine indigna, & ipsiusmet sensûs communis experte; quo quisquis præditus sit, ac rite utatur, intelligere satìs potest, aliquídne velit, aut nolit: præsertim si ejusmodi affectus non temere, obitérque in illius animo exoriantur; sed ipsemet ad eos concipiendos sedulam ultrò operam, studiúmque adhibuerit.

13. Adjice huc: quòd, licèt anxius esse aliquis pergeret de suarum confessionum efficacitate, & valore ob clandestinum fors quodpiam ministrorum, à quibus ibi absolutus est, vitium; habet tamen aliam quivis DEI servus rationem, qua certior fieri de sua cum cæleſti Domino amicitia possit: actum videlicet perfectæ charitatis, unde ad crimina omnia, quibus eum offenderit, summopere detestanda, & odio habenda impellatur. Nam & quilibet hujusmodi actus satìs per se est, ad hominem, qui DEO exosus foret, cum eo reconciliandum; & illorum complures ab hominibus, divinæ consuetudini deditis, partim in Pœnitentiæ Sacramento, partim etiam in quotidiana oratione exerceri solent. Quamob-

rem

rem facillimè hi possunt omni procul dubio statuere, in DEI sese amicitiam saltèm per eorum aliquem restitutos jam esse. Neque aliquis fors objiciat, perfectæ charitatis actus arduam plùs nimiò, nec nisì perpaucorum rem esse. Per tot siquidem annorum millia, quot à primo mundi exortu ad usque Christi mortem fluxerunt, unica hominibus ratio, qua patratorum à se criminum remissionem consequi possent, fuit eorum pœnitentia, & detestatio ex Theologicæ charitatis impulsu. Si itaque adeò id factu arduum ipsismet perfectionis Euangelicæ cultoribus foret, quotusquisque scelerum veniam, & reconciliationem cum DEO promeruisset, ante divini Verbi in terras adventum, quando etiam justi, piique homines neutiquam profitebantur vitæ genus tam sanctum? Væ humano generi ab opinione prædicta! Quæ idcirco repudianda vel uno hoc nomine est, quòd cum divinæ bonitatis injuria excogitata sit, durè adeò eam nobiscum egisse; ut, quo tempore minor in mundo veritatum supernaturalium intelligentia, & cælestium auxiliorum copia erat, nullum esse aliud peccantibus sempiternæ salutis obtinendæ instrumentum voluerit, nisì quod ob nimiam difficultatem etiam inter eos rarissimũ

sit, qui sub lege Euangelica vivunt, uberiori rerum divinarum luce illustrati, & ampliori. bus cælestis gratiæ subsidiis adjuti. Sed omis. sa etiam hac ratione, & rem ipsam suis dunta. xat momentis inter nos ponderando, quænam, rogo, difficultas occurrere homini potest jam diu vitam spiritualem profitenti, nè ità secum ratocinetur? DEUS, prout indubitatissimis non solùm Christianæ fidei, verùm etiam ra. tionis humanæ testificationibus constat, infinita adeò perfectione, bonitate, & pulchritudine excellit, ut à nostrûm quolibet plùs longiss. mè diligi mereatur, quàm aliud quodvis ob. jectum, aut nos ipsos diligamus. Cùm ergo tale illius meritum sit, & ego pro arbitrii mei libertate ità amare illum possim, quídni eti. am velim? Volo sanè: paratissimus ideò pri. ùs bonorum quidlibet repudiare, & malorum subire; quàm illum, cæteris mihi rebus uni. versis, méque ipso chariorem offendere. E quia ipsum infinitæ amabilitatis suæ causâ su diligo; odi, ac detestor, supra quidquid de. testabile est, meam in tali Domino toties of. fendendo perfidiam, plúsque de hac doleo, quàm de meo quovis malo dolerem: fixum propterea, & deliberatissimum in animo ha. bens creati nullius seu boni amore, seu mali me-

metu eum deinceps offendere. Quænam, dico, tam extraordinaria difficultas obstare ulli servo DEI potest, nè hujusmodi actus velit concipere, ac volens, utpote arbitrii sui potens, concipiat? Cúrve illum stupidæ adeò mentis fingamus, ut ad suam voluntatem paulò attentiùs respiciens minimè advertat, hanc re ipsa sic affici, séque ideo perfectæ contritionis actum edidisse: vi cujus, tametsi præteritæ omnes suæ confessiones ob ignotum sibi aliquod crimen cassæ, atque inanes fuissent; amissam peccando DEI gratiam recuperaverit, ínque præsens amicus ei sit? Ego certè non video, quid tantæ hìc obscuritatis homini, naturalis sensûs compoti neque Scepticam Philosophiam professo, ac se ultro excæcanti superfit. Quod si nihilominus aliqua dubitandi ratio circa hunc, vel illum ex actibus prædictis occurreret; nulla certè Suario judice apparet circa eos universos: adeò ut probabile videri possit, inter tot contritionis actus, à fideli quopiam DEI famulo post suam ad eum conversionem quovis ferè die repetitos, nullum omnino verum, integrúmque, & satìs efficacem fuisse. *Si ponamus hujusmodi hominem* (ità Doctor citatus) *sæpius in vita, vel quotidie per multum tempus ite-*

rare actus contritionis, faciendo, quantùm in se est, & quantùm ipse assequi potest, perseverando diu sinè conscientia peccati mortalis; non videtur possibile, quin aliquando veram contritionem eliciat, suppositis principiis certis de gratia DEI, *& promissionibus ejus, quas habemus.* (*Ibid.*)

14. Supereſt jam, ut ſecundam dubitationum, & timorum in præſenti materia radicem ſtudeamus evellere: demonſtrando, neque poſſibilitatem mortiferi criminis, in quod aliquis poſt ultimam confeſſionem ignoranter labi potuerit, impedimento eſſe, quo minùs DEI ſervi eandem de præſenti ſua integritate, ac proinde amicitia cum DEO retinere in ſuis animis practicam, & moralem certitudinem queant. Neque id demonſtrare ullius negotii res eſt: nam ad culpæ capitalis reatum, ex communi Theologorum ſententia, neceſſe eſt, ut, qui illo ſe obſtringit, (ſi cæteroqui timens DEI eſt, nec offendere illum graviter ſolet) deliberatè, ac plena cum animadverſione id faciat: rem ſcilicet vetitam volens, tametſi & vetitam à DEO eſſe, & à ſe tunc ultrò appeti intelligat. Jam verò, quamvis evenire poſſit, & revera perquam ſæpe uſuveniat, ut homines perditè impii, quibuſque ideo mos eſt, exorbere *iniquitatem, ſicut aquam,* (*Job. c. 13.*

c. 13.) deliberatè, scientérque peccatum velint, & tamen ob summam rerum spiritualium incuriam aliò statim mentem avertant, nullam in memoria retinentes perversæ voluntatis suæ speciem, secundùm quam illud fuisse à se volitum, affirmare dein possint; quis tamen crassam adeò conscientiæ stupiditatem suspicari queat in animabus, Christianæ perfectionis studium professis, quæque nihil seu pluris amicitiâ DEI faciunt, seu magìs quàm ejusdem offensam perhorrescunt? Nimis ah, nimis experrectus in animabus hujusmodi viget sensus, adeò & insolentis sibi accidere, & detestati à se mali, ùt est culpa lethalis: tantúmque absunt à nulla retinenda illius certò, & scienter admissæ memoria, ut vel tenui ejus dubio solicitatæ, nullum faciant examinandæ rei finem, nec priùs ab infixis molestissimarum anxietatum stimulis quiescant, quàm de sua sibi innocentia constiterit. Non aliter, quàm cutis obdurata, & calloſa, etsi graviter percutiatur, parùm dolet, & dolere citò desinit: at pupilla oculi, utpote delicatior, & leviculam quamvis offensionem acriter persentiscit, & dolorem indè haustum diu pergit manantibus lacrymis prodere. *Multùm differt* (dictum à Domino est Seraphicæ suæ Sponsæ

Teresiæ, gratáne, an invisa illi foret, aliquando solicitæ) *Multùm differt lux à tenebris: nemo insciens peribit.* (*In Append. ad Relat. vit.*) Circa allata verò superiùs Sanctorum testimonia, quæ contrarium videbantur asserere, dico, vel sermonem ibi fieri de peccatis venialibus, quorum plura, fateor, à spiritualibus etiam viris committi, quàm adverti: vel, si de mortiferis quoque accipienda sint, nihil indè amplius evinci, quàm absolutam possibilitatem, ut grave aliquod crimen admittatur sinè ullo ejus morsu, atque stimulo in conscientia superstite. Quod tamen haud obstat, quin sanctioris vitæ professores quandocunque nullo hujusmodi morsu, atque stimulo vellicantur cum pleniſſima probabilitate, imò & morali cum certitudine possint indè arguere, nullo gravis culpæ reatu se obstringi: dicentes cum Apostolo, & Euangelista Joanne: *Si cor nostrum non reprehenderit nos, fiduciam habemus ad eum.* (*Ep. 1. c. 3.*)

15. Atque hoc loci coarguendus mihi nonnullorum error se offert, piorum cæteroqui hominum, & Christianæ perfectioni studentium, qui, dubitatione interdum suboriente, num dæmoni ad peccandum solicitanti interiorem assensum præbuerint? quamvis possint ma-

majori cum probabilitate contrarium apud ſemet ipſos ſtatuere; tutius tamen, & ſpiritualis vitæ regulis congruentius putant, ſe ibi damnare, quàm abſolvere: controverſiámvel penitùs indeciſam relinquunt, vel in ea dijudicanda dæmoni potiùs, & peccato, quàm innocentiæ ſuæ favent: neutiquam interea animadvertentes graviſſima detrimenta, & incommoda, quæ ex hujuſmodi adversùm ſe iniquitate ſibi proveniunt, ac præſertim hæc tria. Primum, quòd ad ſcrupuloſa, & futilia dubia circa bonitatem, & malitiam ſuorum actuum mentem aſſuefaciunt, non audentes ferre ſententiam, nisì de rebus omnino manifeſtis, faciléſque perturbari ad primã quamque falſi juxta, ac veri criminis ſpeciem, & nullis non in ſuis rebus ad deteriora credenda proclives: non ſinè periculo, ubi dubium occurrat circa res agendas, ſeu peccandi ex practici judicii defectu, ſeu ex tutioris partis ſtudio ea faciendi, quæ fatuitatis ſpecie riſum ſapientibus moveant. Secundum: quòd lethalis culpæ horrorem ſuo ſenſim in animo obtundunt, ac minuunt: non eam ultrà ſpectantes, velut facinus improbitatis portentoſæ, & quod vix credibile videatur, poſſe ab ullo ſanæ mentis homine admitti: ſed potiùs, quaſi

humanæ quemdam imbecillitatis lapsum adeò videri ubique obvium, támque rarum, & difficile à quoquam vitari, ut censeri quodammodo proprietas, & natura hominis queat. Tertium: quòd à sua istiusmodi consuetudine deducantur paulatim in pernicioſissimam quamdam diffidentiam, & propemodum desperationem, integros sese à mortiferis quibusque noxis tuendi; dum post decretam toties in animo earum fugam, tótque artes ad hunc finem obtinendum adhibitas, irritos cadere sibi persuadent suos omnes conatus, nec ullum labi diem, quin nescientes quo pacto, & vix non coacti in earum aliquam decidant. Quæ persuasio neminem fallit, quantum impedimenti afferat, nè certum, atque efficax concipiatur, nunquam graviter delinquendi propositum. Cùm è contrario, si in ferendo de se ipsis judicio ea uterentur æquitate, quam erga omnes alios servandam sibi esse intelligunt, haud sese condemnantes offensi graviter Numinis, quando probabilior iis suppetit ratio, ab immani adeò se reatu absolvendi; & usum sibi compararent decidendi prudenter conscientiæ suæ causas, rem sanè maximi tum ad rectam vivendi rationem, tum ad tranquillum animi statum momenti; & gravem

DEI

DEI offensam, instar mali concipientes, quod pro extrema sua deformitate, & pernicie portento simile videatur, posse à quoquam rationis compote eligi; tantò illam vehementiùs perhorrescerent: tantò minùs excusabile, veniáque, & miseratione indignius censerent, ejus se reatu illigare: tantò denique firmiùs deliberatum haberent, teterrimam illius labem, quam divinæ gratiæ auxilio, & præterita intentione feliciter à se vitatam, & in quavis alia perfacilè vitabilem esse crederent, in perpetuum animo excludere.

16. Quibus confirmandis haud parvo usui esse potest mirabile exemplum, à Rosvveido in Appendice ad Patrum vitas relatum. (*P. 995. sub. tit Pall. Laus. c. 20. n. 16.*) Aquandi necessitas pium eremi incolam sua compulit è cella egredi; sed egressu maximè infausto; nactus quippe occasionem admodum lubricam, sustinere se nescivit, quin lethale in crimen decideret. En autem vix prolapso instare acriùs dæmon, nec spatium resurgendi permittere, sed omni ope conniti, ut ex fovea luxuriæ in desperationis baratrum præcipitem daret: suggerens, ut, quando apud Deum jam confregisset tesseram, tantíque temporis in erema exhausti labores uno die perdi-

dis-

disset ; tetricum illud vivendi genus , quod malè adeò sibi cesserat, tandem missum faceret, & ad hilariorem in medio hominum vitam se referret, fruiturus ibi per otium voluplatibus, quarum modò gustum ceperat. Oppugnatio perquam validè urgebat, nihilque propius factu erat, quàm ut infelix Monachus nequissimæ suasioni manus daret, & nimia mentis confusione excæcatus in ultimam provolveretur ruinam. Sed periclitanti divina lux in tempore adfuit, quæ doceret, sublevandi animi,& noxii mœroris abigendi causâ, à recentis peccati cogitatione, quoad immodica illa perturbatio resedisset, mentem averteret. Colligens se itaque, posteaquam (ùt credi par est) perfecta contritione , & confessionis suo tempore obeundæ proposito, in pristinam cum DEO amicitiam redierat; Heus, ait, quænam importunæ, vanæque species mihi mentem exagitant ? Cur despero ? Qua de re æger animi sum ? Quòd noxam capitalem admiserim ? Apage imaginationes falsissimas, & mera vigilis somnia. Egóne ut graviter DEUM modò offenderim , quem nullis non rebus chariorem habeo , & cujus gratiâ paratus sum vitam millies profundere ? Nullo modò id fieri potuit. Nunquam ad-

du-

ducar, ut factum credam. *Non peccavi, iterum dico, non peccavi.* Per lepidam hujusmodi inventionem recreatus ab exuperanti, & desperabundo mœrore ad suam cellulam rediit, consuetáque ibi cum alacritate ordinariis exercitationibus suis fungi perrexit, tanquam si nihil novi evenisset. Neque non providũ, & salubre id illius consilium fuisse, spirituali ejusdem magistro aperuit DEUS revelans homini generatim, suum illum discipulum de hoste tartareo, à quo victus primùm fuerat, insignem mox victoriam retulisse. Profectus hic ergo ad Alumni sui cellam, ut rem totam enucleatiùs cognosceret, cùm prima inter verba, satin salvæ? interrogâsset; ità Pater, responderi ab eo audiit. Nihílne igitur his diebus perturbationis, tristitiæque expertus in animo es? Nihil, DEO adjuvante, alter subjecit. At quonam id pacto, cùm DEUS hæc mihi de te revelaverit? Age itaque, excepit Monachus, quando rei summam divinitus nôsti, ejus quoque seriem, ac modum tibi candidè aperiam. Nec plura, & quidquid sibi acciderat, ut primò lapsus esset, quáque mox ratione à casu resurrexisset, speciatim exposuit, non sinè magna senioris admiratione, qui Authori bonorum omnium gratias de even-

ventu illo agens, concludit; *Certè, frater, discretio tua contrivit virtutem inimici.* En ergo pulchrum ſtratagema, quo ſimplex hic DEI ſervus periclitanti ſuæ ſaluti conſuluit. In apertum ille crimen corruerat, & tamen illud ſibi inficians, nè à triſtitia indè exorta in deſperationem ageretur, providit. Nec de hujus remedii uſu repræhenſus à DEO eſt, ſed potiùs pro bona ſua fide, ac mente laudatus. Cur igitur vir ſpiritualis, & amicæ cum DEO conjunctioni deditus, ubi certus de admiſſo crimine haud eſt, imò poteſt majori cum rationis ſpecie inſontem ſe credere; conſultius factu exiſtimet, illud ſibi imputare: neque contra noxiorum effectuum reſpectu, quos oriri indè vidimus, in hujuſmodi dubiis prudentiùs videatur facturus, ſi pro parte ſolidioribus fundamentis nixa, ſua nimirum integritate, ferat ſententiam? generalem ſolummodo de totius vitæ ſuæ noxis actum contritionis eliciens; déque caſu præſenti, tanquam de re minimè dubia, apud ſe dicens: *Non peccavi, iterum dico, non peccavi?*

17. Scio, approbandi, tuendíque contrarii moris causâ, proferri à nonnullis ſolere celebrem illam D. Gregorii ſententiam, (*L. 12. Reg. Ep. 31. ad Inter. 10.*) *Bonarum mentium*

tium est, ibi etiam aliquomodo culpam agnoscere, ubi culpa non est. Sed minimè ad rem: Aliud quippe est, bonas, hoc est salutis æternæ studiosas, & timentes DEUM animas, nisi prædicta earum bonitas convenienti prudentia gubernetur, solere præ culparum odio, ac formidine eas, & ubi non sunt, sibi fingere, quod unum à D. Gregorio ibi affirmatur; aliud verò, vanas culpæ imaginationes, quas illis prudentiæ expers bonitas suggerit, esse rem per se bonam, atque utilem, & pro tali suadendam: quod neque sancto Pontifici dicere unquam venit in mentem; neque ullus mentis cordatæ, hoc est plùs quàm simpliciter bonæ, vir dixerit. Quemadmodum morbos itèm esse, quosdam scimus, robustorum corporum proprios, nec molestiam facessere imbecillioribus solitos: quos tamen nemo dixerit corpori utiles, quia ex bona, hoc est valida constitutione originem ducant. Denique nihil visu crebrius occurrit, quàm mali effectus à causis, bonis quidem, sed non rite, ac convenienter temperatis producti. Usque adeò ipsummet bonum, si congruenti mensura, & temperie careat, noxium evadit.

18. Cùm ergo interiores DEI famuli, ceu demonstratum huc usque est, & certi esse mo-

moraliter possint de sua cum cæleſti hero amicitia; & ex certa, quietáque hujus perſuaſione plurimum alacritatis capiant, ad proficiendum in ejus amore, ad libentiùs cum eo converſandum, & ad illi ſerviendum impenſiùs, concludo, eos ſibi meliùs conſulturos, ſi, quantùm ad hoc, nulla perturbentur anxietate, & formidine propter abſolutam poſſibilitatem contrarii: ſed, quamdiu nulla ſuppetit peculiaris, & prudens de illo ambigendi ratio pro certo practicè habeant, divinâ ſeſe gratiâ potiri, & ſecuro, ac geſtienti animo in tam felici ſua ſorte acquieſcant. Confirmatúrque id communi ſapientum virorum exemplo: quos cernimus, ubi de hoc, vel illo ſuo bono certitudinem nacti ſint, quam rerum humanarum natura, & conditio ſuſcipit, eâ contentos penitùs vivere, neque de metaphyſica contrarii poſſibilitate quidquam plus cogitare, & ſolicitudinis capere, quàm ſi illa omnino nulla eſſet. Quòd ſi aliquis ſecùs agat, neque communi illa ſecuritate contentus ſit, ſed anxiè ſecum reputans, haud eſſe omnino impoſſibile, ut contrarium accidat; nullúmque finem faciat, novis ſe adversùs illud, & extraordinariis muniendi præſidiis, deriſui vulgò eſt, pérque ludibrium in ora hominum abit, tan-

tanquam fatuæ timiditatis ostentum. Qualis exempli gratiâ Artemon ille fertur fuisse: (*Plut. in Pericle.*) qui cogitans, quàm multa delabi supernè in caput possint, nunquam prodibat in publicum, nisi firmâ tectus lecticâ: imò & domi à duobus servis prætendi supra caput curabat. Atque hinc fit, ut, quamvis nulla nobis certa omnino adsit de nostri valore Baptismi scientia; cùm tamen ille sat probabilis sit, non solent vulgò homines de re tanti momenti plùs admodum cogitare, aut soliciti esse, quàm si extra omne dubium ea foret. Idémque observare fas est in aliis rebus humanis: ubi nemini certò constat, haud fore, ut domo exiens à furioso quopiam homine districto mucrone appetatur; vel domi manens tecti repentè collabentis ruinâ obruatur: & tamen, quòd ejusmodi casus merè possibiles sunt, nec ullum præsens, ac peculiare indicium sui exhibent; nemo vir prudens in iis anxiè recogitandis moratur: sed omnes potiùs inter eorum discrimina securi adeò agunt; ut securiores non agerent, si ex revelatione divina agnovissent, nunquam sibi esse eventuros. Si ergo circa hos, aliósque ejusdem generis casus cordati quique homines tali esse animo solent; cur aliter animatus quisquam

esse in præsenti nostro casu debeat, ubi longè probabilior, & certior, quàm in allatis modò exemplis securitatis ratio se offert? Curve hìc etiam abigendæ non sint, tanquam supervacuæ, imò tanquam insuper noxiæ, quæ sinè ulla peculiari, & justa ratione ob meram incerti mali possibilitatem in animo exorirentur formidines? Num quia ad intentiorem contra malum diligentiam hominem stimulant? At quis ignorat, diligentiam & in laudatissimis studiis esse posse imprudentem, & nimiam: ac proinde, ubi talem, atque tantam hìc prompserimus, qualis, & quanta adhiberi à prudentibus DEI famulis solet, & ad constituendam moralem certitudinem sufficiat æquum esse, ut solicitis, anxiisque illius stimulis modum aliquando ponamus: nè, si scrupulosa sedulitate tutiores usque fieri, ac tutiores conemur; instar commemorati suprà Artemonis fabula, & jocus sapientibus simus? Præterquam quòd post ulteriora quævis studia, & conamina, metaphysica terrentis mali possibilitas etiam tum permanebit: sempérque in carceribus nostri stadii erimus, neque absolutæ certitudinis compotes, neque practica, morali fruentes, nullúmque aliud efrè nacti inconsultæ diligentiæ pretium, nisi an-

anxietatem perpetuam: quæ, quantò cor angustabit magis, tantò minùs expeditum relinquet, ad percurrendas divinæ charitatis vias, ubi cordis latitudo præcipuum est progrediendi subsidium; ùt de se David testatur, DEO canens: (*Ps. 118.*) *Viam mandatorum tuorum cucurri, cùm dilatâsti cor meum.* Quantò itaque providentioris consilii fuerit, ut, si cui constare moraliter potest, revera DEI amicum, atque filium se esse, pro tali is se habeat, & gerat? in id unum suas omnes curas intendens, ut in illius amicitia magis semper, ac magis proficiat: & crebrò detestans, quæcunque adversùs eum perpetravit delicta; non quidem ex timore, nè illorum culpa etiamnũ in se duret, & deleri pio ejusmodi dolore indigeat, sed ex puro exercendi, quemadmodum per alios plures actus, minimè cæteroqui necessarios, sic etiam per hosce sui erga illum amoris studio. Quo pacto quæsitam à timore expulsionem culparum, & divinæ gratiæ securitatem tantò assequetur certiùs, quantò pœnitentiæ actus citra omnem timoris impulsum ex mero DEI respectu editi, minùs dubitari potest, quin ad eam charitatem pertineant, quæ *operit multitudinem peccatorum*, vel una per se in justum ex impio, ínque Dei amicum ex inimico hominem mutans.

19. At fortaſſe dicet hìc aliquis, cùm recentiores hæretici hac in materia modum omnem exceſſerint, ſtatuentes, pro certiſſimo fidei dogmate habendam Chriſtiano cuique homini eſſe ſuam cum DEO amicitiam; tutiùs videri, ſi, quàm longiſſimè fieri poteſt, ab eorum temeritate abſcedamus, omnem prorſus damnando, etiam practicam, & moralem illius rei certitudinem. Talis eſt nonullorum opinio; ſed judicio meo parùm ſolida, eorúmque magis propria, qui ſolam rerum ſpeciem attendant: quàm qui eaſdem penitiùs introſpiciant, ínque trutina rationis examinent. Neque enim ſemper modus maximè idoneus revocandi ab uno extremorum homines eſt violenta ad aliud contrarium impulſio. Sed non rarò contingit, ut ab extremo, ad quod quis reluctans propulſus fuit; faciliùs, libentiúſque ad alterum tranſeat, quàm ex medio utrique interjecto transîſſet. Quin imò probabile mihi admodum eſt, temerariam hæreticorum ſententiam de ſumma circa divinæ gratiæ poſſeſſionem certitudine, vel ortam primò eſſe, vel, quò latiùs propagaretur, adjutam à nimiùm timidis hujus, illiúſque Orthodoxi Authoris ſententiis, de nulla omnino vel minima circa id certitudine. Nam cùm

per

permulti cor sibi violenter comprimi à summa illa in re tanti momenti ambiguitate sentirent, neque eam ullo pacto verisimilem arbitrarentur; horrere, & aversari duras adeò sententias cœperunt. Unde factum est, ut horrore hoc impulsi, quàm longissimè poterant, ab iis se reducerent, neque in moderatiori alia, & finitima iis sententia consisterent, sed ad illam, quæ omnino, & maximè erat contraria, transgrederentur. Quemadmodum, qui à termino quopiam magna vi resilit, non solet in illius vicinia hærere, sed, quamdiu impetus, per quem indè repulsus est, manet, pergit ab eo semper longiùs recedere. Et revera Lutheri satelles Chemnitius, quò Tridentinam Synodum vendibiliùs impugnet; cogi ab ea homines fingit ad perpetuò, & usquequaque ambigendum de divina in suis animis gratia, invidiosè exclamans; *Qualis est illa doctrina; cujus effectus, summa, & finis est, ut anxiæ conscientiæ quærentes consolationem, rejiciantur in perpetuas hæsitationes, & dubitationes suæ cum* DEO *reconciliationis, salutis, & vitæ æternæ?* Quæ illius exclamatio majorem vim haberet ad creandam apud vulgus invidiam definitionibus sacræ illius Synodi; si nos quoque audientes damnari ab ea summam de

divinæ gratiæ poſſeſſione certitudinem, qualis eſt certitudo fidei; perperam indè arguemus, ſummam contrà ab eadem circa id ambiguitatem præſcribi. Quamobrem ſapienter Bellarminus reſpondet, egregiè hallucinari, ſeu veriùs impudenter calumniari hominem, dum prædicat, à Concilii doctrina nos cogi ad ducendam in perpetuis hæſitationibus, & conſcientiæ angoribus vitam: cùm non deſint ex Catholicis Authoribus plures, qui, quamvis jurati in Tridentinæ Synodi verba, doceant nihilominus, poſſe hominem eò ſecuritatis circa præſentem ſuam juſtitiam pervenire; ut, licèt dubitare de illa queat, tamen nîl dubitet: neque ideo opus cuiquam eſſe, in omnimoda vel ſecuritate, vel anxietate, tanquam nihil præterea eligendum occurrat, ævum traducere: ſed inter duo hæc extrema, tertium, mediúmque adhuc ſupereſſe practicæ, & moralis certitudinis ſtatum, in quo veris DEI ſervis tranquilliſſimè liceat, quaſi in quodam terreſtri paradiſo quieſcere. (*De Juſtif. L. 3. c. 11.*) *Neque enim bona eſt argumentatio: Catholici non habent certitudinem fidei de ſua juſtificatione; igitur ſemper dubitant, hærent, anxii ſunt. Sicut neque contrà rectè quis concluderet: Catholici non ſunt anxii, neque hæ-*

sitánt de sua justificatione; ergo certì sunt certitudine fidei, remissa sibi esse peccata. Datur enim aliquid medium inter hæc extrema, videlicet certitudo quædam moralis ex parte intellectûs, & spes, ac fiducia ex parte voluntatis. Hanc igitur certitudinem libenter agnoscimus, quæ non oritur ex præsumptione imputatæ justitiæ, neque est certitudo fidei Catholicæ: sed oritur ex charitatis, & bonorum operum experimento, ac per hoc moralis, & conjecturalis certitudo appellari potest: Ità Bellarminus. Tantùm igitur à vero abest, debere nos, quia hæretici cuivis fidelium summam, & falli nesciam de præsenti sua justitia certitudinem tribuunt, omnem prorsus de eadem certitudinem tollere; ut potiùs hoc pacto ansam iis præberemus abalienandi se magìs à doctrina Catholica, suóque in errore pertinaciùs hærendi: at contrà justam aliquam, & legitimã admittentes fateri eos cogamus, nullam sibi causam, & necessitatem adesse confugiendi ad suum illud extremum, quasi ad unicum pacis asylum: cùm neque Catholicis pacatissimum aliud desit in sua, non plùs quidem morali, sed rationi consentanea, & sufficienti alioquin certitudine asylum.

CAPUT XII.

Neque satis valere, ad perturbandam nostræ cum DEO conjunctionis jucunditatem, qnòd de perseverantia in eo amando, déque æterna consequenda salute nîl omnino certi habeamus.

AT, si fideles DEI servi idoneam non habent trepidationis, & anxietatis causam de præsenti sua cum illo amicitia; habebunt eam saltèm de perseverantia illũ deinceps amandi, déque æterna consequenda salute. Etenim, sive consideremus, quæ extra nos sunt; quid aliud intueri fas est, nisì animæ offendicula, peccandi illecebras, & salutis discrimina? sive intrà nos ipsos mentis aciem reflectamus; quæ nostri pars occurrit, non morbosa, vitiata, & corrupta? Caro spiritui adversa, appetitus rationi perduellis, intellectus cæcutiens, voluntas ad malum proclivis, omnia demum, quasi triste quoddam miseriarum theatrum, chaos perturbationum, seminarium errorum, & criminum. Firmi, esto, quantumcunque in nobis sint virtutum habitus, per-

perſpicuæ veritatum æternarum notitiæ, valida bene agendi decreta. Omnem hunc ſpiritualis opulentiæ theſaurum geſtamus *in vaſis fictilibus*, quæ ad levem quamque offenſam diſſiliunt; modò plena, jam ſubitò inania. Omnes hujuſmodi ſupernaturales prærogativæ, ceu varia olim Babylonii Coloſſi metalla cretaceæ baſi incumbunt, naturæ videlicet imbecilli, mutabili, cujus princeps elementum eſt inconſtantia: adeò ut iis ſubvertendis nullo opus ſit arietum, ſeu turbinum impetu, ſed & lapillus in fragilem illam baſim temere incurrens ſufficiat. Et verò, raráne id genus ruinarum exempla ſe objiciunt? Poſſem ad earum ſpecimen ſanctum Regem Davidem proferre, virum *ſecundùm cor DEI*, támque firmæ in famulatu ipſius voluntatis, ut diceret: (*Pſ. 29.*) *Non movebor in æternum*: qui tamen ab obtutu minùs cauto non motus ſolummodo eſt, ſed & in adulterii, ac homicidii baratrum fœdiſſimè præcipitatus. Poſſem illi adjungere Apoſtolorum Principem Petrum, qui ad repentinam non immanis tyranni, ſed imbellis mulierculæ aggreſſionem oblivioni mandavit, quidquid paluò antè animosè adeò cæleſti ſuo Magiſtro pollicitus fuerat, (*Matt. 6. 26.*) *Etiamſi oportuerit me mori tecum: non*

te negabo: ex Martyre, qualem se gloriabatur futurum, in apostatam, qualem nunquam se fore existimabat, mutatus. Possem alios, itèm quàm plurimos, quibus plena historiarum sunt monumenta. Sed omnibus prætermissis contentus ero unius Origenis mentionem feciſſe. Contemplamini illum, si libet, qualis meliori ævo suo fuit, aureo capite ob cælestem sapientiam, argenteo pectore ob eximium innocentiæ candorem, nullóque non firmiorem ære, atque ferro, si vivendi austeritas, & martyrii cupido attendatur. Proh DEUM immortalem! Quisnam suspicatus unquam esset, fore, ut tanta virtutis soliditas, & meritorum opulentia in præceps rueret, comminueretur in fragmenta, *quæ rapta sunt à vento, nullúsque locus inventus est eis?* Ulline in mentem veniſſet, tam præclarum heroëm damnatum iri potiùs unà cum Arriis, & Nestoriis, quàm publicæ venerationi propositum cum Athanasiis, Gregoriisque, & Basiliis? Et tamen, quia infelix Origenes nihil plus homine erat, cujus proprium est *nunquam in eodem statu permanere*, & quia cum peculiaris excellentiæ suæ auro, argentóque junctum in se habebat communis naturæ, ac fragilitatis lutum; en illum, ad universæ poste-

ri-

ritatis terrorem, Orthodoxæ fidei desertorem, hæresum fatorem, à quinta œcumenica synodo diris devotum, &, si vera fuit visio, cuidam DEI famulo objecta; in fumidum averni torrem ex lucidissimo cæli astro conversum. Quanquam quid alienis exemplis est opus, ac si sua cuique experientia non satis ostenderet, quàm levi momento in contrarium mutabilis, nec unquam sibi diu similis, sed maritimo quovis æstu inconstantior noster animus sit? Cùm non rarò usuveniat, adeò ad serviendum DEO alacres, inque ejus amore firmos nos esse; ut tanquam peccandi impotes, creatas res omnes ad faciendum nostræ constantiæ periculum, animosis iis provocemus Apostoli verbis: (*Ad Rom.* 8.) *Quis nos separabit à charitate Christi? Certus sum enim, quia neque mors, neque vita, neque Angeli, neque principatus, neque virtutes, neque instantia, neque futura, neque fortitudo, neque profundum, neque creatura alia poterit nos separare à charitate* DEI. Qui vix horulâ elapsâ ad illecebrosi objecti subitam speciem, vel diabolicæ tentationis incursum, usque adeò diversum animi habitum, & contrarias prioribus propensiones induimus; ut penè dubitemus, an iidem simus, qui paulò antè eramus: videntésque nos tam repen-

pentè à tertii cæli ſublimitate in extremam dejectos avernalis hiatûs crepidinem cogamur cum eodem Apoſtolo queri, (*Ad Rom.* 7.) *Video aliam legem in membris meis, repugnantem legi mentis meæ, & captivantem me in lege peccati.* Quiſnam ergo incedere timoris vacuus per viam poterit, tot undique inſidiis, & periculis conſitam? Quiſve ibi certam ſalutem præſumere, ubi (ceu quondam dixit David, & nulli non fas eſt de ſe dicere) *Uno tantùm gradu ego, mórſque dividimur?* (L. 1. *Reg.* c. 20.)

2. Ità ſanè multi ſecum diſputant, aſſiduéque occupatâ formidoloſis imaginibus mentem non audent, qua par eſt alacritate, ad divinæ opis fiduciam erigere. Quodnam igitur inſiſtendum iter mihi eſt, ut eorum animos à nimis anxia trepidatione exolvam, aptiores ad amicam, & ſuavem cum DEO conſuetudinem reddam? Negémne, aut ſaltèm extenuem, quibus conſternari illos video ſalutis diſcrimina? Nulla ad propoſitum mihi finem hujuſmodi arte opus habeo. Imò tantùm à neceſſitate, & cogitatione abſum, illorum rationibus obviam eundi, ut earum potiùs vim, atque pondus pro virili aucturus ſim: conteſtando, parùm eſſe, quidquid ipſi prædicârunt ſive de periculis, quæ aſſiduè nos circumſtant,

stant, sive de viribus, & multitudine hostium, à quibus impugnamur, sive de nostra imbecillitate ad utrorumque propulsandam perniciem. Ità sanè: totum id assevero, & persuasissimum habeo: fateórque propterea, nullum in terris existere hominem tam eximiæ, perfectæque virtutis, quin continenter in proximo, & manifesto versetur præcipitandi, ac pereundi discrimine. Quàm tamen pro certo id contestor; tam indubitanter subjicio, nemini idcirco justam suppetere dejiciendi animi causam: sed potiùs par esse, ut nihil seu ob nostram infirmitatem, seu ob adversariorum vim consternati, securâ, & hilari præcipiamus spe ex eorum nos oppugnationibus evasuros victores, Deíque in amicitia ad extremum usque spiritum perseveranter mansuros. At quo tandem id præsidio? uno hoc, & certissimo, & nulli non obvio: nempe ut persuasum quàm firmissimè habentes, actum omnino esse de nostra perseverantia, si nostris tantummodo ea viribus innitatur, pluries quotidie, ac præsertim in peccandi periculis, opportunum à DEO flagitemus efficacis suæ gratiæ subsidium; eo siquidem nostris precibus annuente apertissimè, & meridiana luce clariùs quivis videt, nihil adversi futurum,

quod

quod nos seu possit lædere, seu debeat terrere, adeò ut minùs tuti vivamus; quàm si nostram perseverantiam in manu haberemus. *Domine, ùt scuto bonæ voluntatis tuæ coronâsti nos. Ecce* DEUS *Salvator meus: fiducialiter agam, & non timebo.*

3. Video id clarissimè, reponet hìc quispiam, veræque fidei expers forem, si cadendi timorem, aut dubium conciperem, ubi DEUS efficaci sua gratia præsens me adjuvat. At unde certò sciam, concessum ab eo iri meis precibus tam benignæ opis præstantiam? Cùm eam neque omnibus concedat; & adsit ratio timendi, nè mihi tanquam prorsus indigno, negatam velit. Quid ais, ô quicunque ità differis? cave sis, nè certissima divini Verbi oracula in dubium voces: indigniórque ob istius dubitationis injuriam, quàm ulla alia de causa illius adjutorio fias. Unde, inquis, certò mihi constet, exauditum à DEO iri meas preces? Constat ex argumento, quo nullum potest certius humana ulla tibi ratio suggerere, nempe ex ipsius DEI Hominis testimonio. Nosse enim debes quàm disertè non per Prophetas duntaxat, vel Apostolos, sed suomet ore professus sit, quidquid veri boni à se homines petant, concessurum petentibus.

Omnia,

Omnia, quæcunque orantes petitis, credite, quia accipietis, & evenient vobis. Promissum certè ab eo est, teste D. Marco, (*c.* 11.) *Quodcunque petieritis Patrem in nomine meo, hoc faciam*, ipsemet dixit, publicámque in D. Joannis Euangelio (*c.* 14.) pollicitationis suæ fidem reliquit: *Petite, & dabitur vobis; omnis enim, qui petit, accipit*, verba ipsius sunt, à sanctis Matthæo, Luca, (*c.* 7. *&* 11.) posteris tradita. Ubinam ergo illius esset veracitas, si talia locutus fuisset, aliud ore promens, aliud in mente conditum habens? Ubi fidelitas, si re ipsa haud impleret, quod tanta cum asseveratione se facturum recepit, nec unius, sed quotquot sunt Euangelistarum suorum calamo omnibus promulgari sæculis, atque gentibus voluit? Ah, *non est DEUS, quasi homo, ut mentiatur, nec ut filius hominis, ut mutetur. Dixit ergo, & non faciet? Locutus est, & non implebit?* (*Numer. c.* 24.) Avertat ipse à Christiani hominis mente, ut de hac re dubitet, quam etiam sacrilegus Balaam pro indubitatissima habuit. Certè idem oraculum, quod divinam nobis Triadem revelavit; quidquid item boni confidenter à DEO petierimus, nostris tribuendum esse votis testatur. Neque ulla mihi apparet ratio, cur sinè ulla hæsitatione credenda illius myste-

sterii, non autem hujusce etiam promissionis veritas sit: cúrve aliquis de illa dubitare, tanquam infidelitatis scelus perhorrescat; hanc verò in dubium revocare nîl timeat.

4. Quisquis itaque ex DEI famulis suam, quantum fieri potest, in tuto collocare perseverantiam optat; hanc diebus singulis coram DEO iterare orationem nè omittat: *Domine DEUS salutis meæ, de cujus munere venit, ut tibi à fidelibus tuis dignè, & laudabiliter serviatur*, ego divina tua luce, atque ipsa experientia demonstrante, palàm video, nihil me boni propriis duntaxat meis viribus posse, ac proinde in assiduo te offendendi, tuæque gratiæ amittendæ versari discrimine. Quod cùm supra omne aliud malum abominer; per tuam te immensam bonitatem, & pretiosissimum unigeniti Filii tui sanguinem humillimè obsecro, nè me unquam ruere in horrendum adeò barathrũ sinas: sed vel tua in periculis præsenti ope mihi adsis; vel priusquam illius occasionis articulus superveniat, in quo peccaturum me prævides, vitæ mihi filum succidas. Multò quippe levius malum arbitror mori, quàm te veram, unicámque meam vitam offendere. Hoc maximum est inter munera, quæ precari, & sperare ab infinita bonitate tua possum:

& hoc fideliſſimis promiſſionibus tuis fretus minimè timeo, nè ab eadem impetraturus non ſim. Cæterorum omnium, quæ ad præſentis vitæ uſus pertinent, vacuus dimitti æquo animo patiar. At hoc neceſſe omnimodè eſt, ut à te auferam. Alioquin ſupremi judicii die querar, quòd ſpecioſis promiſſis luſum tibi me feceris. Sed quid ego eventus impoſſibiles ſomnio? Faceſſat hinc procul, non dicam ſuſpicio, ſed vel mentio, & cogitatio tam abnormis portenti, quale foret, fidem ipſam poſſe eſſe infidelem. Certiſſimus ſum, nullo unquam pacto eventurum, ut hoc mihi deneges munus, tam præcipui ad rerum mearum ſummam momenti, nec ullius tibi impendii, & laboris: ac de illo propterea, velut de præſenti, acceptóque jam beneficio, quàm ampliſſimas tibi grates perſolvo. Hoc, inquam, vel huic æquivalens precationis genus nullo non die iterum, iterúmque inſtauret, cui curæ eſt, ſartam tectam ad extremum uſque diem perſeverantiam in DEI gratia tueri: tantúmque in hac arte ſpei collocet; ut ſi fortè poſt tentationem aliquam dæmonis, in qua divinum auxilium rite imploraverit, de interiore quopiam conſenſu illi præſtito ambigeret, ambiguitatem illam pro inani ſcrupulo

habeat : omnino incredibile existimans fieri potuisse, ut DEUS contra luculentas adeò pollicitationes suas ipsi humiliter, fidentérque obsecranti adesse noluerit. Nam quod aliud orantibus nobis munus concedet, si hoc concedere abnuat, quod maximè omnium ad illius gloriam, & nostram conducit salutem, neque aliâ, quàm intimi erga ipsum amoris, vitandæque ipsius offensionis causâ à nobis expetitur : *Domine, quas Tunam preces exaudis, si has non exaudis?* (*Aug.* L. 22. *de Civ.* c. 8.)

5. Ad summam, inquit Augustinus, perspicua adeò hæc veritas est, ut nullum dubitationi locum relinquat. (*Confess.* L. 12. c. 1.) *Petite, & accipietis. Promissa tua sunt. Et quis falli metuat, cùm promittit veritas?* Qui idem sanctus Doctor in Davidica illa verba cõmentans, (*Ps.* 65.) *Benedictus* DEUS, *qui non amovit orationem meam, & misericordiam suam à me*, subjungit : *securi de pollicitatione ipsius, non deficiamus orando : & hoc ex beneficio ipsius est. propterea dixit, benedictus* DEUS, *qui non amovit deprecationem meam, & misericordiam suam à me. Cùm videris, non à te amotam deprecationem tuam, securus esto, quia non est à te amota misericordia ejus.* Quamobrem re accuratè introspecta, & Theologicum ad examen vocata, concludi-

Sua-

Suarius, si quis suam in DEI amicitia stabilitatem perseveranti oratione ab eo flagitet; fieri non posse, quin obtenturus eam sit. (*To. 3. de Gr. L. 12. c. 38. n. 16.*) *Dico, si quis oret perseveranter, petendo perseverantiam in gratia, infallibiliter eam esse impetraturum. Atque ità dicimus, justum, perseverando debito modo in orationis instantia, & frequentia posse successivè infallibiliter obtinere perseverantiam usque ad mortem.* Et declarans, qualis hæc orationis perseverantia esse debeat, dicit ejusmodi esse oportere: *ut non semel tantùm, aut iterum fiat, sed toto vitæ tempore duret: & præsertim ut in occurrentibus occasionibus servandi mandata, aut vincendi tentationes cum debita fiducia repetatur. Sic enim fit, ut procedendo de uno actu ad alium, bene operando, & convenienter orando, perseverantiam infallibiliter consequatur.* Quod ipsum priùs, & apertioribus verbis docuerat Joannes Chrysostomus, ubi scripsit: *Impossibile est, hominem congruo precantem studio, & DEO assiduè supplicantem unquam peccare.* (*Hom. 29. ad Pop.*)

6. Imò, etsi nulla se DEUS universali promissione obligâsset, concedendi nobis, quidquid munerum piè ab eo petierimus, multæ tamen, validissimæque adsunt rationes, quæ persuadeant, saltèm hoc tam necessarium

permanſionis in amicitia ſua munus nulli petentium eſſe ab eo denegandum. Prima eſt infinita illius potentia, atque bonitas. Si enim nemo hominum adeò immiſericors eſt, ut alteri in graviſſima neceſſitate opem ſuam imploranti ſuccurrere abſque ullo ſuo incommodo abnuat; quonam pacto ulli veniat in mentem, fieri unquam poſſe, ut DEUS, *cujus miſericordiæ non eſt numerus, & bonitatis infinitus eſt theſaurus*, hominem in manifeſto, atque æternùm pereundi diſcrimine conſtitutum, & à ſe, qui unus, & nullo quidem negotio tueri incolumem poteſt, indè eripi ſuppliciter obſecrantem, omni caſſum auxilio deſtituat? Qualemnam, rogo, illum mente concipimus, ſi talia ſuſpicari de eo poſſumus? Pudeat ſanè, pudeat, imò horrori ſit, Patrem miſericordiarum, ipsámque adeò miſericordiam, quovis homine vel mediocriter pio minùs exorabilem fingere. Atque hinc eruitur illud tam evidens argumentum, quo ipſemet demonſtrat, nullas eſſe nobis timendas à ſua incomparabili bonitate votorum repulſas, dicens apud S. Matthæum: (*c. 7.*) *Si vos, cùm ſitis mali, nôſtis bona data dare filiis veſtris, quanto magis Pater veſter, qui in cælis eſt, dabit bona petentibus ſe?* Neque ego certè aſſequor, quo

modo magnæ DEI Parentis misericordia, tametsi alio de fonte in eam derivata, neque plùs quàm finita, justam D. Bernardo suppeditare causam potuerit, coram ea profitendi, (*Serm. 4. de Assumpt.*) *Sileat misericordiam tuam, Virgo beata, si quis est, qui invocatam te in necessitatibus suis sibi meminerit defuisse*; neque justiorem multò cælestis Patris nostri misericordia, per suam ipsi essentiam conveniens, nullisque certis limitibus definita nobis omnibus præbeat, similiter apud eum profitendi: *Sileat misericordiam tuam, clementissime DEUS, si quis est, qui invocatum te in necessitatibus suis sibi meminerit defuisse.* Secunda ratio ducitur ex singulari benignitate, qua in filiorum loco nos habere se ostendit, præcipiens, ut orationis initio Patrem eum vocaremus. Licet quippe cum S. Augustino hinc arguere, si non rogatus, & ante orationem nobis tribuit, ut filii sui essemus; multò magis concessurum rogantibus, nè à filiorum gradu, & conditione excidamus. (*De Serm. Dom. in Monte c. 8.*) *Hoc nomine Patris quædam excitatur impetrandi præsumptio: cùm, priusquam aliquid peteremus, tam grande donum acceperimus, ut sinamur dicere, Pater noster. Quid enim non dabit filiis petentibus; cùm hoc ipsum ante dederit, ut filii essent?*

Similis huic est tertia ratio ex aliis majoribus beneficiis desumpta, quæ item ultro, & *motu proprio* nobis præstitit, cujusmodi sunt, nostram sibi humanitatem aptâsse, diriſſimámque in ea mortem pro nobis obiisse. Neque enim probabile ullo pacto videri potest, negaturum minora nostris precibus, qui ante quasvis preces, quod tantò majus est, sponta nea largitate donavit. (*De Commens. Cruc. inter opera D. Ans.*) *Quia majora, quæ fecisti, animant nos, ut de minoribus confidamus. Omniatenim, quæ petere possumus, minora sunt, quàm quod tam dignanter pro nobis es incarnatus, & passus.* Efficaciſſima sanè ratio, bisque producta à D. Paulo in sua ad Romanos Epistola: semel c. 8. hisce verbis: *Qui proprio filio suo non pepercit, sed pro nobis omnibus tradidit illum; quomodo non etiam cum illo omnia nobis donavit?* alio verò vice c. 5. ubi idem argumentum multò adhuc validiùs corroborat, observans, maximum illud donum impertitum à DEO nobis fuisse, etiam tum perduellibus, atque inimicis: ut timendum propterea non sit, nè minora familiaribus, atque amicis nunc deneget. Etenim, *si, cùm inimici essemus; reconciliati sumus DEO per mortem Filii ejus; multò magis reconciliati salvi erimus in vita ipsius.* Succedit quæ

quarta fiduciæ ratio, maximi & ipsa ponderis, quippe circa impetrationem rei, quam obtineri à nobis præcipuæ curæ, & voluptati Deo est. Cùm nihil ille optet magìs, quàm nostram in gratia sua firmitudinem: imò hæc scopus sit, ad quem omnia collineant seu naturalia, seu supernaturalia illius opera. Cur ergo negaturus sit nostris precibus bonum, quod adeò impensè nobis desiderat, quóque ut potiremur, tot instrumenta, atque artes, & machinas ultro adhibitas voluit? Næ id perinde esset, ac si Pater, qui nihil æquè cordi habet, ac filii in liberalibus disciplinis profectum, nullísque sumptibus parcens, plura quot annis aureorum millia in literarios illius usus expendit; rogatus dein ab eo non plùs, quàm octo, decémve nummos, emendi libri causâ, suis maximopere studiis necessarii, recusaret minimum id pecuniæ ad finem conferre, tot cæteroquin sibi curis, atque impensis quæsitum. Rectè Augustinus (*Serm. 109. de Temp.*) *Qui nos tanto pretio redemit, non vult perire, quos emit. Non emit, ut perdat.* Denique certum est, fieri non posse, ut nos supernaturale hoc munus perseverantiæ in illius gratia à DEO peteremus, nisì ipse arcano suo instinctu ad hujusmodi petitionem nos excitaret. Unde

nova, & quinta oritur nobis ratio confidendi, impetraturos procul dubio ab eo esse, quod petimus. Cur enim ad postulandum nos stimularet, nisi vellet postulata concedere? *Justum desiderium tu das* (inquit D. Anselmus, vel quicunque alius librum *de Commensuratione Crucis* composuit) *& ad quid dares, nisi velles exaudire?* Certè, ùt Doctor mellifluus consonat, qui hortatur ad poscendum, nequit habere animum negandi, quod poscitur. (*Bern. serm. 2. de S. Andr.*) *Quando DEUS negabit petentibus, qui etiam non petentes provocat, & hortatur, ut petant?* Quas rationes quisquis accurata æstimatione pensaverit, meridiana luce clariùs perspiciet, nullo fieri modo posse, ut summus ille omnium Author bonorum, qui & pro natura bonitatem habet, & quantumcunque largiatur, nulla ex parte opulentiam suam minuit; & profitetur, se in filiorum loco nos ducere, & ante omnes nostras preces ex mero propriæ benignitatis impulsu dona nobis largitus est omnibus, quæ precari ab eo ausi essemus majora; negaturus jam precantibus donum sit, quo nihil nobis est necessarium magìs, nihil sibi gratius, & ad quod flagitandum suis ipsemet nos arcanis impulsibus provocat, perpetuam nimirum in amicitia sua fir-

ſua firmitatem. Abſcedat hinc, abſcedat quàm longiſſimè omnis dubitatio, concludit D. Petrus Chryſologus. *Metus locum non habet, ubi à Patre filius pietate interprete deſiderat, quæ ſancta ſunt, impetrare.* (*Serm. 10.*)

7. His porrò rationibus, quæ ad mentis intelligentiam, & perſuaſionem attinent, palàm nobis facientes, quot, quámque validas habeamus cauſas exiſtimandi citra omne dubium, in divina nos gratia ad extremum uſque ſpiritum permanſuros, ubi id debita cum aſſiduitate à DEO flagitaverimus, alia inſuper, & non minùs efficax ex parte voluntatis accedit, incitans nos, ut velimus id ità exiſtimare, & ſumma cum firmitudine nobis perſuadere ob præclariſſimas utilitates, quæ ex tali perſuaſione proveniunt. Cùm certiſſimum ſit, quantò minùs nos dubitaverimus de impetrandis, quæ à DEO poſcimus bonis, tantò ipſum promptiorem fore ad ea nobis præſtanda: & ſi vacua omnis diffidentiæ noſtra fuerit oratio, fieri non poſſe, quin plena futura ſit noſtra impetratio. Certiſſima, inquam, hæc veritas eſt; & pro tali habere illam nos jubet Eccleſiaſticus, omni aſſeveratione confirmans, nuſquam repertum iri hominem, quem ſua de DEO ſpes fruſtrata ſit, ità ut minùs illum

liberalem experiretur, quàm mente conceperat. (*c. 2.*) *Respicite nationes hominum, & scitote, quia nullus speravit in Domino, & confusus est.* Pro tali magnus Doctor Gentium Paulus, scribens Romanis, nullum confusioni locum in anima esse, quam impleat divinæ opis fiducia: (*c. 5.*) *Spes non confundit.* Pro tali sanctus Rex David, tum eo 30. Psalmi versiculo, ubi intrepidè profitetur, nunquam fore, ut se in DEO sperâsse pœniteat: *In te Domine speravi, non confundar in æternum*; tum alio 36. ubi cuivis speranti in DEO haud dubium spei suæ pollicetur effectum: *spera in eo, & ipse faciet.* Pro tali D. Bernardus, accommodans firmæ in DEO cofidentiæ illud Deuteronomii promissum: *Omnis locus, quem calcaverit pes vester, vester erit:* & similem ipsi quoque eventum hisce verbis promittens: (*Serm. 15. in Ps. 90.*) *Pes vester utique spes vestra: & quantumcunque illa processerit, obtinebit; si tamen in DEO tota figatur.* Qui eandem in illis item viduæ vasis agnoscit, per Prophetam Elisæum prodigioso oleo repletis, sic DEUM alloquens, (*Serm. 3. de Annunt.*) *Sola spes apud te, Domine, miserationis obtinet locum, nec oleum misericordiæ ponis, nisi in vase fiduciæ.* Quemadmodum enim ibi pro vasorum modo, atque nu-

numero olei multiplicatio fuit, neque hoc priùs ſtetit, quàm nulla ex iis ſupereſſent replenda; haud aliter, quàm capax noſtra in DEO confidentia, tam profuſa, & exuberans illius erga nos largitas eſt, neque minus donorum ab eo unquam accipimus, quàm ſperavimus eſſe accepturos. Quid plura? Pro tali eſſe habendam evincit ipſemet Chriſtus Dominus, qui & dilectæ ſuæ Sponſæ Gertrudi affirmavit, cogi ſe quodammodo, ut eorum exaudiat preces, qui certa, & immobili fide exauditum à ſe iri illas credant, nec fieri poſſe, ut quidquam horum bonorum petitoribus neget. (L. 3. *Inſin. c. 7.*) *Secura illa confidentia, quam quis erga me habet, credens me revera ſcire, poſſe, & velle ſibi in omnibus adeſſe, tantam vim facit pietati meæ, ut nullatenus poſſim hujuſmodi homini deeſſe:* & D. Matildi ſignificantioribus adhuc verbis idem expreſſit, dicens: (*Bloſ. Mon. Spir. c. 11.*) *Quantùm quis mihi credere, & de bonitate mea præſumere poterit; tantum, & infinitum amplius obtinebit. Quia impoſſibile eſt, hominem non percipere, quod ſanctè credidit, & ſperavit.* Unde etiam, ceu ſacra Euangelia teſtantur, quò confugientes ad ſeſe opis gratiâ magis idoneos accipiendis beneficiis ſuis redderet; ſolebat ab iiſdem certam

tam petita impetrandi fidem exigere: eò usque aliquando progressus, ut universè affirmaret, *Omnia esse possibilia credenti.* (*Marc. 9.*) Ubi palàm est, locutum eum esse non de actu illo mentis, quo indubitanter credimus, posse DEUM vota nostra exaudire, sed de alio magis peculiari, quo persuasum firmissimè habemus, velle etiam pro sua benignitate iisdem annuere. Ex quibus tam luculentis testificationibus rite colligitur, si quis DEUM mente concipiat, tanquam Dominum, qualis revera est, cupidiorem bene de nobis merendi, quàm ulla mater charissimi filii sui bona cordi unquam habuerit, neque aliter ad ipsum confugiat; quàm quo pacto ad patrem, vel matrem confugeret, nihil scilicet timens, nè ille quæsitam sibi opem vel neget, vel illibenter ferat, sed pro certo habens, quàm libentissimè ab eo exaudiendum se esse; colligitur, inquam, si quis de DEO ità sentiat, talíque cum fiducia illius opem imploret, fieri non posse, quin voti sui compos evadat, eúmque tam munificum re ipsa experiatur, quàm spe, & cogitatione futurum præsumpserit. Cùm ipsimet homines, quamvìs longè secundùm opulentiam, & bonitatem inferiores DEO sint; si aliquem tamen noverint præcla-

claram de liberalitate ſua ſpeciem impreſſam animo habere, & certò confidere, benefica illorum ope in præſenti quapiam egeſtate ſublevatum ſe iri ab honorifica hac benignitatis ſuæ opinione, & fiducia ad amicam erga illum voluntatem concipiendam moveantur: imò & quamdam ſibi imponi quaſi neceſſitatem adjuvandi illius ſentiant: erubeſcentes videlicet, illum à ſeſe animi ægrum dimittere, & ſuæ ſubiratum priſtinæ credulitati in ipſis munificentioribus exiſtimandis, quàm re ipſa eſſe deprehendat.

8. Quandoquidem igitur & quinque ſuprà allatæ rationes nullum nobis dubitandi locum relinquunt, quin DEUS debita cum perſeverantia, & aſſiduitate à nobis obſecratus in ſua nos gratia ſtabiles conſervaturus ſit, & liberaliſſima inſuper, qua ſe obſtrinxit, promiſſio, piis quibuſque fidelium petitionibus ſubſcribendi, tantò illum peculiari huic noſtræ petitioni promptiùs ſubſcripturum perſuadet, quàntò inter omnes alias majoris ea eſt in rem noſtram momenti; & poſtremò palàm vidimus, nullo fieri modo poſſe, ut quidquam boni ipſe deneget, quod cum indubia impetrandi fide ab eo fuerit petitum; quandoquidem, dico, unumquodque ex tribus hiſce capitibus,

&

& multò magis ea omnia simul collecta nos impellunt, imò etiam quodammodo cogunt, ut credamus quàm certissimè, summam DEI bonitatem concessuram esse precibus nostris, ubi præsertim cum supradicta impetrandi fiducia ipsi offeruntur, excellentissimum, maximéque necessarium perseverantiæ in gratia sua donum; quisnam tandem ausit me reprehendere, si persuasissimum habeam, me id muneris ab ea impetraturum? Aut quonam nomine meæ hujus persuasionis securitas vituperari à quoquam merebitur? Num quasi temeraria, nec idoneis rationibus nixa? At quomodo talis jure appelletur, cùm pro firmitudinis suæ fundamento divinam fidelitatem, & beneficentiam habeat, *cui* (authore D. Thoma) *nullus potest nimis inniti*? (2. 2. *qu.* 7. *a.* 5.) Num, quasi arrogans, & justo elatior, utpote quæ nullo terreatur tot criminum à me commissorum respectu? At cur terreri illo debeat, cùm Dominus sinè ulla hujusmodi exceptione omnium ad se confugientium precibus benignissimum *fiat* pollicitus sit? Cúmque juxta citati modo D. Thomæ doctrinam, (2. 2. *qu.* 178. *a.* 2. *ad* 1.) *Oratio in impetrando non innitatur nostris meritis, sed soli divinæ misericordiæ*: quæ omnibus indiscrimi-

minatim se impertit, nec ulli petentium delicta sua exprobrat, (*Jac. Ep. c. 1.*) *Dat omnibus affluenter, & non improperat?* Num ratione periculorum, in quæ ab ipsa conjicior, superbiendi, & peccata minùs cautè vitandi? At quod ad primum ex prædictis periculis attinet, satis jam in præsenti capite ostendi, aliud revera esse tumorem animi, aliud ejusdem securitatem: nec ab ulla prudentiæ lege præscribi, ut homines, quod suapte natura utile sibi est, derelinquant, metu superbiæ, cujus aliqua subnasci indè possit occasio: cùm aliæ artes, ad hoc malum declinandum idoneæ, etiam citra illius boni repudiationem non desint. Quantùm verò ad posterius periculum, non video, quonam pacto spes minimè dubia mortiferi cujuslibet criminis per divinam opem à me rite imploratam vitandi, possit minùs cautum in eo fugiendo me reddere: cùm veriùs incitamento mihi sit, atque stimulo, nè à continuanda divinæ opis imploratione desistam, cui nimirum, tanquam necessariæ suæ conditioni, tota ipsius firmitudo incumbit. Utque id luculentiùs pateat, fingamus, adolescenti cuipiam revelari divinitus, si sedulam literis operam navet; miras eum in quovis doctrinarum genere progressiones facturum. Quæ-

ro, numquid optatissimum hunc studii sui effectum ità indubitanter præscire negligentiorem in studendo illum faciet? Nemo rerum prudens æstimator id dixerit. Palàm quippe est, nulla re excitari homines magìs ad strenuè, gravitérque cuivis ministerio vacandũ; quàm si certò noverint, eximium se laturos impensæ ibi operæ pretium. Sed tota hallucinatio indè provenit, quòd minimè distinguatur securitas absoluta, & nullius operationis nostræ indigens, à conditionali, quæque aliquid fieri à nobis requirit. Quam distinctionem quisquis rite adhibuerit, exemplo perspiciet, quamvìs prior securitas sæpe sit fomentum ignaviæ; posteriorem esse potiùs incitamentum solertiæ: efficiendo videlicet, ùt exemplum modò allatum demonstrat, ut homines studiosiùs, atque alacriùs ea exequi curent, quibus peractis, propositum sibi finem se certissimè assecuturos noverunt.

9. Age jam, ad dictorum conclusionem accedentes, statuamus tandem, quidnam in præsenti disceptatione facto optimum, & rationi congruentissimum sit. Estne aliquis, qui post omnia hactenus disputata suspectam habere, & damnare etiamnum pergat meam hanc perpetuæ in divina gratia mansionis à di-

vi-

vina misericordia procul dubio impetrandæ fiduciam? Quidnam igitur mihi contrà faciendum præscribit? Nempe illud, inquiet, ut pro eo, ut expectem indubitanter à Deo, quod assiduis precibus à bonitate ipsius flagito, perseverantiæ donum, timeam, nè illud impetraturus non sim. Itáne verò? Hoc ergo illud est, quod mihi tanquam tutius, & salubrius bonus iste censor suadet? ut scilicet locò petendæ opis à meo Patre cælesti cum certissima impetrationis spe, eam deprecer potiùs animi dubius, cúmque metu repulsæ? Et suæ isti tam præclaræ suasioni auscultaturum me putat? Nunquam certè auscultabo. Si enim hac in re illi obtemperarem, & gravissimam DEO injuriam facerem, revocans nempe in dubium plùs quàm paternam ipsius ad nos adjuvandos propensionem, imò etiam fidelitatem publico obstrictam promisso neminem non exaudiendi, qui egens ad suam opem confugerit; & meæ insuper orationi omnem penè impetrandi vim auferrem, utpote firmâ illâ carituræ, immotáque fiduciâ, unde vitam, atque spiritum ducit, & sinè qua vix aliud dici potest, quàm exanime orationis cadaver. Aliis proinde auditoribus has suas in orando dubitationes commendatum, ac persuasum eat.

Ego quippe credendum potiùs duco sanctissimo Christi Apostolo, & fratri Jacobo, qui in Canonica sua Epistola (*c.* 1.) unumquemque fidelium hortatur, ut, quæ opus sibi sunt, *nihil hæsitans*, sed cum certa obtinendi spe à DEO postulet: sperare quidquam eum vetans, qui sinè hac minimè dubia spe oret: *Non æstimet homo ille, quòd quidquam accipiet*: & credendum itèm Cassiano, qui disertiori ad. huc sermone idem repetit, hanc orandi regulam statuens, *ut pro certo non exaudiendum se supplicans quisque non dubitet, cùm se dubitaverit exaudiri.* (Coll. 9. *c.* 33.) Quamobrem, quod in re non absimili magnus ille Indiarum Apostolus Franciscus Xaverius dicebat, pro eo ut timeam, nè DEI auxilio destituar; illud tantùm timebo, nè mea id genus trepidatio, & diffidentia justam DEO causam præbeat, suum mihi auxilium negandi. Neque ad me dimovendum à firmissima hac confidentia quidquam momenti habent funesta plurimorum exempla, quos multis olim annis sanctè, ac piè famulatos in gravia dein delicta, & nonnullos in omnem quoque peccandi licentiam, æternúmque exitium corruisse accepimus. Persuasissimum quippe habeo, neminem ex iis, si certa, humilique cum fiducia in peccandi

di periculis DEO se commendâsset, misere adeò lapsurum fuisse. Sed prolapsi sunt omnes, quòd suis viribus inaniter freti neglexerint ad supremum misericordiarum Patrem confugere: qui rite invocatus secundùm sua promissa, ineffabilémque bonitatem certissimum iis auxilium tulisset. Cæterùm verissima semper fuit, neque unquam non verissima esse perget illa Regii Vatis sententia, (*Ps.* 124.) *Qui confidunt in Domino, sicut mons Sion: non commovebitur in æternum, qui habitat in Jerusalem*: nempe, ceu commentatur Bellarminus, *Omnes, qui verè confidunt in Domino, erunt immobiles, & securi, quæcunque tandem ingruat tempestas, sicut est mons Sion: qui non solùm immobilis est, quia mons est, sed quia* DEO *sacer, & charissimus est.*

10. Video tamen, duo esse, quæ non sinè aliqua veri specie meæ huic dissertationi objici possint. Primum est, quia hinc sequi videtur: neminem servorum DEI fore, cui, quod hæretici jactitant, fide divina non constet, perseveraturum usque ad mortem in illius gratia se esse. Nam neque manifesta suorum actuum experientia dubitare illum sinit, quin pluries ejusmodi perseverantiam à DEO supplex petierit; neque fides divina, quin DEUS pa-

làm promiserit, concessurum se omnibus, quidquid à se supplices petant. Unde pronum ei est, per certissimam conclusionem eruere, tam impossibile omnino esse, ut DEUS sibi hoc donum neget; quàm fieri nullo pacto potest, ut divina promissio effectu suo careat. Sed negatur, ex doctrina hìc asserta prædictam certitudinem sequi, Firma enim ad extremũ usque spiritum in DEI gratia permansio non unum, & simplex illius donum est, sed continua donorum series ex aliis, atque aliis sibi succedentibus ad vitandum peccatum subsidiis contexta. De quorum præsidiorum unoquoque certissimum est, si à Domino postuletur, concessum nobis ab eo secundùm promissionem suam iri. At minimè certi esse possumus de tota quoque illorum serie idem eventurum, ubi hæc, quantaquanta est, semel tantùm, vel paucis vicibus ab eo flagitetur: cùm nulla divinarũ Literarum pagina extet, ubi DEUS universa sua munera largiturum se cuipiam promittat, qui eorum omnium summam unica generali oratione petierit. Imò tam nihil certi habemus de hoc eventu, ut contrarium potiùs opinari cogamur. Etenim, si peculiaria DEI dona non semper primis precibus impetrantur, sed ad il-

illa consequenda necesse est interdum, ut iterum, iterúmque flagitentur; quantò magis necessaria hæc precum iteratio existimari debet, ad eam impetrandam tot sibi succedentium donorum seriem, unde nostra pendet in DEI amicitia usque ad mortem permansio? Et ratio esse illa eadem videtur, propter quam DEUS, etiamsi nostram hujus, vel illius rei indigentiam optimè noverit, ádque illi subveniendum per se propensissimus sit; pro conditione nihilominus suæ benignitatis promendæ nostras preces requirit: nempe ut per hanc assiduè ad ipsum confugiendi necessitatem altè in mentibus nostris defigatur, & recens maneat, nostræ ad quidquam boni sinè illo obtinendum impotentiæ cognitio. Quod minimè usuveniret, si vel absque ullis precibus consequeremur illius munera; vel ad eorum omnium consecutionem unica nobis, & semel tantùm DEO oblata sufficeret precatio. Cùm igitur perseverantia usque ad mortem, ùt observatum est à Cardinali Bellarmino, haud sit *res hujusmodi, quæ uno die peti, & accipi possit, sed quæ quotidie petenda est, ut quotidie detur*; (*L. 3. de Justif. c. 13.*) dilucidè apparet, ad eam omni procul dubio impetrandam nequaquam sufficere, quòd pluries petita à DEO

fuerit: sed opus esse, ut assiduis etiam deinceps precibus secundùm quotidianas temporum, atque rerum difficultates petatur. Circa quam precandi continuationem è nostri arbitrii libertate suspensam, quemadmodum nulla extat divina promissio, sic neque ulla circa ejus effectum, nostram scilicet in bono perseverantiam, haberi potest certitudo fidei divinæ: sed, sicut semper incertum est, num ejusmodi munus usque ad supremum vitæ exitum perrecturi simus à DEO postulare; ità dubium quoque semper manet, num illud perget nobis in reliquum omne tempus concedere.

11. Certissimum itaque est, DEUM, cùm justas quasque hominum preces exauditum à se iri est pollicitus, suam hanc pollicitationem quàm optima fide esse impleturum; ceu qui, juxta D. Paulum, (2. *ad Tim. c.* 2.) *Fidelis permanet, non potest negare se ipsum*: ac propterea extra omne dubium quoque est, si quis pergat quotidie, & in qualibet peccandi occasione perseverantiam ab eo deprecari; fore, ut voti compos evadat, & ad ultimum usque spiritum in gratia illius perseveret. Sed, cùm nemo certi quidquam de illa conditione habeat, nemo quoque absolutam habere de hoc

hoc eventu certitudinem potest. Atque ità, cùm ad perpetuam in divina gratia mansionem duo nobis necessaria sint, alterum ex nostra parte, id est, ut oremus; alterum ex DEI parte, scilicet, ut exaudiamur orantes, neque ullam, nisi de secundo, ipsius promissionem habeamus; sequitur hinc, perseverantiæ nostræ eventum, &, quantùm ad posteriorem suam conditionem, certissimum esse; respectu tamen prioris, absolutè incertum manere: differentiâ scitè expressâ in iis Christi Domini ad Samaritanam mulierem verbis, (*Joa 4.*) *Si scires donum DEI, tu forsitan petiisses ab eo, & dedisset tibi aquam vivam.* Ubi adverbium *forsitan* non conjungitur cum verbo *dedisset*, ad DEUM pertinente, ideóque certissimo: sed duntaxat cum verbo *petiisses*, de quo uno, utpote hominis proprio jure ambigi potest. Hic tamen certitudinis absolutæ defectus haud obest, quo minùs, qui nihil solicitiùs, ac suam in DEI amicitia perseverantiam appetit, compertúmque habet, certissimam hujus finis assequendi viam assiduitatem orandi esse; possit ex vivida quadam, & penitùs suo animo impressa divinæ misericordiæ fiducia, immobiliter credere, se adjutum ab ea iri, ut nè unquam à necessaria orandi continuatione, su-

am per inertiam deficiat, sed ei sedulò insistens, quod indè procul dubio consequitur ad extremum usque spiritum in DEI amicitia perduret. Præsertim verò, si juxta prudens, & salubre Francisci Suarii consilium, quotiescunque orat, liber à peccato hodierna die, & in præsenti illius occasione servari; oret simul, nova ope instrui, ad eandem hanc orationem crastina die pariter, & in futura quavis alia peccandi occasione iterandam. Sic enim duo semper dona conjunctim à DEO postulans; & primi auxilio imminens tunc peccati discrimen evadet; & per impetrationem secundi, certus fieri poterit, ex altero itidem, quod proximè superveniet, discrimine pari se felicitate evasurum incolumem. *Eadem ratione* (citatus author suadet) *non solùm orandum est, ut non peccemus, sed ut in oratione perseveremus. Siquidem per unam orationem impetrari potest auxilium ad alteram, & per secundam ad tertiam, & sic consequenter: atque hoc modo per orationem potest impetrari ipsamet perseverantia in orando.* (*Tom. 3. de Grat. L. 12. c. 38. n. 17. & L. 1. de Orat. c. 26. n. 5.*)

12. Alterum, quod objici hìc posse dicebam, nonnullæ sunt sacrarum Literarum sententiæ ad timendum hortantes: qualis ea est

D.

D. Pauli, (*Ad Philip. 2.*) *Cum timore, & tremore ſalutem veſtram operamini:* nec non altera illa Regii Prophetæ, (*Pſ. 2.*) *Servite Domino in timore, & exultate ei cum tremore.* Cum quibus, & aliis ſimilibus locis non apparet, quonam modo conjungi illa poſſit, quam nos commendamus, intrepida, nihílque hæſitans confidentia, obtinendi procul dubio ab infinita DEI bonitate, quidquid auxiliorum requiritur, ut firmi, & conſtantes ad extremum uſque ſpiritum in illius gratia perſeveremus. Sed commodè huc facit reſponſio, quam Chriſtus Dominus à dilecta ſua Sponſa Tereſia nonnullis reddi voluit, prolato D. Pauli teſtimonio eam arguentibus, quòd ſexûs ſui immemor, ad novos Parthenones condendos, huc illuc diſcurreret. (*In Append. ad Relat. vitæ.*) *Monebis tuos iſtos Cenſores, nè ad unam ſolummodo ſacrorum Voluminum partem reſpiciant, ſed aliis quoque mentem advertant. Numquid ipſis fas erit, mihi manus vincire?* Ità conſultiſſimus ſacrarum Literarum Interpres, quia unicus quoque Author, & Conditor: ſuis verbis nos docens, peculiaria earum loca accipienda ſæpenumero eſſe, non juxta materialem, obviúmque purè ſenſum, quem per ſe tantùm conſiderata menti offerunt, ſed juxta potio-

rem ſignificatum, quem cum aliis divinis oraculis compoſita induunt. Et verò, quod ad præſentem controverſiam ſpectat, tantùm abeſt, ſecuram, & immobilem divinæ opis fiduciam ulla poſſe ſacrarum Literarum authoritate impugnari; ut in quavis contrà harum parte honorificentiſſimis eam verbis, & quàm ampliſſimis teſtificationibus commendatam videamus. Commendat eam ſanctus David beatos appellans, quicunque ipſi innitantur: (*Pſ. 2.*) *Beati omnes, qui confidunt in Domino:* promitténſque divinâ eoſdem miſericordiâ, non ſecùs, ac inexpugnabili quodam aggere undique communitum iri. (*Pſ. 31.*) *Sperantem in Domino miſericordia circumdabit.* Commendat ſapientiſſimus Salomon, volens, totum eâ repleri hominis cor, (*Prov. 3.*) *Habe fiduciam in Domino ex toto corde tuo.* Commendat Doctor Gentium tum Romanis, optans eos ipsâ abundare. (*c. 15.*) *DEUS autem ſpei repleat vos omni gaudio, & pace in credendo, ut abundetis in ſpe*; tum Philippenſibus, exhortando illos, ut, poſteaquam in anguſtis, dubiíſque ſuis rebus ad DEI opem confugerint, ſub paterna ipſius providentia omnino ſecuri quieſcant: (*c. 4.*) *Nihil ſoliciti ſitis, ſed in omni oratione, & obſecratione cum gratiarum actione peti-*

titiones vestræ innotescant apud DEUM : & pax DEI, quæ exuperat omnem sensum, custodiat corda vestra, & intelligentias vestras. Commendat postremò (nè in materia tam uberi justo longior, ac penè infinitus sim) Apostolorum Princeps Petrus ex amantissima, & perpeti cura, quam summus Pater cælestis de rebus nostris omnibus gerit, non aliam debere esse nobis solicitudinem, arguens, quàm nè ulla rerum nostrarum solicitudine ipso uno freti urgeamur: (*Ep. 1. c. 5.*) *Omnem solicitudinem vestram projicientes in eum, quoniam ipsi cura est de vobis.* Quamobrem, etsi nulla occurreret ratio, adducendi in concordiam hæc sacrarum Paginarum loca, immobilem divinæ opis fiduciam prolixè adeò commendantia, cum aliis supra allatis, quæ contraria esse eidem prima specie videntur; quidvis tamen aliud existimandum potiùs nobis esset, quàm ut altera alteris revera adversari suspicaremur.

13. Sed facilis, & ad manum est modus prædictæ inter illa concordiæ, si duo animadvertantur, nimiùm quantùm inter se diversa principia, unde tota pendet nostræ perseverantiæ, & salutis summa: alterum, cui nihil oportet fidere, quódque primi generis loca respiciunt, nimirum nos ipsi: alterum, de quo

quo nîl timere fas est, & cui posteriora conveniunt, scilicet DEUS. Observatis siquidem contrariorum effectuum causis, quas hinc unum eorum, indè verò alterum nobis suppeditat, nemini obscurum relinquitur, extremo timori obnoxios, summæque itèm confidentiæ capaces nos esse: cùm & nostram imbecillitatem reputantes palàm videamus, nîl indè expectandum nobis esse, nisi offensiones, lapsus, ruinas; & divinam ex adverso intuentes bonitatem, ac potentiam, certi esse possimus, nunquam fore, ut ea desinat nobis præsens adesse, nisi nos destiterimus opem illius sedulò implorare: quantúmque ex prima illa consideratione haurimus diffidentiæ, & formidinis; tantum ex hac altera alacritatis percipiamus, & spei: similes puero è patris sui manibus supra medium immanis putei os, vel extra sublimem fenestram pendenti: qui, licèt certissimè sciat, nullo modo se posse suis viribus ità in sublimi, vel ad temporis punctum perstare, sed, si à patre dimittatur, omni procul dubio in præceps lapsurum; nihilo tamen minùs cum hac suæ ad subsistendum impotentiæ evidenti notitia parem simul non cadendi securitatem conjungeret, pro re scilicet omnino incredibili habens, fore, ut pater

tam

tam præsenti in discrimine sustentare se omittat: & proinde se ipsum duntaxat respiciens actum penitùs de salute sua crederet, totísque artubus contremisceret: sed patris contrà memor in tuto se positum, extráque omnem periculi aleam putaret. Utque hæc distinctio plus adhuc firmamenti, & claritatis accipiat; quosnam, rogo, Apostolus monet, ut *salutem suam cum timore, & tremore operentur*? Nempe illos ipsos Philippenses, quibus in eadem Epistola præcipit, continua in hilaritate, extráque omnem solicitudinem vivere: *Semper gaudete: nihil soliciti sitis.* Atqui tremor ex metu oritur, non qualicunque, sed anxio, & vehementi, quíque cum animi tranquillitate, atque gaudio simul nequeat componi. Quapropter, nisi tam eximium Gentium Doctorem inconstantiæ, & contradictionis in loquendo arguendum putamus; ità accipere ejus verba debemus, ut vel suos illos alumnos ad maximum quidem propriæ infirmitatis respectu timorem, sed ad parem simul ex firmissima divinæ opis fiducia hilaritatem hortetur; vel timoris, ac tremoris nomine solertem, & qualis adhiberi ab anxiè metuentibus solet, in æternæ salutis tum periculis declinandis, tum auxiliis providendis, diligentiam intel-

telligat. Neque secùs dicendum de altera itèm illa Davidis sententia: *Servite Domino in timore, & exultate ei cum tremore.* Nam simili pacto ibi quoque duo conjungerentur secũ invicem pugnantia, *exultare* nimirum, quod à vivida, exuberantíque lætitia provenit; & *tremere*, quod validæ est, ac sensibilis formidinis proprium; nisì hoc secundum acciperetur, vel juxta sensum, quem in D. Pauli verbis modò ipsi attribuimus; vel pro alta, & humili quadam erga infinitam DEI Majestatem reverentia.

14. Sic ergo discussis, quæ doctrinæ hujus capitis videbantur obstare; duas ex ea colligendas, & coronidis quasi locò illi addendas propositiones existimo. Prima esto: quamvis certi omnino esse nequeamus, continuatum à nobis usque ad mortem iri eam divinæ opis implorationem, quæ ad stabilem in divina gratia perseverantiam procul dubio obtinendam requiritur; si quis tamen ex hominibus sanctiori vitæ deditis ineffabilem DEI erga nos charitatem, & beneficentiam altè impressam animo habeat, secúmque ruminari, ac recogitare identidem pergat; posse hunc sibi facillimè hilari quadam, & nihil hæsitante fiducia promittere, suum illum benignissimũ Pa-

Patrem, ceu præsens desiderium permanendi usque ad extremum vitæ diem in illius amicitia suo animo infudit; sic minimè destiturum novis se auxiliis ad orandi perseverantiam, qua desiderii illius finis procul dubio obtinetur, juvare: adeò ut quàm firmissimè persuasum id habeat, neque absoluta contrarii possibilitate suam hanc confidentiam labefactari, aut imminui unquam sinat: sed immobilis perstet in securitate saltèm practica, & negativa, præsentis nimirum formidinis penitùs vacua: qualis est illa, cum qua solet in conclavi suo degere, nunquam animo reputans, posse illius tectum præcipiti lapsu in caput suum ruere, neque de tali possibilitate magìs anxius, & plus solicitudinis capiens; quàm si divinitus revelatum ei esset, nunquam fore, ut is lacunaris lapsus contingat. Nec de primæ hujus propositionis veritate dubitare nos sinit allatum paulò antè exemplum filioli, quem Pater libero in aëre sua è dextera suspensum teneret. Si enim pusioni illi facillimum foret, ità patri confidere, ut nunquam se ab eo destitutum iri pro certissimo haberet, neque minùs tutum se à lapsu putaret, ex illius ità manibus pendens, quàm si in solida humo pedibus inniteretur; quidni etiam cuilibet cognitum

tum probè habenti, quàm longô intervallô DEI erga homines charitas omnem patrum terrenorum erga liberos charitatem excedat; perfacile futurum sit, eadem cum securitate, & fiducia in cælestis illius Patris manibus conquiescere? Aut quæ unquam sese illi offeret justè metuendi, imò vel leviter suspicandi causa, nè ab eo permittatur aliquando in teterrimum, & ipsomet orco horribilius inimicitiæ suæ barathrum ruere? Num quia tam multos mortalium funestè in præceps labi permittit? Sed sanè vel Regius Vates falsis nos promissionibus ludificatur, affirmans universè de DEO, (*Ps. 17. & 33.*) *Protector est omnium sperantium in se: & non delinquent omnes, qui sperant in eo*; vel tota in illa multitudine nè unum quidem reperire erit, qui indubitanter confidens DEI ope sustentatum se iri desertus ab eo, permissúsque sit ruere. Quapropter, cùm nemo, nisi ex divinæ fiduciæ defectu labatur; lapsorum exempla nullam hujus in nobis debilitandæ vim habent, ut ad eam potiùs majori cum alacritate concipiendam incitare nos debeant.

15. Altera ex indicatis propositionibus sit: Quandoquidem pronum factu esse vidimus, ut, quisquis genuinam infinitæ DEI bonitatis

tis ſpeciem mente concepit ; certum ab eo ſibi adjutorium in rebus ad perſeverantiam neceſſariis promittat ; debere unumquemque conari, ut quàm maximè firmam, inconcuſſam, & nunquam titubantem concipiat illius adjutorii obtinendi fiduciam. Idque ob eximias utilitates, quas hæc confidentia tum noſtri, tum DEI causâ in animis parit. Nam re primitus ſecundùm nos æſtimata communis vitæ uſus apertiſſimè oſtendit, ità comparatum à natura hominem eſſe, ut, quantò certiùs negotiũ aliquod ſibi proſpere eventurum confidit, tantò illud & alacriùs ſuſcipiat, & majori cum ſedulitate, atque conſtantia proſequatur : imò etiam non rarò contingere, ut vel temere exorta læti ſucceſsûs perſuaſio aucto in nobis animorum vigore, & operandi conatu aſſequi revera nos faciat, quod falsò præſumpſimus : ceu Romanis accidiſſe Livius teſtatur, adversùm Volſcos pugnantibus, qui ancipiti etiamnum prælii fortuna ſuperiores ob vanam neſcio quam ſpeciem ſe rati ; *Impetu facto, dum ſe putant vincere, vicêre.* (L. 2.) Quamobrem & D. Thomas docet, proprium ſpei eſſe, ut efficaciorem in agendo hominem reddat, (*1. 2. qu.* 40. *a.* 8.) *Spes per ſe habet, quòd adjuvat operationem ; intendendo ipſam ;*

ſam; & prudentes Confeſſarii, quò pœnitentium quiſpiam imbecillæ adhuc virtutis validiùs in ſuo animo decretum concipiat, abſtinendi in futurum à conſuetis flagitiis; id inprimis conantur efficere, ut rem ſibi adjuvante DEO ſucceſſuram, séque illa deincps omnino vitaturum, quàm firmiſſimè fieri poteſt, confidat. Sed multò adhuc majorem pariendæ utilitatis vim hæc eadem confidentia ex DEO habet: qui, ùt nihil aliud, quàm ipſàmet pura bonitas eſt, nulláque re magìs, quàm ſuimet, ac ſuorum munerum profuſione delectatur: ſic optat inprimis, ut hoc tam eximium divinæ naturæ ſuæ decus intimè cognitum, certiſſiméque perſuaſum habeamus, nihil dubitantes, quæcunque nos neceſſitas urſerit, perbenignè vota noſtra auditurus ſit, & præſens in tempore auxilium rebus feſſis laturus. Quod de illo judicium quiſquis penitùs, immobilitérque defixum in animo gerat, adeò ipſum demeretur, & ſibi quodammodo obſtringit, ut, ceu ſuprà demonſtravimus, in nulla rerum difficultate deſeri, nulliúſque petitionis ſuæ effectu fraudari ab eo queat. Ac proinde, quoad ità ſentire, & talia ſibi polliceri de illo perget, ſentiet eum procul dubio quibuſcunque in peccandi periculis præſentiſſimum

mum defensorem, & vindicem. Qualem planè ipsemet se futurum recepit, in iis Psalmi nonagesimi verbis: *Quoniam in me speravit, liberabo eum: protegam eum quoniam cognovit nomen meum.* Quocirca, quantùm nobis cordi est, stabiles in DEI gratia usque ad mortem durare, tantùm etiam curæ esse debet, ut exaggeratissimam de infinita illius bonitate opinionem, quæque hinc consequitur, intrepidam, & securam paratæ ad omnes nostros usus ejusdem opis fiduciam tueri continenter pergamus. Neque sanè ego video, cujus prudentiæ, consiliíque sit, dubitationes, ac formidines, fiduciæ huic contrarias fovere, quídve emolumenti expectari ab his queat, quod commemorati illius fructus non longissimè excedant.

16. Reliquum esset, ut ceu anxias in DEI famulis solicitudines tum de præsenti cum eo amicitia, tum de futura porrò ejusdem perseverantia jam retudimus; sic eas quoque retunderemus, quæ circa æternæ salutis consecutionem ab exiguo Electorum numero ab illius obtinendæ difficultatibus, ab occultis DEI judiciis, & ab impenetrabili divinæ seu prædestinationis, seu reprobationis arcano oriuntur. Sed profectò, si ad sempiternam

salutem nihil aliud requiritur, præterquam in divinæ gratiæ possessione usque ad mortem permanere; anxiam de hujusmodi conditione formidinem abigendo, eandem circa illum quoque finem abegisse videri possumus. Memoratas itaque de illo timendi causas singillatim in medium revocans, dico, quantùm ad primam, si pauci æternam consequuntur salutem, indè id proficisci, quia pauci curæ habent, crebris à DEO precibus opportuna ad perseverandum in ejus gratia subsidia flagitare, cum spe minimè dubia illa obtinendi: quod si omnes facerent, dubitari nullo modo potest, quin omnes itidem in divina gratia ad extremum usque spiritum perseverarent, æternámque consequerentur salutem. Quapropter, si nemo peccat, & perit, qui certam ejusmodi in divina bonitate fiduciam usque ad mortem retinet; peccantium, & reproborum multitudo illius studium, & curam confirmare potiùs, quàm minuere in nostris animis debet: quemadmodum, quòd pestiferæ luis tempore omnes ab ea corripi videamus, qui certo quopiam antidoti genere uti negligunt; haudquaquam incitare nos solet, ut illud nos quoque negligamus, sed potiùs, ut majori cum diligentia usurpemus. *Domine, si pauci sunt,*

sunt, qui salvantur, nescio, quis ex DEI filio quæsierat: cui ipse, & omnibus simul, qui aderant, digna tanto Magistro responsione subjecit, (*Luc.* 13.) *Contendite intrare per angustam portam*: quasi innuens hisce verbis, parùm nostra interesse curiositatem sciendi, multíne, an pauci sempiternam salutem obtineant, sed illud unicuique curandum, quod plurimi, summíque momenti est, ut nimirum, quæ ad eam obtinendam necessaria sunt, rite exequatur.

17. Similia respondere possem alteri timendi causæ, quæ ex difficultatibus in salutis itinere occurrere solitis ducitur: eas videlicet, quæcunque sint, & divina ope superari posse, & à quolibet, opem hanc immobili cum fiducia implorante, certissimè superari. Unde Verbum divinum, cùm pronuntiâsset, facilius esse camelo per foramen acûs transire, quàm diviti intrare in regnum cælorum, & Apostoli, hoc audito, *mirarentur valde dicentes: quis ergo poterit salvus esse?* (*Matt.* 19.) subjecit: *Apud homines hoc impossibile est: apud DEUM verò omnia possibilia sunt.* Cæterùm adeò mihi falsum videtur, conditiones ad æternam salutem consequendam necessarias posse cuiquam nimiæ arduitatis causâ terrori esse; ut

prorsus non videam, quasnam alias suaviores seu divina providentia nobis statuere, seu nostra imbecillitas desiderare ab ea posset: cùm aliæ demum non sint, quàm ut admissa à se crimina homo detestetur, & Sacerdoti DEI Ministro secreta confessione aperiat: conditiones profectò adeò impleri faciles, ut, si humana justitia nihil præter illas à suarum legum violatoribus exigeret; vacua omnino remanerent fontium ergastula: & prodigii instar videretur, si horum vel unus potens tantulo impendio laquei, aut compedum pœnam evadere, non dico, recusaret illas exequi, sed vel duras existimaret, ægróque animo, & cunctanter admitteret.

18. Quod porrò ad judiciorum DEI altitudinem spectat, respondeo, occulta illa utique esse, ac mentibus nostris impervia; sed omnia nihilominus à summa bonitate dirigi, & huic omnino congruere. Quod satis est, ut quivis DEI servus ea intueatur tanquam objecta, delectando potiùs, quàm terrendo suo animo idonea: Davidis exemplo, qui in Psalmo 118. jam ea vocat delectabilia, *Quia judicia tua jucunda*; jam suam in iis spem constituit, *Quia in judiciis tuis superspëravi*; jam eorum memoriam solatio sibi fuisse profitetur.

Ma-

Memor fui judiciorum tuorum à ſæculo Domine, & conſolatus ſum : exemplóque itèm B. Angelæ Fulginatis: (*In vita viſ. 5.*) quæ, cùm in cæleſti extraordinario lumine oſtenſam ſibi aliquando divinorum judiciorum bonitatem perſpexiſſet; tantùm indè ſecuritatis, & quietis ſe animo hauſiſſe teſtatur, ut non minori cum confidentia, & hilaritate DEO ſe per ſua judicia, quàm per ſuam mortem, ſuúmque ſanguinem commendaret.

19. At quid de prædeſtinatione dicemus? Quonam pacto (ſubjiciet hìc quiſpiam) ſinè metu eſſe mihi liceat, cùm ignorem, Electorúmne, an reproborum in numero ſim? Quídve, ſi ad poſteriorum claſſem fors pertinerem, ad DEUM confugere, illiúſque in miſericordia ſperare, mihi prodeſſet? Næ, quidquid tunc agerem, conclamata æternùm, atque omnino foret mea ſalus. Talia opponenti dico primùm, poſſe ipſum, quanquam nihil omino certi, & explorati de hoc habeat, firma, & hilari cum fiducia meliorem ſibi ſortem promittere. Cùm enim nequeat non eſſe prædeſtinatus ad æternam felicitatem, qui uſque ad mortem in amicitia DEI perſeverat, ceu juſtas habet cauſas DEI ſervus firmiter confidendi, ſe perſeveraturum uſque ad mortem in

DEI amicitia; sic eandem habere confidentiam potest de sua prædestinatione ad vitam, & felicitatem æternam. Dico secundo, ineptam esse, quæque secum pugnet, eam propositionem, si ad reproborum classem pertinet, quantumcunque DEO me commendem, illiúsque in misericordia confidam, æternùm peribo: non aliter atque inepta, & secum pugnans foret hæc altera, si ad reproborum classem pertineo, quamvìs ad extremum usque spiritum in DEI gratia perseverem, æternùm peribo. Cùm impossibile sit, vel ex reproborum numero esse, qui ad extremum usque spiritum in gratia DEI perseverat, vel in hac non tamdiu perseverare, qui pergit usque ad mortem DEI opem assiduè implorare, illiúsque in bonitate, & misericordia confidere. Quemadmodum igitur perversè quispiam concluderet: si reprobus sum, nihil mihi proderit divinæ gratiæ compotem mori; vel, si divinæ gratiæ compos moriar, nihil mihi reprobum esse oberit; sed concludendum potiùs ei esset: si sum reprobus, nullo pacto continget, ut divinæ gratiæ compos moriar; & si talis moriar, fieri non potest, ut reprobus sim: simili ratione præpostera esset hæc conclusio: si reprobus sum, nihil mihi proderit in divinæ o-

pii

pis imploratione, & fiducia usque ad mortem perstare: vel contrà, si usque ad mortem in divinæ opis imploratione, & fiducia perstitero, nihil mihi esse reprobum oberit: sed solùm fas est hoc alio modo concludere: si reprobus sum, non pergam usque ad mortem DEUM invocare, illiúsque in bonitate confidere: &, si contrà pergam usque ad mortem id agere, fieri nequit, ut reprobus sim.

20. En itaque, ubinam tota præsentis rei summa consistat, quóque possit modo quilibet DEI famulus satìs confidere, in divina se gratia usque ad mortem mansurum, ac proinde in Electorum albo esse conscriptum. Nè omittat pluries diebus singulis DEUM obsecrare, ut efficaci ope se adjuvet ad superandas inferni hostis tentationes, ad declinandas, quoad fieri potest, occasiones peccati, ad ipsum in quibuslibet spiritualis vitæ periculis rite invocandum, & ad omnia summatim præstanda, quæ necessaria homini sunt, ut toto vitæ suæ tempore in gratia illius perseveret, pro certissimo habens, à summa illius bonitate procul dubio exauditum se iri: iteret, dico, pluries quotidie, sed præcipuè in peccandi periculis orationem prædictam: caveátque, quantùm potest, vel minimum formidinis, &

dubitationis admittere, quin ejus effectum impetraturus à DEO sit. Nam, cùm tantam oratio divina dona impetrandi vim habere soleat, quanta cum impetrationis fiducia DEO offertur; quò minùs de hac dubitabit, eò minorem de eadem dubitandi causam habebit: & certa, quam in se experietur, circa illam persuasio novam ipsi ejusdem persuasionis adhuc firmiùs concipiendæ rationem adjiciet. Neque reponat, haudquaquam se ambigere, utrùm prædicta ejus oratio exaudienda à Deo sit, cùm certissimam de hujusmodi eventu promissionem DEI habeat; sed utrùm orationem illam continuaturus sit, quanta opus est cum assiduitate, & fiducia; qua de re nihil certi pignoris tenet. Nè, inquam, id reponat: cùm enim ex dictis superiùs pleniſſimè constet: nullo fieri modo posse, ut in rebus ad salutem necessariis divina ope destituatur, qui eam sibi adfuturam procul dubio confidit; quídni facillimum ei sit, infinitam DEI bonitatem, & plùs quàm paternum erga homines amorem intrà se reputanti, nihilo indubitanter minùs confidere, quidquid ad perseverantiam, & salutem necessariò requiritur, præstandum ab eo sibi esse, quàm id sese accepturum à mortali suo genitore confideret? Aut quídni con-

ce-

ceptâ jàm in animo hac fiduciâ ſecum ratiocinari ità poſſit: ſi ego uſque ad mortem perrexero, de DEO hunc in modum confidere; quæcunque ad perſeverantiam, & ſalutem neceſſariò requiruntur præſidia, omni procul dubio ab illius bonitate obtinebo. Sed nulla mihi adeſt juſtè dubitandi ratio, quin præſentem de ipſo fiduciam ipſius auxilio retenturus uſq; ad mortem ſim: cùm ea & ipſi quàm gratiſſima ſit, & validiſſimas habeat, cur perpetuò retineatur, qualis concepta primò fuit, cauſas. Ergo bonitate illius fretus poſſum indubitanter ſperare, me in illa, & per illam in DEI gratia uſque ad mortem manſurum.

21. Vivamus, eja, vivamus hilari, tranquillóque animo ſùb fidiſſima cæleſtis noſtri Patris defenſione, & tutela, *omnem ſolicitudinem noſtram projicientes in eum, quoniam ipſi cura eſt de nobis*: nullúſque in cordibus noſtris alius ſit timor, quàm nè unquam de paterna illius ope in graviſſimo æternæ ſalutis negotio nobis defutura timeamus. Cùm enim de nullo ille divinorum ſuorum decorum magìs, quàm de bonitate, & miſericordia glorietur; id genus timores, tanquam huic prorſus contrarios, iniquiſſimo animo fert: causámque indè ſumit alienandi ſe ab hominibus, qui de illa

illa tam perperam ſentiunt : ceu palàm teſtatur ea ipſius contra Iſraëlitas, minùs ſibi in deſerto fidentes, indignabunda exclamatio : (*Numer. c. 14.*) *Uſquequo detrahet mihi populus iſte?* Cùm ex adverſo certa, & nîl dubitans de beneficentiſſima ipſius erga nos voluntate perſuaſio eum quodammodo cogat, talem ſe nobis exhibere, qualem ipſi mente concepimus, dicendo unicuique, quod apud D. Matthæum centurioni, (*c. 8.*) *Sicut credidiſti, fiat tibi.* Felix enim verò, & centies, iterúmque centies felix, qui juſtiſſimam hanc de ineffabili cæleſtis Patris miſericordia fiduciam altiſſimè impreſſam in animo gerit, nec ullis, ut in ea unquam titubet, adduci contrariis rationibus poteſt; ſed firmam, penitúſque immobilem ad extremum uſque ſpiritum ſervat. Ego ſanè nullis aliis argumentis indigeo, ut ipſum è prædeſtinatorum numero credam: adeóque de illius æterna ſalute nîl dubito, ut meámmet animam pro ea vadem offerre paratiſſimus forem. O benigniſſime DEUS! propriiſſimo nomine, *DEUS ſpei*, (*Ad Rom. 15.*) à tuo Apoſtolo dicte, *propter temet ipſum DEUS meus*, (*Daniel. c. 9.*) per infinitam nempe illam bonitatem, quæ tota eſſentia tua eſt, largire mihi obſecro, hoc præſtantiſſimum do-

donum, quod cæterorum quorumvis tuorum donorum quasi alveus, & clavis est, ut dignè nimirum de te sentiam: ut te, tanquam purum amorem, & puram bonitatem mente concipiam; ut meam sempiternam salutem securiùs à te expectem; quàm à terreno meo patre, si ex ipsius arbitrio penderet, vel à quocunque alio inter mortales boni mei cupidissimo expectarem: útque me totum in paternas tuas manus projiciam: ibi omnem meam collocans spem, ibi semper tanquam in securitatis asylo vivens, ibi sinè ulla trepidatione, & formidine perpetuò quiescens. (*Matt. 9.*) *Credo Domine: adjuva incredulitatem meam.* (*Esther c. 14.*) *Da mihi fiduciam, Domine Rex Deorum.* (*Ps. 4.*) *In pace, in id ipsum dormiam, & requiescam: quoniam tu Domine singulariter in spe constituisti me.* (*Bern. serm. 6. in Fest. Omn. Sanct.*) *Singulariter, inquam, in spe: non jam inter spem, & timorem, ubi priùs, non sinè solicitudine, & anxietate plurima fluctuabam.*

(o)

CA-

CAPUT XIII.

Diluuntur nonnullæ objectiones contra eam, quam hucusque asseruimus, divini amoris hilaritatem, & fiduciam, ex DEI reverentia, ac timore, criminúmque admissorum memoria petitæ.

DOcet D. Thomas, (*2. 2. qu. 183. a. 2.*) quemadmodum perfectio, quæ in DEO est unica, & simplex, reperiri in rebus creatis nequit, nisi particulatim divisa; sic sanctitatem, quæ in Christo simul tota colligitur, ab eo, quasi capite Ecclesiæ, per diversas, & peculiares derivationes in electos, veluti in membra diffundi, secundùm hanc scilicet partem in unum, & secundùm alias in alios. Qui tamen, etiamsi inter se differentes, unum omnes corpus constituunt, eodémque spiritu animantur: juxta illud Apostoli effatum, (1. *ad Cor. c. 7.*) *Unusquisque proprium donum habet ex DEO, alius quidem sic, alius verò sic. Hæc omnia autem operatur unus, atque idem spiritus, dividens singulis, prout vult. Sicut enim in uno corpore multa membra habemus, omnia autem membra*

bra non eundem actum habent ; ità multi unum corpus ſumus in Chriſto. Atque ex hac in DEI famulis cæleſtium donorum, & inſtinctuum diverſitate evenit; ut, cùm aliud alii piè vivendi iter ineant, prout à divino ſpiritu huc, vel illuc aguntur; proprium quemdam Eccleſia in ſingulis Confeſſorum Pontificũ ſanctitatis characterem agnoſcat, de unoquoque eorum pronuntians: *Non eſt inventus ſimilis illi.* Quod, quamvis & divinæ gratiæ ad diverſa aliorum, aliorúmque ingenia ſe accommodantis ſuavitati conveniat, & ad majorem Eccleſiæ pulchritudinem faciat, cujus indè corpus tantò plus ſymmetriæ, & concinnitatis præfert, quantò ex partibus magis variis componitur ; non minimum tamen perturbationis excitare in quibuſdam ſpiritualis vitæ tironibus ſolet. Cùm enim tam multos diverſis à ſuo tramitibus contendere ad perfectionem videant; vel dubitare incipiunt, rectúſne ille ſit, quem ſibi delegerunt; vel non contenti illum probare, cæteros omnes pravitatis condemnant: nequaquam audientes Apoſtolum: qui & ad primi erroris correctionem præcipit, (tanquam rem ubique inculcari à ſe ſolitam, *ſicut in omnibus Eccleſiis doceo*) *unumquemque, ſicut* DEUS *vocavit, ità ambulare ;* (*Ad Cor. 1. c. 7.*)

1. *c.7.*) & posteriori occursurus commendat, ut *is, qui manducat, non munducantem non spernat; & qui non manducat, manducantem non judicet. Unusquisque in suo sensu abundet.* (*Ad Rom. 14.*) Addens, eum, qui secùs faxit, similiter delirare, ac si membrum aliquod corporis seu inquietaretur, quòd cæterorum actus minimè exerceat; seu cætera, quòd suis actibus non fungantur, despiceret. Jam verò, sicut de aliis spiritualis vitæ institutis diversi sunt diversorum hominum sensus, nonnullis exempli gratiâ ad rigorem, & nonnullis ad lenitatem propendentibus: his contemplativam, illis activam præhabentibus vitam; & aliis solitudinem, aliis verò spiritualem proximorum culturam potiorem ducentibus; sic in re, de qua disputamus, non una omnium est opinio, & sententia: sed non pauci facilè erunt, qui, cùm per meros sanctæ mœstitiæ, pavidæque humilitatis affectus DEO servire instituerint, haud satìs habeant, suis hisce piis studiis ipsi vacare; sed familiarem aliorum cum DEO consuetudinem improbandam putent, vitióque, & crimini vertant. Quorum objectiones, etiamsi perpensis cautionibus, quas illi confidentiæ, & familiaritati superiùs nos adjecimus, permovere prudentum virorum

rum animos nequeant; nihilominus, quò & nonnullarum hac in materia locutionum ambiguitas distinguatur, & illæ ipsæ cautiones uberiùs declarentur, libet eas hìc in medium afferre, & proprio unamquamque responso diluere.

2. Primò itaque objicitur, familiarem cum DEO necessitudinem parùm consentaneam infinitæ illius excellentiæ, nostræque vilitatis cognitioni videri. Hæc enim duo quisquis rite intelligat, præque oculis habeat, fieri minimè poterit, ut coram DEO aliter, quàm tremebundus, & vultu terræ appresso consistat, indignum omnino existimans, qui coram tanto Domino vel mutire, nedum familiariter, & filii ritu conversari audeat. Nam, si terrenum quempiam Regem allocuturi, illius, esto humanæ duntaxat magnitudinis respectu ità sæpe confundimur, ut spiritus penè nos deficiat, & vix pauca singultim verba nos promere sinat; quantò plus terroris, ac perturbationis ab infinita supremi Regum Regis, Dominique dominantium Majestate in nobis excitari æquum sit? Sed, qui hunc in modum differit, DEUM utique contemplari deberet, non qualis solummodo naturâ suâ est, nempe ùt creatæ totius universitatis Conditorem, ac

Dominum ; ſed qualis etiam gratuita , & ineffabili benignitate eſſe voluit , nempe ùt noſtrũ amicum , & Patrem. Hoc enim pacto illum intuens , perquam facilè agnoſcet , poſſe nos ſalvâ prorſus reverentiâ , quam prior illius titulus exigit , familiaritate uti , quam permittit poſterior. Huic ergo diſtinctioni inhærens , fateor , ignarum omnino infinitæ DEI magnitudinis , debitæque tanto Principi à nobis reverentiæ futurum , qui nullo invitante , ſed ſolis privati ſui arbitrii , ſuorúmque meritorum auſpiciis , quantulamcunque familiariter cum eo agendi authoritatem ſibi uſurparet. Nego tamen , hujuſmodi notam mereri , qui , cùm ſuam cæteroqui indignitatem agnoſcat , & palàm profiteatur ; ſic tamen converſari cum cæleſti ſuo Domino audet , benigniſſimis illius invitamentis provocatus , & ſpirituali fructu illectus , quem indè relaturum ſe ſperat. Quemadmodum etiam nemo dici temerarius meretur , quia poſt inſtitutum à Chriſto Domino Euchariſtiæ Sacramentum eum ibi revera præſentem intrà ipſum os ſumere , & cibi inſtar deglutire nîl metuat. Quò familiaritatis inter mortales amicos nunquam auditæ , ſi per ſe ipſum , ſuóque duntaxat arbitratu progrederetur , nemo eſſet , quin eum in-

intolerabilis arrogantiæ, impudentiæque damnaret.

3. Utque id clariùs perſpiciatur, fingamus, à potentiſſimo quopiam Rege tenuis fortunæ puellam in thalami ſui conſortium aſſumi, veluti Eſther ab Aſſuero fuiſſe olim aſſumpta in ſacris Literis legitur. Quæro, num illa tam ſublimi coñubio dignata erga Regem maritum meram famulæ ſubmiſſionem, an proprios itidem ſponſæ affectus, & mores debeat præferre? Omnes certè reſpondebunt, par quidem eſſe, ut talis puella perpetuam nativæ ſuæ humilitatis apud ſe memoriam retineat, uníque Regis benignitati novam ſuam conditionem acceptam referat, nunquam audens illi parem ſe credere: ſed non ideo etiam convenire, ut nunquam erga ipſum eos promat amoris intimi, & familiaris actus, qui ad recentem ſtatum ſuum pertinent. Imò tantùm id à vero abeſt, ut, ſi illa tali pacto ſe gereret, nunquam ad mariti faciem oculos tollens, neque cum eo, niſi tremebunda colloqui audens; haudquaquam hic ſanè pavidam, ſubmiſsámque id genus conſuetudinem ferre poſſet: ſed cum ſtomacho ei diceret, ego ſponſam mihi te adſcivi, ut talis re ipſa eſſes. Si vellem, ut famulæ ritu mecum ageres, in eo,

quem sortita nascendo es, humili, abjectóque statu te reliquissem. Atqui talis omnino res nostra est, maximus universitatis totius Dominator ex miro quodam gratuitæ benignitatis suæ impulsu animas nostras elegit sibi in sponsas. (*Os.* 2.) *Sponsabo te mihi in sempiternum:* in amicas, (*Joa.* 15.) *Vos autem dixi amicos:* in filias, (2. *ad Cor.* 6.) *Ero vobis in Patrem, & vos eritis mihi in filios, & filias, dicit Dominus omnipotens.* Quid ergo faciendum homini est tam prodigialiter amato, & supra se evecto? Admirari profectò debet eximiam Conditoris sui bonitatem, indignissimum se illa profiteri, qua par est, interiori veneratione cælestem amicum, & parentem prosequi, summáque diligentiâ cavere, nè quid faciat, vel dicat, unde offendi is possit. Sed cur, quæso, unà cum hujusmodi affectibus nativæ conditionis suæ propriis non eos quoque debebit conjungere, quos nova supernaturalis dignitas suggerit? Debebit profectò, si quid sanctis Bernardo, & Petro Chrysologo credimus. Quorum prior ità esse nos humiles vult, ut nostræ vilitatis cognitio divinæ bonitatis sensum in nobis non opprimat, ùt hæc illius verba testantur, (*Serm.* 11. *in Cant.*) *Et vos igitur, si de vobis in humilitate sentitis, sen-*

ſentite etiam de DEO *in bonitate*: Alter verò, DEI benignitatem admirans in jubendo, ut orantes Patrem ſe nuncuparemns: *Accedamus*, inquit, *filioli, quò vocat charitas, trahit amor, invitat affectio. DEUM Patrem viſcera ſentiant, vox perſonet, ſpiritus clamet: & totum, quod eſt in nobis, reſpondeat gratiæ, non timori. Quia, qui judicem mutavit in Patrem, amari voluit, non timeri. Ipſe jubet dicere, ut dignatio donantis ſit, non temeritas præſumentis.* (*Serm.* 61. *&* 69.)

4. Dicat ergo intra ſe vir ſpiritualis, ego longiſſimè ab eo abſum, ut merear vel ſervus DEI eſſe, nedum amicus, & filius. Sed, quoniam pro ſua ille incomparabili bonitate dignatus eſt, me in amicum, & filium cooptare, gaudétque, ut talem me geram, & ſinè ulla ſervili trepidatione familiariter ſecum agam, cur tam eximiis illius muneribus nuntium remittam? Humilitatíſne ſtudio? At huic plenè ſatisfacit, qui divina liberalitate indignum ſe exiſtimat: qualem ego nihilominus me exiſtimo, quàm ſi illius me uſu, & fructu abdicarem. Quandoquidem igitur neque juſta ſuppetit ratio, quæ ad illius repudium impellat; & ſpiritualis utilitas, quam indè percipio, ſuadet eam ultro oblatam admittere; humiliter quidem, ſed gratus, liberéque ſimul eâ

utar: accedens filii more ad ſupremum illum Dominum, qui ex infimæ notæ mancipio talem ſibi eſſe me voluit, cúmque eo, quaſi cum Patre indulgentiſſimo agens. *Eſt enim ſtultitia* (ceu aliam in rem à Dionyſio Syracuſano pronuntiatum eſt) *à quo bona precemur, ab eo porrigente nolle ſumere.* (*Cic. L. 3. de Nat. Deor.*) Atque hoc pacto in quotidiana cum Deo conſuetudine temperari invicem reverentia, & familiaritas poterunt: adeò ut & illa confidens, & hæc humilis ſit, nec aut prior alterius jucunditatem minuat; aut altera prioris æquitati officiat: ſed, quiſquis converſatur cum DEO, eum ſummi inſtar Domini, & fidiſſimi ſimul amici reſpiciat: duo illa in ſe copulans diverſa cognomina, quibus in Alexandri Macedonis Regia diſtinguebantur Epheſtion, & Craterus: ille ſcilicet, tanquam Alexandri; hic verò, tanquam Regis amicus. (*Plut. in Alex.*)

5. Neque aliam profectò dicendum eſt rationem fuiſſe, qua cum DEO Filio maxima Virgo illius Parens agebat. Quamvis nempe illum immenſô intervallô ſuperiorem ſe agnoſceret, & quanta nemo alius mortalium veneratione proſequeretur; non tamen propterea omittebat matris ritus, atque jura u-

ſur-

ſurpare, amplectendo, ſuaviando, déque illo etiam amicè interdum expoſtulando, (*Luc.* 2.) *Fili, quid feciſti nobis ſic?* Neque dicas, alios eſſe agendi mores, qui matri, & alios, qui ſervis conveniant. Quantacunque enim foret DEI paræ inter reliquos mortales univerſos præſtantia; infinitè tamen, hoc eſt nihilo penè, quàm nos minùs à ſuo divino Filio excedebatur, multóque, quàm nos clariùs, ac penitiùs ſuam præ illo abjectionem compertam habebat. Quare, ſi tota hæc cognitio, & ſumma indè proveniens reverentia nequaquam impedimento illi fuit, quo minùs maternâ erga Filium confidentiâ, & familiaritate uteretur; neque ulla itèm divinæ magnitudinis, noſtræque præ illa humilitatis conſideratio aditum nobis præcludet, jucundè, fidentérque converſandi cum DEO, tanquam cum amantiſſimo Patre: ſed ſalvâ reverentiâ, & ſubmiſſione ipſi debita, filiorum more alloqui, eíque adſtare poterimus: non aliam habentes confidentiæ hujus cauſam, nisì beneficentiſſimam voluntatem, qua in liberorum ſortem, & jura adoptati ſumus: quemadmodum non alia DEI paræ Virgini maternæ authoritatis, & familiaris cum divino ſuo Filio conſuetudinis ratio erat, nisì gratuita, & ſin-

gularis electio, qua eam ipse Genitricem sibi esse voluerat. In summa, uti temeritatis, superbiæque esset, si palustris stagni humor, naturalem suum locum dedignans, conaretur sua sponte cælum versus eniti; ità docilitatis, & obsequii, quòd solaribus radiis in vaporem attenuatus eò rapi se sinat. Cerne illum (ait Augustinus) in Lucæ Euangelio juvenem prodigum. Dum paterna domo extorris nihil præter infelicem suum statum considerat; vel mercenarius esse apud patrem non renuit, (*c.* 15.) *Ibo ad patrem meum, & dicam ei: pater, peccavi in cælum, & coram te: jam non sum dignus vocari filius tuus. Fac me, sicut unum de mercenariis tuis.* Sed observata mox benignitate, qua exceptus ab eo fuerat; satis habet suam tantummodo culpam, & indignitatem fateri: *Pater, peccavi in cælum, & coram te: jam non sum dignus vocari filius*: neque ullum porrò verbum de mercenarii conditione subjungit. *Dum panem non haberet*, (verba sunt sancti Doctoris) *vel mercenarius esse cupiebat: quod post Patris osculum generosissimè jam dedignatur.* (L. 2. *Qu. Euang. qu.* 33.)

6. Secunda oppositio indè sumitur, quòd jucundus, & familiaris alicujus personæ amor nequit cum ejusdem timore, veluti cum affe-

ctu

ctu sibi naturaliter adversario componi. Quare familiare hoc divini amoris genus in spiritualium virorum animis inserere penitùs velle, idem prorsus videtur, ac timorem Domini ab iisdem exturbatum ire: sacrarúmque Literarum authoritati contradicere, ubi sanctus hic timor omnibus universè præcipitur: ùt in eo Psalmi 33. versiculo, *Timete Dominum omnes Sancti ejus:* neque ità, ut obiter duntaxat, & ad breve tempus concipiatur illius timor, sed firmissimas ut radices in animo gerat, sítque, qualis Psalmo 18. describitur: *Timor Domini sanctus, permanens in sæculum sæculi.* Talis quorumdam argumentatio est: sed nullam profectò vim habens, nisi ex perperam usurpato illius timoris Domini sensu, quem Spiritus sanctus in prædictis, aliísque sacrorum Voluminum locis commendat. Quapropter ad illius aperiendam vanitatem nulla re alia opus mihi fuerit, nisi ut nonnullas circa naturam timoris, quà generatim sumpti, quà divini propositiones explanem; quibus rite intellectis, ea per se ipsam concidet, utpote nè illam quidem veri speciem retinens, qua una imprudentiorum animis fucum facit.

7. Sciendum itaque primò est, timorem in genuino sensu acceptum, prout nempe

certa, & peculiaris quædam affectio est, nihil esse aliud, nisi anxietatem, & perturbationem excitari in animo solitam, quoties mali gravis, proximéque impendentis, nec facile evitabilis species menti objicitur: ùt cùm violentus terræ motus domum, ubi degimus, quatit; vel hostis districto ense in nos irruit. Unde apparet, in repræsentatione mali, possibilis quidem contingere, sed nec proximi, nec vitatu ardui haud posse verum ejus timorem, turbulentum nempe animi motum, sed quietam aliquam potiùs animæ affectionem, putà simplex odium, vel aversationem oriri. Observandum præterea est non malum duntaxat ipsum, sed & personam illius authorem timeri: quæ ideo ab homine eam sic timente amari non solet, juxta illud, à præcipuis tribus Philosphiæ Magistris, Aristotele, Seneca, & Tullio conceptum unanimi sensu, & iisdem penè verbis effatum: *Nemo amat, quem metuit.* (*Arist. L. 2. Rhet. c. 4. Sen. L. 4. de Benef. c. 19. Cic. de Amic.*) Quin imò nedum non amari, sed & odio eum haberi, qui tanquam mali author timeatur, tum Cicero, tum D. Thomas testantur: (*L. 2. de Off. 1. 2. qu. 43. a. 1.*) Quare timor DEI, prout nostra punientis delicta, si justum prætergrediatur modum, adeò

ut

ut plùs oderit, próque majori habeat malo pœnam, quàm culpam; quasi affectus DEI, & divinæ justitiæ odium includens, à D. Augustino damnatur: siquidem qui ità metuit, *mallet non esse justitiam peccata prohibentem, & punientem. Et si mallet justitiam non esse; quis dubitaverit, quòd eam, si posset, auferret?* (*Epist.* 143. *ad Anast.*) & Plutarchus ejusmodi Deorum timorem, quem superstitionis nomine exprimit, ipsamet impietate, seu Deorum inficiatione pejorem existimat. (*De Superst.*) *Illa enim* (nempe impietas) *bonum suum non agnoscit. Hæc* (scilicet superstitio) *bonum pro malo ducit, nunquam miserior, quàm cùm de Diis cogitat. Impius igitur nullos esse Deos credit: superstitiosus verò nullos esse cupit.* Præsertim quòd ex præposteto hoc metu solet non rarò ad ipsammet impietatem transiri. Dum quis nempe non vult vitiosas cupiditates suas inhibere; neque potest assiduos divinæ ultionis terrores ferre; facillimè eò progreditur, ut vel nullum esse divinum Numen in rerum universitate; vel, si aliquod est, nullam ab eo gerì humanarum rerum curam sibi persuadeat. Tertiò animadvertere oportet, timoris vocabulum, præter primariam suam significationem, quam paulò antè exposui, secundùm plures alias ipsi

si peregrinas, & minùs proprias solere ab hominibus vulgò usurpari. Sæpe enim adhibetur vel pro reverentia erga eos, qui magnam sese ulciscendi, si offendantur, vim habent; vel pro aversatione alicujus mali, esto in præsens remoti, ac merè possibilis; vel pro solicitudine, & cura declinandi, quæ impendere possunt discrimina. Quorum affectuum nullus verus, & proprius timor est: neque seu animum inquietat concepti à se mali imagine; seu amorem personæ imminuit, à qua illud possit inferri: prout exemplo est magni alicujus Principis filius: qui cùm noverit se à patre, si perduellis ei fiat, severè, gravitérque plectendum; dici potest in sensu minùs proprio tum patrem, tum perduellionis pœnam timere: quatenus & illum ob supremam puniendorum sontium potestatem peculiari reverentia prosequitur; & deliberatum in animo habet, hanc nunquam promereri velle. Sed, quia nullum ei proximè imminens malum objicitur, nihil etiam seu perturbationis concipit, seu de consueta erga patrem confidentia, & charitate diminuit. Qui effectus in illius animo sequerentur, si perduellionis pœnam commeritus, eámque ùt jamjam impendentem sibi repræsentans, vero, proprióque afficeretur tum illius, tum patris timore.

8. Quod

8. Quod verò ſpeciatim ad timorem Dei attinet, tria in eo quoque advertenda occurrunt. Et primò quidem fieri non poſſe, ut DEUS, qui puriſſimum bonum eſt, objectum timoris ſit, ratione ſui ipſius, ſed alicujus tantùm mali reſpectu, quod nobis provenire ex eo queat, pœnarum videlicet, quibus noſtra crimina ulciſcitur: cùm nullum, præter has, malum ſit, cujus propria, & vera eſſe cauſa ille poſſit. Secundò, DEI timorem ſolere aliquando in latiori ſenſu accipi pro timore peccati, quatenus hoc aliquo pacto DEUM reſpicit. Secundùm quam ampliorem ſignificationem ſolent illum Theologi in *filialem*, & *ſervilem* dividere: intelligentes cum S. Auguſtino, pro timore filiali horrorem peccati, prout hoc eſt aliquod malum DEI, nempe ejus injuria, & offenſio; pro ſervili verò horrorem ejuſdem, prout eſt malum noſtrum, reſpectu vel pœnarum, quas à divina juſtitia meretur; vel deformitatis, quam ſecum animo infert. *Timor caſtus eſt*, (ſic Auguſtinus) *quo filii timent offenſam patris: ſervilis, quo timent pœnam.* (*In Pſ.* 18. *Vide Suar. de Spe. Diſp.* 1. *Sect.* 4.) Quos inter duos timores, licèt primus nobilitatis prærogativâ antecellat, utpote qui ad charitatem Theologicam ſpectat,

ejuſ-

ejúſque propria exercitatio eſt; fatendum tamen cum Tridentina Synodo eſt, alterum quoque virtutis laudem mereri. Quòd ſi reprehenſum aliquando à ſanctis Patribus legimus, non quemcunque ibi timorem pœnæ, ſed eum ſolummodo debemus intelligere, qui recti modum tranſiliens, graviùs malum eſſe pœnam cenſet, quàm culpam, adeò ut actum hunc voluntatis contineat, ſi pœna abforet, ſus déque culpam haberem. Tertiò notari hìc oportet; ſacras Literas, dum timorem Domini commendant, non ſemper in proprio illum ſenſu uſurpare, nimirum pro ægritudine, ac perturbatione animi, quæ ex mali proximè inſtantis, nec facilè evadendi objectu conſequitur; ſed crebrò, imò & fors ſæpiùs, vel pro ſenſu admirationis, reverentiæ, & obſequii erga infinitam DEI magnitudinem; vel pro efficaci voluntate, atque ſtudio, cavendi omnem tam potentis Domini offenſam.

9. Demonſtratur id primò illis Eccleſiaſtici verbis, quæ ſanctum hunc timorem deſcribunt, tanquam omni anxietate vacuum, imò etiam jucundum, atque hilarem. (*c. 1.*) *Timor Domini gloria, & gloriatio, & lætitia, & corona exultationis. Timor Domini delectabit cor, & dabit lætitiam, & gaudium.* Confirmatur

tur præterea, quia, si nihil ille aliud significaret, nisi ægritudinem, angorémque animi, vel DEUM sibi infensum, vel se in gravi, atque proximo peccandi discrimine concipientis: neutiquam timoris Domini capax Christus fuisset, miniméque eundem admittere beatorum Cælitûm animi possent: cùm tamen & de illo prædixerit Isaias, (*c.* 1.) *Repletum iri spiritu timoris Domini*; & horum timorem Regius Propheta, *in sæculum sæculi permansurum*, (*Ps.* 18.) testatur. Qui amabò timores à D. Thoma, (1. 2. *qu.* 67. *a.* 4. *& 3. p. qu.* 7. *a.* 6.) pro illo humilis erga DEUM reverentiæ, & submissionis spiritu accipiuntur, qui & perfectissimus in Christo Domino fuit, & in beatis cæli civibus perpetuus vigebit. Confirmatur rursus: quia, si Spiritus sanctus Deum ab omnibus quovis pacto, & in proprio hujus vocabuli sensu timeri juberet; nullus esset, utcunque anxius, & turbulentus DEI timor, quem honestè possemus defugere. Et tamen sanctissimi viri Job, atque Jeremias DEUM deprecantur, ut à suo timore se eximat: (*Job.* 13. *Jer.* 17.) *Formido tua non me terreat. Non sis tu mihi formidini*: Magnúsque Gentium Doctor sibi, & Timotheo gratulatur, quòd *non dederit eis Dominus spiritum timo-*

moris, sed spiritum virtutis, & delectationis. (Ep. 2. c. 1.) Confirmatur postremò, quia, ut omnes DEUM propriè, & genuina hujus verbi significatione pertimescerent; necesse utique esset, ut se ipsos mente conciperent, tanquam vel admodum probabiliter illius inimicitiam gravi culpa promeritos, vel in præsenti constitutos, nec facilè superabili eam cavendi periculo. Nam alioquin, deficiente mali terribilis proximitate, necessaria simul deficeret ad id genus timoris conditio. Atqui, esto quàm plurimi solutioris vitæ homines possint justè, & perfacilè tales sese sibi cogitando exhibere; alii tamen permulti, ceu seduli Christianæ perfectionis cultores, nullam certè habent idoneam idem concipiendi causam: ideóque, etsi maximè conarentur, hujusmodi de se imagines in mente formare; nescio, an id posset revera, serióque ipsis succedere: cùm talium malorum nihil in se queant, nisi meram possibilitatem agnoscere; quæ, ùt cuilibet patet, neutiquam sufficit, ut illos in proximo constituat eorum discrimine, veróque propterea crucientur timore: quemadmodum, licèt cuivis hominum in singula momenta supervenire mors possit; nemo tamen est, qui propter hanc possibilitatem eo con-

continenter angatur mortis timore, quo angi consuevit, cùm extraordinarii cujusspiam eventûs, putà terræ motûs, aut tempestatis causâ, eam non solùm ùt possibilem, sed ùt è proximo quoque impendentem animo prospicit. Adde, quòd (ut de criminis in futurum committendi timore aliquid speciatim subjiciam) malum culpæ, cùm ab omnibus pro suo arbitratu vitari, & à DEI servis facilè etiam vitari queat, juxta Angelici Doctoris sententiam, (*1. 2. qu. 42. a. 3.*) *Non habet proprie rationem terribilis*: neque communiter verum timorem, sed simplicis odii, vel fugæ affectum ciere in piorum virorum animis solet. Qui propterea, ubi vel dæmonis tentatio, vel naturæ instinctus ad peccandum solicitat; propositam quidem sibi culpam toto animo aversantur, néve assensum ei præbeant, sedulò cavent: cæterùm, si sanæ mentis sint, & à superstitionis morbo integræ, haudquaquam eas interim cordis angustias, perturbationésque, & inquietudines sentiunt; quas experiri solet, qui in præsenti, dubióque admodum discrimine, vel tecti supra caput nutantis, vel tauri ex adverso irruentis versatur. Quin imò, posteaquam auxiliare DEI Numen suismet viribus diffisi implorârunt: *Omnem solicitudi-*

nem ſuam projicientes in eum, nihílque dubitantes, quin à præſenti diſcrimine eos vindicaturus ſit, ſub potentiſſimo illius patrocinio hilari cum ſecuritate, & fiducia conquieſcunt.

10. Quæ cùm ità ſe habeant, palàm omnibus faciunt, duo eſſe timoris Domini genera: unum quidem inquietum, & anxium, quo lethalis culpæ rei percelluntur ob graviſſimum, & aſſiduè ſibi impendens divinæ ultionis diſcrimen: quódque veluti non omnibus indiſcriminatim, ſed ſolis mortifero crimine obſtrictis convenit; ſic neque aliis, quàm his, juſtè ſuaderi, ac præcipi poteſt. Alterum verò pacificum, & tranquillum, prout nempe eſt affectus, quo fidelis DEO anima infinitum illius eſſe admiratur, coram illo ſe inſtar nihili deſpicit, & quamcunque ejus offenſam ſummè abominatur: quod genus timoris, ùt quemlibet etiam ſanctiſſimum hominem decet, quantóque vehementiùs ab unoquoque concipitur, tantò ſanctiorem eum reddit; ſic unum commendatum eſt omnibus eo Davidis verſiculo: *Timete Dominum omnes Sancti ejus.* Unde poſtremò nihil negotii ſupereſt, in allata ſuperiùs adverſariorum objectione ſolvenda. Reſpondetur enim: DEI ſervos poſſe hoc ſecundo timore contentos (qui ſolus

lus ipsis congruit, & jucundæ, amicæque cum DEO familiaritati minimè opponitur) primum illum inquietum, ac turbidum, qui & nulla ratione ad fideles DEI famulos spectat, & plus ipsis impedimenti, quàm opis in divino famulatu afferret, non imminutâ mandatorum Spiritûs sancti observantiâ missum facere: imò meliùs quoque, ac prudentiùs facturos, si conentur suo è corde illum abigere: ùt eundem divina charitas ex animabus sibi deditis abigit: quæ, D. Augustino affirmante, *(Tr. 9. in Ep. Joa.) Cùm cœperit habitare, pellitur timor, qui ei præparaverit locum. Quantùm enim illa crescit, ille decrescit. Major charitas, minor timor: minor charitas, major timor.* Ubi rectè observat D. Bonaventura, (*Apud Suar. de Spe. Disp. 1. Sect. 4. n. 17.*) Divinam charitatem timori Domini adversari, non quà bonus hic est, nimirum, prout facit, ut peccata vitemus; sed solùm quà est imperfectus, nimirum prout facit, ut ea trepidè, anxiéque vitemus: atque ità posteriorem hanc qualitatem ab eo tollere, ut primam tueatur, atque augeat: perficiendo illum secundùm id, quod continet boni, & purificando secundùm id, quod admistũ habet imperfecti: adeò ut efficacissima quidem, sed minimè inquieta remaneat

divinæ offensionis fuga. Paucis: divinus timor non semper in sacris Paginis denotat perturbationem animi propter grave suplicium, quod à DEO immineat: sed plerumque accipitur pro sensu intimæ venerationis erga summum DEI Numen; vel pro enixa voluntate, atque cura cujuslibet illius offensionis cavendæ. Quo in posteriori sensu, & aptior viris spiritualibus est, & familiarem cum DEO usum minimè impedit. Nego itaque, à Vate Regio, ubi Sanctos omnes timere Dominum jussit, intellectum primi generis timorem fuisse, cujus ii capaces non sunt, sed posteriorem duntaxat, qui solus in iis habet locum: & nego consequenter, timorem universè in sacris Literis commendatum, vel amicæ cum DEO consuetudini obstare, vel amica cum DEO consuetudine imminui.

11. Tertiò aliqui objiciunt, non debere hominem, qui DEUM pluries gravi crimine offenderit, hujus improbitatis, quamdiu vivit, oblivisci: sed veluti ab omnibus sanctis Viris factitatum accepimus, eam semper habere præ oculis, tum excitandæ, fovendæque humilitatis causâ; tum, ut commissa olim maleficia perpetim deflens, ab iisdem porrò iterandis sit tutior. Hanc verò objectorum tam tri-

triſtium jugem memoriam, quíque ex ea conſequi ſolent, mœſtitiæ, pudoris, & confuſionis affectus nimiùm quàm diſſidere à jucunda, & familiari conjunctione cum DEO. Quæ proinde nemini conſentanea videtur, nisi animabus ſcelerum puris, & vitæ innocentiâ illius uſum promeritis. Sed neque hæc objectio quidquam nobis contrarium evincit. Eſto quippe, nullus ex DEI famulis perpetuæ oblivioni mandare debeat, quæ adversùs cæleſtem ſuum Dominum ſcelera admiſit, ſed ea crebrò cum magna animi confuſione recordari, & deflere; imò hæc recordatio, & confuſio non eorum ſolummodo propria eſſe debet, qui in priore vita DEUM pluries, gravitérque offenderint; ſed hominibus quoque, gravium criminum neſciis, circa quotidianas, & leviores ſuas noxas convenit; nego tamen adeò continenter faciendum hoc eſſe, ut Dei ſervus nulla re alia occupari debeat, quàm in conſiderandis, ac deflendis criminibus. Et ratio, cur id negem, ex noxiis effectibus ducitur, qui ex jugi illa feralium objectorum meditatione, nec unquam interrupta dolendi, ac plorandi aſſiduitate tum in corpore, tum in anima exiſterent. In corpore quidem per vehementem cordis preſſuram, atque indè

consequentem motuum vitalium impeditionem: quos effectus à nulla perturbatione animi directiùs, quàm à tristitia produci, nullámque aliam nocentiorem hac esse hominum vitæ Doctor Angelicus (*1. 2. qu. 37. a. 4.*) tradit. In anima verò per consternationem, inertiam, torporem, & stupiditatem, qua hæc obrueretur, omni vigore, & alacritate amissa, quacum operari solet, ubi à lætitia incitatur. Quapropter Joannes Chrysostomus mœrorem assimilat unguento mordaci, & ad corrodendum valido, quod si justo diutiùs ulceri insideat, exasperet illud potiùs, quàm sanet. (L. 3. *de Provid.*) *Adeò est enim acer, atque efficax, ut etiam ope sua indigentibus, si plùs temporis, quàm necesse est, immoretur; maximorum malorum causa sit.* Quod & B. Paulus metuens, *citò illum, postquam fecerat, quod suum est, auferri jussit, causámque protinus adjecit eam, ne forte abundantiori tristitia absorbeatur, qui hujusmodi est.* Et S. Teresia (*In Itin. Perf. c. 29.*) monet eos, qui ex peccatorum consideratione inquietari, & diffidentiâ contrahi sibi animum sentiunt, mentem indè ad jucundiora alia, divinæ nimirum erga nos charitatis objecta, quantùm possint, avertere. Adde huc, quòd, licèt criminum patratorum memoria, qui-

quíque ex ea provenit dolor, multas utilitates homini pariant; ſunt tamen aliæ itidem ſanctæ cogitationes, aliíque pii affectus, & præſertim ad amorem DEI ſpectantes, unde non minùs, imò & amplius ſpiritualium fructuum percipere liceat: adjumenta nimirum, non ad ſolam humilitatem, atque ſcelerum fugam, ſed ad ſtrenuam quoque honeſtorum quorumvis operum exercitationem, ad rerum terrenarum contemptum, & ad DEI voluntatem in quavis re etiam minima implendam. *Quamobrem* (ſcribit D. Bernardus *Serm. 11. in Cant.*) *ſuadeo vobis amicis meis, reflectere interdum pedem à moleſta, & anxia recordatione viarum veſtrarum, & evadere in itinera planiora ſerenioris memoriæ beneficiorum* DEI: *ut, qui in vobis confundimini, ipſius intuitu reſpiretis. Et quidem neceſſarius dolor de peccatis, ſed ſi non continuus. Sanè interpoletur lætiori recordatione divinæ benignitatis, nè fortè præ triſtitia induretur cor. Ideo juſtus non continuè, ſed tantùm in initio ſermonis accuſator eſt ſui. Porrò autem in* DEI *laudes extrema ſermonis claudere conſuevit.* Idque ad eos potiſſimùm ſpectat, qui longo jam tempore exercitati ſunt in meditanda peccati lethalis malitia, juſtúmque tantæ peſtis horrorem fixum penitùs in animo habent, & omnes

illius maculas piacularibus ſinceræ pœnitentiæ lacrymis ſtuduerunt in ſe ipſis eluere. Quippe his veterum delictorum memoria, & conſideratio haud inſtar communis horologii eſſe debet, quod ſonoro in ſingulas horas tinnitu ſenſum ſui renovet: ſed excitatorii potiùs horologii vice, quod, ſi quando in altiorem negligentiæ ſomnum deciderint, vocaliùs inſonans, ab ignavo illo torpore ad conſuetam operandi ſedulitatem eos revocet.

12. His itaque conſtitutis, ajo cum D. Thoma: Pœnitentiam habitualem, ſeu propenſionem ad odio habendum, & vitandum peccatum, debere eſſe in DEI ſervis continuam: (3. *p. qu.* 83. *a.* 9.) ità ut *nunquam aliquid contrarium pœnitentiæ faciant, per quod habitualis diſpoſitio pœnitentiæ tollatur.* Quantùm verò ad pœnitentiam actualem, dico, utiliſſimum eſſe, ut ſuas quiſque culpas crebrò in memoriam revocet, acrem indè ſenſum doloris, & confuſionis eliciens, ea præſertim de cauſa, quòd illis perpetrandis cæleſtem ſuum Patrem, ac Dominum indigniſſimè offenderit. Addo nihilominus, factu optimum fore, ſi, poſtquam aliquis firmam ſatìs in DEI gratia, & illius retinendæ propoſito ſtabilitatem nactus fuerit, adeò ut à pluribus retro annis

nis nulla mordeatur capitalis noxæ conſcientiâ, plerumque orationis ſuæ tempus, in ſanctiſſimo DEI amore idoneis cogitationibus excitando, & jucundis affectibus exercendo traducat: jam immenſam illius magnitudinem admirans, jam ineffabilem erga nos charitatem meritis laudibus celebrans, jam, quidquid rerum creatarum in pretio haberi, & amari poteſt, præ illo deſpiciens, nullíque non terrenæ felicitati, atque gloriæ amicam cum eo conjunctionem anteferens, jam optans in eo amando ſemper ampliùs proficere, jam firmiter ſtatuens, totum illi ſe addicere, nec quidquam præter eum boni quærere. Quos actus quiſnam poſſit parvi facere, aut minùs tali homini utiles ducere, quàm continuum de anteactæ vitæ flagitiis mœrorem? Præſertim quòd jucunda hæc divini amoris exercitatio neque ipſam peccatorum memoriam, & deteſtationem excludit, quin potiùs auſtero, & mordaci illius guſtu innatam ſibi ſuavitatem quodammodo exacuit, & magìs ſenſibilem reddit. Similiter ac obſervat Ariſtoteles, (*Probl. 9. Sect.* 13.) nec quiſquam non è vulgo experitur, ciborum ſuapte natura dulcium amabilitatem per nonnullam acidi ſaporis commiſtionem intendi potiùs, quàm

minui. Et verò quemnam possit amans DEI anima suaviorem affectum concipere; quàm si ad cælestem suum Sponsum versa ei dicat: Itáne ô pulcherrime, & amabilissime DEUS! fieri potuit, ut ullum ego unquam creatum tibi objectum præferrem? Ah, mi benignissime Pater! quantò te indigniùs olim offendi, tantò esse posthac volo in te amando ferventior. Proh quàm mira, imò & omnem admirationem exuperans tua hæc est, maxime universitatis Rector, bonitas, qua me ingratissimum servum, tibíque toties perduellem in filii, & amici loco habes. Certè omnes hi actus, & qui eorum similes possunt erga DEUM concipi, manifestam admissorum criminum memoriam, & detestationem intrà se continent: & tamen, quia non ibi tantummodo toti hærent, sed simul, præcipuéque DEI amabilitatem, ac præsentem suam cum ipso amicitiam respiciunt, usque adeò à diminuenda illius amoris suavitate absunt, ut vividiorem potiùs faciant, & sensibilem magìs, comprobantes hoc pacto rectè D. Augustinum sensisse, dum scripsit: *Dulciores esse lacrymas orantium, quàm gaudia theatrorum.* (*In Ps.* 127.)

13. Addat coronidem dictis, quod in Patrum historia eveniisse duobus Monachis pœni-

nitentibus traditur. (*Roſw. de vit. Patr. L. 5. pag. 578.*) Diverſis hi cellulis luendorum criminum causâ incluſi, annum traduxerant, pari in ſingulos dies utrique definitâ aquæ, & panis ad victū menſurâ. Ecce autem pœnitentiæ tempore jam expleto, reclusiſque cellis mira in utriuſque aſpectu diverſitas cerni: & hic quidem lurido, & exangui vultu cadaveris ſpeciem, ille vivido, & vernanti colore Angeli inſtar referre. Mira, inquam, diverſitas, ſed cujus cauſa non diu latuit. Cùm enim interrogati eſſent à Patribus, quidnam illius anni tempore meditati ſecum fuiſſent? reſpondit prior, præſentem ſibi aſſiduè ante oculos mentis hæſiſſe miſerrimum ſtatum, in quo ante converſionem ſuam verſabatur, tanto cum animi horrore ad ejuſmodi imaginem, ut interior ægritudo in corporis quoque habitum redundaret. At contrà alter pro ſuarum meditationum objecto ineffabilem ſe habuiſſe miſericordiam retulit, qua à DEO in priſtinum ſervitutis, & amicitiæ ſuæ gradum reſtitutus fuerat, unde continuam percepiſſet ſinceriſſimæ voluptatis materiem. *Deo gratias referebam, qui eruit me de inquinamentis hujus mundi, & de futuri ſæculi pœnis, & revocavit me ad hanc converſationem Angelicam: & remi-*

miniſcens DEI mei lætabar. En hìc duplicem pœnitentiam: utramque inimicam peccati; ſed aliam dolendo, quòd in illud incidiſſet; aliam gaudendo, quòd ab illo emerſiſſet: utramque ſtudioſam vitæ in melius mutandæ: ſed aliam ex prioris ſtatûs odio, aliam ex amore erga novum: aliam nullius rei memoriam, nisì ſuæ adversùs DEUM malitiæ; aliam divinæ ſimul intentam erga ſe miſericordiæ, ideóque mœſtam aliam, aliam gaudentem. Quidnam de iis tibi Lector videtur? Utrámne præoptandam alteri exiſtimas? Boni illi Patres, qui rei geſtæ interfuerant, conclusêre: *Æqualis eſt amborum pœnitentia apud DEUM.* At tu, nî fallor, ſecundam potiorem mecum cenſebis, vel hac ipſa de cauſa, quòd, cùm minùs DEO accepta non ſit, humanæ magìs congruit naturæ: cujus nomine promulgavit Philoſophus, quodvis objectum optabilius eſſe, ſi adjunctam delectationem habeat, quàm ſi ab ea disjungatur: & ſi purum à triſtitia, quàm ſi infectum eâ ſit, (3. *Topic. c.* 2.) *Idem eligibilius cum voluptate, quàm ſinè voluptate, & cum indolentia, quàm cum triſtitia.* Præſertim quòd prima, ſi diu continuetur, nocere perquam graviter corpori juxtà, & animo ſolet; hæc verò altera per omnem vitam prorogari ſinè ullo incommodo poteſt.

C A-

CAPUT XIV.

Respondetur alteri objectioni ex sanctorum Virorum exemplis desumptæ.

DOctrina, quam hactenus stabilivimus, ad servorum DEI non mores quidem per vivendi licentiam, sed animos tantùm per divinæ charitatis suavitatem laxandos, si rationis in trutina perpendatur, cum ea omnino congruere, & legitimo niti pondere æquitatis videtur. Quare adversarii, cùm hac ex parte munitam satìs videant, aliunde oppugnandam sumunt, authoritate nimirum, atque exemplis complurium, qui ob eximiam sanctitatem publico cultu ab Ecclesia dignati, in contrariis nihilominus humilitatis, & pœnitentiæ studiis vitam omnem duxerunt: ut dubitari nequeat, quin hi tutiorem hanc pii timoris, doloríque, quàm contrariam familiaris cum DEO consuetudinis viam arbitrati sint, & talem revera esse, suo judicio sat probent. Hæc postrema est objectio, quam me volvere oporteat: imò quam possem, ceu in capitis superioris proœmio jam solutam ad ulteriora fe-

festinans transmittere ; nisi operæ pretium existimarem illius inanitatem tantò evidentiùs, quantò magis propriis, & peculiaribus argumentis ostendere.

2. Repetito itaque altiùs ratiocinationis exordio statuo instar principii, quod nemo inficiari posse videatur in controversiis de absoluta, vel majori humanarũ operationum bonitate rationi deferendum plùs esse, quàm ullis mortalium personarum exemplis, utpote iis, quæ non aliunde bona, & laudabilia dici possunt, nisi quia cum ratione consentiunt. Quare omnino impossibile est, ut per discrepantiam ab illa illius authoritatem valeant imminuere: sed locum hìc quoque habet illud Tertulliani de fide argumentum, (*De Præscr.*) *Ex personis probamus fidem, an ex fide personas?* Nimirum non tam fidei bonitatem ex authoritate eam profitentium, quàm horum authoritatem ex fidei bonitate erui debere. Quodut evidentiùs pateat, observo inter actiones illustrium virorum, quos Ecclesia Cælitûm numero adscripsit, aliquas esse omni procul dubio non bonas duntaxat, sed suo etiam meliores contrario, ceu exempli gratiâ pro injuriis beneficia rependere: alias bonas quidem, sed non optimas, & laudabiliores contrario, velu-

luti facultates ſuas potiùs retinere ad alienam egeſtatem levandam ; quàm ex Euangelicæ paupertatis ſtudio ſemel univerſas dimittere: alias, de quibus dubitari poſſit, num ſuâpte naturâ bonæ, vel ſaltèm meliores ſint, putà, conemptûs aucupandi gratiâ ſtultitiam ſimulare: alias, quæ non abſolutè, & generatim commendari mereantur, ſed in aliquibus tamen perſonis, & circumſtantiis laudabiles fuerint, quia ex peculiari DEI inſtinctu ſuſceptæ, ùt ſeſe ultro fidei hoſtibus pro ea mactandum offerre: alias demum apertè non bonas, qualis fuit Apoſtolorum contentio: *Quis eorum videretur eſſe major*, & quales omnes eæ ſunt, quarum causâ *ſepties cadere juſtus* dicitur. Cùm ergo ex dictis palàm ſit, non quidquid ſancti Viri egerint, optimum illico, aut ſaltèm bonum, & imitabile exiſtimari poſſe ; quæro jam, quonam Lydio, ut ſic loquar, lapide oporteat nos uti ad diſcernendas in eorum actionibus rectas à pravis, melioréſque à minùs bonis? Et quoniam nullum aſſignari præter rationem diſcerniculum poteſt; concludo, ùt legitimè comprobatum, quod ſuprà ſtatueram, hanc eſſe unam, quæ quibuslibet mortalium exemplis authoritatem vel tribuat, vel demat: nec quia conſtet ſanctum Vi-

Virum esse, qui aliquid egerit, constare item protinus, sed arguendam aliunde esse actionum illius sanctitatem. Quamobrem, si quis ità argumentetur: Ille, aut ille Vir sanctus hoc fecit, ergo hoc factu optimum est, & quisquis aliter agit, malè, vel minùs rectè agit, argumentũ nihil evincet: sed illius consequentia, tanquam perperam deducta, respui merebitur: Consequens verò inter approbationem, & repudiationem ambiguum pendebit; quoad ratio certiori suo quopiam, & magis universali principio, quid de illo decernendum sit, palàm faciat.

3. At, si ità res habet, nulli nobis usui futura esse dices Sanctorum exempla: ùt quæ vel non satìs nos certos recti itineris facient, si destituantur rationis suffragio; vel supervacua ad finem hujusmodi erunt, si ab illa probentur. Nego ex dictis id sequi: Esto siquidem præclara illorum gesta per se nîl prodessent ad demonstrandum nobis, quid factu laudabile, aut laudabilius sit; valent nihilominus ad nos incitandos, ut strenuè, alacritérque suscipiamus, quod tale esse alioqui sat novimus. Qui enim eos cernit tam egregia edidisse virtutis facinora, fieri non potest, quin pudore afficiatur, segnem usque adeò ad pro-

mi-

miſcua, & vulgaria patranda ſe aſpiciens: neque ultra jam poteſt peculiari ſuæ ignaviæ communis naturæ imbecillitatem prætexere: ſed convinci ſe audit acerrima illa interrogatione, cui ſuam ante converſionem nîl inveniebat Auguſtinus, quod reſponderet. (*L. 8. Conf. c. 11.*) *Tu non poteris, quod iſti, & iſtæ?* Quocirca in aliorum operibus ſpectans non modò, quales ii fuerint, ſed qualis ipſe etiam eſſe poſſet, ac deberet; ſtimulatur indè non ad illos duntaxat, ſed quodammodo ad ſeſe ipſum æmulandum. *Quia*, teſte Valerio Maximo, (*L. 7. c. 6.*) *Excellentiſſima animadvertenti, nè mediocria quidem præſtare, rubori oportet eſſe*: prout experiri inter alios Julio Cæſari contigit: qui visâ aliquando, cùm Quæſtor in Hiſpania eſſet, Alexandri Macedonis ſtatuâ ſuſpirâſſe fertur, indignè ferens, & ſibi exprobrans, quòd, cui par propemodum ætate erat, tantò impar rerum geſtarum gloriâ eſſet: jámque tum vaſtas illas magnorum operum deſtinationes concepit animo, à quibus dein ad Romæ imperium perductus eſt. Sed enim verò præter hos cordi infixos æmulationis magnanimæ ſtimulos, neque parùm lucis illuſtria ſanctorum Virorum exempla menti afferunt ad perſpiciendum, quid factu lauda-

bile, seu etiam laudabilius sit: idque in triplici potissimùm casu. Primò quidem, cùm de actionis cujuspiam bonitate haud penitùs liquet. Si enim tunc constet ab uno, vel pluribus sanctis Viris eam suo usu comprobatam fuisse; satis id argumenti est, ut recta existimari, & probabilis queat. Nam qui, ùt Sanctorum mos est, rectè operari plerumque, & communiter solet, in quocunque peculiari suo actu, cujus improbitas non appareat, rectè operatus existimari potest, tutáque ideo, & honesta illius actio censeri: honesta, inquam, & tuta; at non pariter optima, & contrario suo melior, vel adeò necessaria, ut eam omisisse piaculum sit. Neque enim par suppetit ratio, cur judicemus sanctorum Virorum quemlibet nîl nisi optimum ex contrario, & communi usu feciſſe. Secundò idem evenit, cùm ratio, bonam esse actionem quampiam persuadens, non omnino certa, sed probabilis tantummodo est. Huic siquidem ab unius, vel plurium Sanctorum exemplis novum majoris probabilitatis pondus accedit. Quanquàm neque ibi satis causæ sit ad contrarium vel in culpa, vel minori in laude ponendum. Tertius casus est, quando non unus, vel pauci quidam solummodo ex sanctis Viris, sed omnes

omnes ferè universi deprehenduntur certam aliquam agendi viam tenuisse. Illud enim tam universale, adeóque sibi concors exemplum satis magnam per se unum vim habet, ut viam tot illustribus consignatam vestigiis pro recta, imò etiam pro optima, & necessaria ducamus. Ac proinde, etsi nulla peculiaris ratio probaret, voluntarias corporis afflictationes magni esse ad Christianam perfectionem momenti; sola nihilominus ad earum necessitatem demonstrandam validissimæ rationis instar esset unanimis omnium, quos solenni Cælitûm cultu prosequimur, in iis usurpandis consensio.

4. Age jam, his præmissis, ad objectionem propositam redeamus. Quid ait adversarius? Multi Sanctorum non aliâ ad perfectionem, quàm humilis pœnitentiæ, ac divini timoris viâ contenderunt. Ergo nulla rectior, & tutior, imò nulla præter ipsam tuta, & recta haberi potest. At quotcunque hanc suam conclusionem pro legitima venditurum se putat? Ego certè nîl hæsitans vix auditam rejicio: nec secùs à te quoque, mi Lector, factum iri crediderim. Siquidem, ut certa, solidáque vi niteretur, statuendum pro fundamento ipsius foret, quidquid Sanctorum

aliqui egerint, factu optimum, imò unicè bonum, & necessarium electu esse. Quæ propositio quàm longè à vero absit, luculenter demonstratum jam est.

5. Quid verò, si ulteriùs progredi vellem, & ipsismet Sanctorum exemplis, quæ contra doctrinam à me assertam nîl valere jam ostendi, ad eam insuper propugnandam, & firmiùs stabiliendam uterer? Atqui tam proclive factu id mihi est; quàm pleni Ecclesiæ fasti sunt hominibus sanctis, qui à me commendatâ amicæ, & familiaris cum DEO consuetudinis viâ ad perfectionem contenderunt. Fac igitur, ego quoque adversarii positionibus, & principiis inhærens adversùs eum colligam, hujuscemodi viam, utpote tot sacrorum Heroum vestigiis impressam, pro tuta, atque recta, imò etiam necessaria, unicáque esse habendam; quidnam, rogo, sic argumentanti respondere poterit? aut quo pacto sinè aperta contradictione nodum illum, quem ipsemet nexuit, resolvet? Enim verò, vel dicat, necesse erit, id genus viam tutam quidem esse, atque rectam, quia complures sancti Viri eam tenuerint: sed rursus neque rectam, neque tutam, quia Sanctorum alii diversam ab ea secuti sint; vel si ità ineptire nolit, fateri demum

mum cogetur, peculiaria Sanctorum exempla haud satis valere, ut indè arguatur, malè, vel minùs bene operari, qui diverso ab iis modo operatur: præsertim si in hac ipsa diversitate ad aliorum, & fortè plurium exemplum se effingat: prout facit, qui filii more per hilarem confidentiam, intimíque amoris necessitudinem adhærere DEO mavult; quàm servi ritu, in humili duntaxat illius reverentia, & timore vitam traducere. Idémque adhuc pleniùs confirmatur: quia cæteroqui operosa etiam æternæ animarum salutis procuratio reprobata censeri posset exemplis Sanctorum, qui ab omnibus humanis commerciis remoti divinæ duntaxat contemplationi vacârunt: & solitaria itèm hujusmodi contemplatio vituperationi obnoxia videretur, illorum respectu, qui spirituali proximorum auxilio sese addixerunt: nec, ut summatim rem colligam, pro judicandi, vivendíque institutione alia, quàm omnino discordi, & pugnante secum norma uteremur.

6. Concludo itaque, varias esse, ùt statutum præcedenti capite est, spiritualis vitæ semitas, & cuivis, qui in earum aliqua DEI ductum sequatur, licere sublimis sanctimoniæ gradum assequi: prout assecuti illum sunt,

quoscunque aris nunc impositos veneramur, quàm remoti alii ab aliis in via, tam conjuncti omnes in termino, quámque dissimiles secundùm speciem, tam æquales multi secundùm perfectionem vivendi. Quapropter cavere nos oportet, nè aut minoris eos faciamus, qui diversam à nostra sanctioris vitæ semitam terunt; aut minùs contenti nostra vocatione simus, quòd complures eximiæ sanctitatis viros ad aliud vivendi institutum à Deo vocatos fuisse noverimus; aut demum diversa omnia institutorum genera aggredi simul, & coadunare in nobis velimus, cursitantes absque ullo progressu, jam prorsum, jam rursum; jam dextrâ, jam lævâ, prout invicem dissidentia jam hujus, jam illius sancti Viri exempla nos rapient. Sed curandum potiùs cuique est, ut, quando non nisi unicâ tendere ad perfectionem viâ ipsi licet, inter multas, quæ se offerunt, aliæ aliorum vestigiis signatæ, eam sibi peculiariter, propriéque eligat, in qua sibi plurimùm progressurus videtur; juxta propositam à magno Gentium Apostolo regulam: qui varia vocationum, & donorum DEI genera enumerans, cùm dixisset: (1. ad Cor. c. 12.) *Quosdam quidem posuit* DEUS *in Ecclesia primùm Apostolos, secundò Prophetas, ter-*

tiò

tiè Doctores, deinde virtutes,&c. Numquid omnes Apoſtoli? Numquid omnes Prophetæ? Numquid omnes Doctores? ſubjungit, *æmulamini autem charisma meliora, & adhuc excellentiorem viam vobis demonſtro*: divinæ ſcilicet charitatis viam, utì mox expreſſit. Quam ego quoque illius regulam ſequens, quemadmodum inter duas, alteram divini timoris, alteram divini amoris ſemitas, hanc ex genere ſuo potiorem illâ arbitror; ſic præ illa hìc in medium afferendam, & omnibus commendandam putavi, quos ex propria aliqua ratione peculiaris DEI inſtinctus aliorſum non vocet. Ubi tamen addo non ideo, quòd perfectior, meliórque exiſtimari illa poſſit, perfectiorem illico, meliorémque eſſe habendum, quicunque illam capeſſat, quolibet, qui contrariam delegerit. Cùm manifeſtum ſit, ſanctitatem hominis non ex ſtatu, in quo degit, ſed ex vita, quam in eo ducit, æſtimari oportere: *meliúſque* (juxta dictum Caſſiani) *eſſe devotum in minoribus, quàm indevotum in majoribus profeſſionibus inveniri.* (Col. 19. c. 3.) Quemadmodum igitur, licèt ſtatus Religioſus libero, & communi antecellat, multi tamen ſanctiùs in domo ſua vivere, quàm alii in ſacris Aſceteriis cernantur; & veluti ex duobus, quorum alter breviorem,

magísque planam, alter verò longiorem, impeditiorémque viam sequitur, contingit interdum, ut hic ratione majoris sedulitatis, vel roboris, plus progrediatur, & citiùs, quàm ille sui metam itineris teneat; sic, quamvis commendata à nobis divini amoris suavitas majorem suâpte naturâ, quàm servilis, & anxius timor vim habeat, animæ ad eximiam perfectionem ducendæ; fieri nihilominus potest, ut multi, vana sibi per ignaviam illius præsidia reddentes, minimum indè utilitatis percipiant: aliíque è contrario, quod itineri deest, studii contentione supplentes, ad insignem sanctimoniam perveniant. Quos tamen nemo facilè ibit inficias, hanc vel promptiùs, vel ampliorem consecuturos fuisse, si pari cum alacritate, sed expeditiori tramite ad eam contendissent.

7. Addo postremùm, etiamsi Sanctorum aliquis, humilis pœnitentiæ, & timoris semitam, præ altera jucundæ, amicæque cum Deo conjunctionis sibi privatim legisset; sed & luculentis insuper præconiis primam, quasi tutiorem exornâsset; contráque alteram, ceu gravibus periculis obnoxiam, minùs sibi probari ostendisset, nè talibus quidem ejus judiciis moveri nos debere ad hanc deserendam, si alio-

alioquin nostro interiori profectui opportunam experiamur, atque utilem. Nam primò complures reperire est non modò in sanctorum Patrum, verùm etiam in sacrarum Literarum monumentis sententias, quas profectò, nè vel communibus rectè vivendi principiis, vel alibi editis Spiritûs sancti oraculis contradicant, commodè, prudentérque interpretari oporteat: & nos itèm professi jam sumus, familiarem hanc cum DEO consuetudinem malè iis convenire, qui nondum se ad illam integritate à lethalibus noxis, pravorum affectuum moderatione, suarúmque virium diffidentia, & submissione animi præparaverint. Secundùm quas exceptiones intelligenda essent sanctorum Patrum dicta, sicubi amicam, & filiorum propriam cum DEO agendi rationem improbare, aut habere suspectam videntur: cùm cæteroqui alienum omnino à fide sit, quemquam eorum absolutè damnatam voluisse spiritualis vitæ praxim, quam tot præstantis sanctimoniæ viri suo usu probârunt. Idque confirmari indè etiam potest, quòd multi ex sacris doctoribus, ceu probè animadvertit Franciscus Stadiera, (*De Fallac. Gener. p. 2. tr. 10. c. 10.*) haud semper, & ubique eodem modo, inque eandem sententi-

am de iisdem materiis scripsêre: sed hìc exempli gratiâ eos audimus de æterna salute, tanquam de re loqui admodum impedita, & quæ non nisì paucis contingat; alibi verò eandem repræsentare instar negotii, cujus facilis cuique exitus sit: prout scilicet diversa erat seu temporis, quo scribebant, seu personarum, quas alloquebantur conditio. Qui ab æquis Lectoribus idonea potiùs explicatione conciliandi secum sunt, quàm falsitatis, inconstantiæque arguendi. Accedit huc, quòd sancti Viri præter communem toti Ecclesiæ, & universis fidelibus generalis sanctimoniæ spiritũ, suum itèm, propriúmque habuerint singuli, ùt diversam, & peculiarem diversæ partes nostri corporis formam; qui spiritus, quemadmodum eos impellebat, ut certam aliquam præ aliis sectarentur rationem vivendi; sic in causa erat, ut eandem Lectoribus quoque, & Auditoribus suis commendarent. Quare, qui ad aliam diversam à peculiari suo spiritu impellitur, neutiquam perturbari eorum sermonibus, neque *esse parvulus fluctuans, & circumferri omni vento doctrinæ*: (*Ad Ephes. 4.*) sed persuasum rite habens, *non omnibus omnia expedire*, (*Eccles. c. 31.*) *& in domo Patris mansiones multas esse*; (*Joa. 14.*) quomodocunque hi,

hi, aut illi vivant, & loquantur; debet ipse recto gressu, animóque institutum curriculum prosequi. Quid plura? Usque adeò nulla nobis est ratio, cur minùs contenti nostra vocatione simus, quia hic aut ille Vir sanctus aliam contrariam, qualis sua erat, singularibus præconiis extulerit; ut hoc ipsum pro incitamento habere debeamus eum imitandi: ut, sicut ipse peculiarem suam DEO inserviendi rationem magni fecit, ampléque laudavit; sic nostram ipsi quoque, & peculiari affectu prosequamur, & sublimi in æstimatione ponere apud alios curemus: dummodo tali cum temperamento id fiat, ut propria commendando, instituta aliena non improbentur: sed velut à Cassiano præscribitur, (*Coll. 14. c. 5. & 6.*) *Unusquisque aliorum quidem laudans, admiránsque virtutes, nequaquam à sua, quam semel elegit, professione discedat; multis enim viis ad DEUM tenditur.* Cujus temperamenti usum circa hanc ipsam familiaris, & jucundi erga DEUM amoris memoriam, scitè olim Christus Dominus charissimæ suæ Sponsæ Gertrudi inculcavit: reprehendens eam, quòd indignè ferret, à quadam ex cœnobii sororibus cum trepidatione potiùs, quàm cum fiducia, & hilaritate ad sacram Synaxim accedi.

Quid

Quid enim ? (cæleſtis Magiſtri oratio fuit) *Nónne conſideras, quòd non minùs dignè debetur mihi reverentia honoris, quàm dulcedo amoris ? Sed. cùm defectus fragilitatis humanæ nequeat utrumque perficere; cùm vos ſitis invicem membra, dignum eſt, ut, quod per ſe quælibet non poteſt perficere, recuperet per aliam: e. g. qui magis dulci amore affectus, reverentiæ minus aſſequitur; pro ſe ſuppletum gaudeat ab illo, qui magis intendit reverentiæ: & viciſſim deſideret, illum obtinere ſolatia unionis divinæ.* (*Inſin. L. 3. c. 10.*)

CAPUT XV.

Ad validiùs confirmandam præcedentem doctrinam oſtenditur, quanti referat cum ſpiritualis lætitiæ ſenſu DEO famulari.

SPiritualis lætitia, prout ipſum nomen ſonat, illa eſt, quam hominis animus percipit ex ſuis ſpiritualibus bonis: quòd nimirum à DEO in filii, & amici loco habeatur, quòd ſub tutela ejus vivat, quódque brevi aditurum ſempiternam cæleſtis illius regni hæreditatem ſe ſperet. Quàm firmas ſanctioris vitæ profeſ-

fessores habeant causas lætandi de possessione partim in præsenti, partim in futurum promissa tam incomparabilium bonorum satis demonstratum à nobis jam est. Superest hìc demonstrare, quàm providè itèm, sapientérque rationibus suis consulent, si hujusmodi interiorem lætitiam fovere in suis animis curent, reputando identidem secum exuperantissimam felicitatem, quam in DEO summo, infinitóque bono, ceu illius filii, amici, & hæredes repositam habent. Quæ appendix præter fructum, quem vel sola sui cognitione afferre nata est; novum quoque præcedenti doctrinæ firmamentum adjiciet, planiúsque ostendet, quàm à vero procul devii ferantur, qui nullam reperiri posse absque jugi mœrore solidam humilitatem existimant, omnémque in spiritualium virorum animis ex DEO haustæ dulcedinis sensum, tanquam vanitatis, arrogantiæque fomitem anxiis dubitationibus, & conscientiæ terroribus perturbare contendunt: ea de causa in errorem abducti, quòd profanam vulgarémque lætitiam non satis distinguant à supernaturali, & divina: quæ, cùm DEUM ipsum, bonum infinitum pro materia gaudendi habeat; nunquam sanè potest in gaudendo modum excedere, imò quantò major

jor in animo est, tantò illum plùs perficit: prout cum maximo suo bono experiuntur beati Cælites, & prout facilè agnituros omnes confido, qui rei veritatem seu in rationis, seu in authoritatis trutina pensitare mecum voluerint.

2. Et primò, si stare authoritati volumus, nullum reperiri ajo in sacris Literis locum, qui DEI famulos exultare in eo vetet: sed, si alicubi mœrorem audimus præferri lætitiæ, ceu exempli gratiâ in illo Salomonis effato, (*Eccles. 7.*) *Cor sapientum, ubi tristitia est, & cor stultorum, ubi lætitia*; nemini esse dubium posse, quin ibi tristitiæ nomine gravitas, & modestia; lætitiæ verò intemperantia, & procacitas designetur. Cæterùm, quòd ad jucunditatem spectat in justorum animos ex DEO profluentem; nullum scribendi finem facerem, si omnia hìc vellem colligere, quæ in hagiographis voluminibus passim occurrunt præconia. Libeat pauca quædam audire: & primùm ea, quibus David suos Psalmos refersit: (*Ps. 63. 149. 30. 85. 50. 88. 104. 99. 33. 94. 31.*) jam affirmans, proprium servorum DEI esse, gaudio, & lætitia affici: *Lætabitur justus in Domino. Exultabunt Sancti in gloria, lætabuntur in cubilibus suis.* Quàm magnâ mul-

multitudo dulcedinis tuæ, Domine, quam abſcondiſti timentibus te! jam DEUM orans, ut cæleſti hoc nectare ſibi animam nutriat, & recreet: *Lætifica animam ſervi tui. Quoniam tu Domine ſuavis, & mitis. Redde mihi lætitiam ſalutaris tui, & ſpiritu principali confirma me;* jam beatum appellans, qui hanc ſinceriſſimæ jucunditatis venam repererit: *Beatus populus, qui ſcit jubilationem;* jam omnes invitans, cohortánſque ad veniendum in tantæ beatitudinis partem: *Lætetur cor quærentium Dominum. Servite Domino in lætitia: introite in conſpectu ejus in exultatione. Guſtate, & videte, quoniam ſuavis eſt Dominus. Venite, exultemus Domino, jubilemus DEO ſalutari noſtro. Lætamini in Domino, & exultate juſti, & gloriamini omnes recti corde.* Succedit ei Salomon, paternorum hæres ſenſuum, in jucunditate animi præhabenda triſtitiæ, cùm de hac ſcribat: (*Prov. 25.*) *Sicut tinea veſtimento, & vermis ligno, ità triſtitia viri nocet cordi:* illam verò tanti faciat, ut profiteatur, ſe intellexiſſe, (*Eccleſ. 3.*) *Quòd non ſit melius, quàm lætari, & facere bene.* Succedit itèm Eccleſiaſticus, qui veluti in lætitia conſtituit vitam, (*c. 3.*) *Jucunditas cordis vita hominis;* ſic affectionem contrariam prohibendam eſſe ab animo docet, tanquam prorſus

ſus inutilem, imò & mortiferam, *Triſtitiam longè repelle. Multos enim occidit triſtitia, & non eſt utilitas in illa.* Neque luculenta minùs nobis ſuppeditant teſtimonia duo Apoſtolorum Principes, Petrus, atque Paulus: quorum prior exhortans fideles ad animi vitam cæleſti pabulo alendam, (*Ep. 1. c. 2.*) *Rationabile ſinè dolo lac concupiſcite, ut in eo creſcatis in ſalutem*; addit conditionis locò, *ſi tamen guſtáſtis, quoniam dulcis eſt Dominus*: perinde quaſi, ſecundùm Hugonis Cardinalis interpretationem, dicat: *Hoc poteritis facere, ſi, quanta ſit dulcedo divina, ſapitis.* Alter verò adeò multus eſt, in commendanda novellis Chriſtianæ fidei ſectatoribus interiori lætitia, ut vel unus ſufficere poſſit, ad eam contra importunas ſcrupuloſi cujuſque cenſoris oblocutiones tuendam. Quid enim? nónne magnum hunc Gentium Doctorem audimus optare, & precari Romanis uberrimam ſpei, pacis, gaudiíque affluentiam? (*c. 15.*) *DEUS autem ſpei repleat vos omni gaudio, & pace in credendo, ut abundetis in ſpe.* Nónne idem ferè Coloſſenſibus, ac Philippenſibus repetit, ſcribens illis: (*c. 3.*) *Pax Chriſti exultet in cordibus veſtris*; his verò (*c. 2.*) *& pax DEI, quæ exuperat omnem ſenſum, cuſtodiat corda veſtra?* Nónne in Epi-

Epistola ad Galatas ex Spiritûs sancti fructibus primos enumerat, charitatem, gaudium, & pacem? (*c. 5.*) *Fructus autem Spiritûs est charitas, gaudium, pax.* Nónne tum Thessalonicenses, tum eos, qui Philippis erant, Neophytos gaudere perpetim jubet, (1. *ad Thes. c. 5. ad Phil. c. 3. & 4.*) hósque præsertim posteriores tam studiosè, & solicitè, ut videatur præcepti tam suavis repetitione expleri non posse? Nam & tertium datæ ad illos Epistolæ caput exorditur his verbis: *De cætero, fratres, gaudete in Domino. Eadem vobis scribere mihi quidem non pigrum, vobis autem necessarium;* & in sequenti capite rursus inculcare idem pergit: *Gaudete in Domino semper, iterum dico gaudete.* Reliquum est, ut has omnes, aliásque ejusdem generis testificationes claudat Christi Domini authoritas, qui adeò nunquam improbare se ostendit, quòd animæ suæ sponsæ, atque filiæ de interiori secum conversatione exultarent, ut potiùs inconsultæ severitatis damnaverit, qui vel externam Apostolorum se præsente hilaritatem carpebant, dicens: (*Matth. c. 9.*) *Numquid possunt filii sponsi lugere, quamdiu cum illis est sponsus?* & eosdem Apostolos, ínque illis omnes suos famulos adhortatus disertissimè est, ad lætandum de pro-

missis sibi ab ipso cælestibus bonis: *Gaudete*, inquiens, *quòd nomina vestra scripta sunt in cælis. Gaudete, & exultate. Ecce enim merces vestra multa est in cælo.* (*Luc.* 10. *&* 6.)

3. Neque mirum profectò videri debet, quòd eximiè adeò in divinis Literis commendetur spiritualis lætitia. Nimiùm quàm excellentis pretii, manifestæque sunt, quæ illinc utilitates proveniunt. Provenit primò sensibilium voluptatum contemptus: DEO siquidem fruens anima, cùm pabulum ibi inveniat quovis nectare suavius, nihil causæ jam habet, cur Ægypti ollis, cepísque inhiet: quarum alioquin ceu naturaliter appetentissima est, sic ægerrimè abstinentiam posset ferre, nisi earum gustus hac sibi compensaretur præstantiori dulcedine. Nimirum, teste D. Gregorio, (*L.* 18. *Mor. c.* 8.) *Esse sinè delectatione anima nunquam potest*: eáque si omnino destituatur, nihilo minorem patitur vim, ac natura pateretur ex vacuo. Quare cælestibus oblectamentis carens necesse est, ut innato, & sensibili appetitu ad terrena vehementer propendeat: quemadmodum usuvenire in profanis hominibus cernimus: qui, quòd interiori, divináque non fruantur dulcedine; nullo pacto continere se posse à corporeis vo-

lu-

luptatibus dictitant. Cùm è contrario ſpirituales viri, *quique guſtaverunt, quoniam dulcis eſt Dominus*, quaſvis facilè reſpuant ſenſibilium delectationum illecebras: exemplo D. Petri, cui vel unica cæleſtis hujus pabuli in Thabore deguſtatio ſuffecit, ut terrena omnia aſpernatus exclamaret, (*Matth. 17.*) *Domine, bonum eſt nos hìc eſſe.* Ità ſanè, (inquit Author ſoliloquiorum cum DEO, quæ D. Auguſtino adſcribuntur) *Unam ſtillam guſtavit, & omnem aliam faſtidivit dulcedinem.* (*c 22.*) Unde magnus ille Monachorum Pater D. Antonius, ſuos alumnos monebat, ut hoc præcipuè munimenti genere contra hoſtis tartarei oppugnationes uterentur: *Una eſt*, dicens, *ratio vincendi inimicum, lætitia ſpiritualis, & animæ Dominum ſemper cogitantis jugis recordatio.* (*S. Athan. in vita c. 22.*) Conſternatur dæmon, ubi ſervum DEI hilarem, ſuóque contentum cæleſti Domino viderit, neſciens, unde illum aggredi, quibúſque capere illecebris queat: ideóque vel non audet ità præparatum laceſſere; vel ſi aleam certaminis tentet, vix periculo virium facto cum clade, & ignominia diſcedit. At, ſi contra perturbatum, & mœrore dejectum, ſibíque diſplicentem intueatur; magna vi, ceu facilem prædam invadit:

dit: ponénsque ipsi ob oculos, hinc præsentem novi sui statûs mœstitiam, prioris indè vitæ amœnitates, risus, hilaria, & delicias adeò ex omni parte urgere illum pergit, támque vivida sub imagine blanda hæc objecta illius animo exhibet, ut miser alleviari illa specie interiorem sui cordis ægritudinem sentiens, non omnino in discrimine succumbendi versetur. Quæ res Joannem Chrysostomum impulit, ut pronuntiaret, (L. 3. *de Provid.*) *Omni actione diabolica potentiorem esse ad nocendum mœroris magnitudinem. Nam & dæmon, quoscunque superat, per mœrorem superat. Eum si auferas, nihil à dæmone quisquam lædi poterit.* Quæ res spiritualem quemvis virum deberet impellere, ut tristitiam nihilo quàm diabolum minùs vitaret, nec ullo unquam aditu penetrare in suum animum sineret: sed memoriâ repetens DEI amicum se esse, útque talem ab eo intimè diligi, nec longum post tempus ad æternam cælestis illius regni hæreditatem capessendam vocatum iri; ex cogitationibus tam jucundis uberrimi gaudii pabulum duceret: déque sua sorte lætissimus repeteret secum: quærant alii aliunde materiem gaudendi, unus mihi ad pleniſſimam hilaritatem sufficit DEUS. *Elegant, qui volent sibi partes de rebus. Pars mea, & hæreditas mea Dominus.* (*Aug. in Ps.* 34.)

4. Ne-

4. Neque minùs præclarum ſpiritualis lætitiæ meritum eſt, roborare animos ad difficillima quæque perfectionis Chriſtianæ exercitia promptè, alacritérque obeunda: ut de ſe profitebatur ſanctus Rex David, DEO canens: (*Pſ.* 118.) *Viam mandatorum tuorum cucurri, cùm dilatâſti cor meum:* & ùt noſtrûm quiſque experitur, qui afflante præcordia ſacræ hilaritatis vigore, nullas virtutis aſperitates horreſcimus, fræno potiùs, quàm calcaribus in divino famulatu indigemus, nec facilem modò, ſed & jucundam corporis afflictationem, laborúmque, & injuriarum tolerantiam ſentimus. Cùm contrà, ubi mœror incubuit, omni deſtituamur operandi alacritate ipſummet laboris nomen nos defatiget, ut vix pedem humo tollere præ imbecillitate poſſimus, póſtque ſingulos penè greſſus ſubſiſtere ad reſpirandum cogamur. Quare D. Ambroſius meritò affirmat, Euangelici ſuavitatem jugi non aliunde, quàm ex bona hilariter ei ſuccollantium habitudine proficiſci: quibus propterea tam leve ipſum accidit, quàm triſtibus grave, & intolerandum videtur. (*Or. de Ob. Valent.*) *Poteſt jugum videri grave pondere diſciplinæ, ſuave tamen fructu gratiæ, ſpe remunerationis, purioris conſcientiæ ſuavitate.*

Nec minùs commodè ſanctus Thomas Villanovanus in myſticis illis apud Ezechielem rotis, quæ, (*c.* 1.) *quocunque ibat ſpiritus, pariter elevabantur, ſequentes eum. Spiritus enim vitæ erat in rotis*, animas repræſentari ait ſpirituali ſuavitate imbutas, quæ ab interiori hac Spiritûs ſancti unctione miram agilitatem trahunt ad volandum, nedum currendum, quocunque ille impulerit. (*Serm. de S. Dor.*) *Spirituales animæ deſignatæ ſunt per illas rotas, quæ, ubi erat impetus Spiritûs, illuc gradiebantur. Unctæ enim ſunt oleo devotionis ſancto, & ideo ad omnem virtutis motum faciles ſunt.* Machabæi, ſacro eorum hiſtoriographo teſte, (*L* 1. *c.* 3.) *Præliabantur prælium Iſraël cum lætitia*: atque hinc fiebat, ut tot, támque inſignes de validiſſimis cæteroqui hoſtium copiis reportarent victorias. Nec ſecùs nobis quoque eveniet, ſi eadem cum exultatione animi contra hoſtem tartareum pro DEI gloria, & noſtra incolumitate pugnemus. En Apoſtolum Chriſti Andream, uſque adeò patibuli ſui aſpectu níl territum, ut feſtivis potiùs, amicíſque illi vocibus blandiatur: *Salve crux diu deſiderata, & jam concupiſcenti animo præparata. Securus, & gaudens venio ad te.* Undenam, inquit D. Bernardus, hoc exiſtit tam mirabile, invi-

ctúmque animi robur, nisì ex divini amoris suavitate à Spiritu sancto ipsi infusa? Quæ si in cordibus itèm nostris vigeret; *adjuvaret sinè dubio infirmitatem nostram, & sicut B. Andreæ crucem, & mortem ipsam, sic nobis quoque laborem, & pœnitentiam nostram faceret, non solùm non molestam, sed etiam desiderabilem, atque omnino delectabilem esse. Spiritus enim meus, ait Dominus, super mel dulcis, ità ut nè ipsa quidem prævalere queat ejus dulcedini amarissima licèt mortis amaritudo. Quid non temperabit illa dulcedo, quæ mortem etiam facit esse dulcissimam? Quæ resistere possit asperitas unctioni illi, quæ mortem quoque facit suavissimam?* (*Serm. 2. de S. Andr.*)

5. Præterea neminem fugit, tantò nostris operibus plus perfectionis, & apud DEUM meriti accedere, quantò attentiùs, & pleniori cum voluntate fuerint peracta. Atqui, si Aristoteli, & Doctori Angelico credimus; (*Ar. L. 10. Eth. c. 5. & 6. S. Th. 1. 2. qu. 34. a. 4.*) talia esse inprimis solent, quæ gaudens animus facit. Delectationis siquidem pabulum in eorum actu reperiens, nihil causæ habet, cur aliò cogitationes, & curas avertat, prout solenne cæteroquin ipsi est, quando *ex ttistitia, aut necessitate* operatur: sed, quidquid temporis, studiique requiritur, iis ex-

actè absolvendis libenter impendit: simili ratione, ac palatum cibos sibi arridentes, quantùm facto usus est, mandit, versátque; catapotia verò, & ingrati saporis pharmaca exorbere quantocyùs festinat. Unde etiam fit, ut quisquis disciplinam, artémve aliquam ex animi sui sententia delegit; multò ulteriores progressus cernatur in ea facere, quàm si eidem invitâ minervâ, & coactus operam navet. Quod cùm probè Athenienses intelligerent, teste Gregorio Nazianzeno, priusquam suos liberos huic, vel illi professioni addicerent, explorare illorum propensionem consueverant, dispositis ante ipsos variarum artium instrumentis: (*Epist. 117.*) *Ut, qua quis delectabatur, & ad quam sponte currebat, eam doceretur.* Denique, *quod cum tristitia facimus, nunquam*, judice D. Thoma, *ità bene facimus, sicut illud, quod facimus cum delectatione, vel sinè tristitia.* (*1. 2. qu. 37. a. 3.*) Quocirca quantæ nobis curæ est, ut grata divino conspectui sint, quæ agimus; tantæ esse itèm debet, ut ea gestienti animo, & cum alacritate obeamus. Alioquin, *quomodo placere poterimus Domino in ceremoniis mente lugubri?* (*Vid. Levit. c. 10.*) Cùm ille testatus planissimè per Apostolũ sit, se *hilarem datorem diligere.* (*2. ad Cor. 9.*)

6. Ad-

6. Adjice ſupradictis lætitiæ fructibus fomentum, quod ex ipſa DEI, proximíque amor capit. Cùm enim inſitum à natura cuivis amori ſit, cor dilatare, & animum interiori ſuavitate perfundere; fieri non poteſt, quin plurimum ille habeat & affinitatis cum lætitia, cui plùs, quàm alteri cuiquam affectui ſuæ hujuſmodi proprietates conveniunt; & diſſenſionis à triſtitia, quæ maximam una contrarios effectus producendi vim obtinet. Præterquam quòd ſpiritualis lætitia ex DEI, & bonorum cæleſtium amore ſuam originem ducit: ideóque, velut calor ab igne in materia excitatus, hanc illi vel concipiendo, vel, ſi in ea conceptus jam ſit, conſervando, fovendóque habiliorem reddit; ſic & ipſa amorem divinum, à quo producta in animo eſt, nutrire in eodem, ac tueri conſuevit. Nec minùs, quàm ratio, experientia id perſuadet. Videmus nempe homines, qui ſereno, & hilari animo ſunt, peculiari cum facilitate, ac propenſione in divinæ charitatis actibus ſeſe exercere: eoſdémque ad bene merendum de proximis, & illorum tum imperfectiones leniter ferendas, tum calamitates amanter ſublevandas, promptos quam qui maximè eſſe: contrà omnino, quàm ab hominibus tetricis,

& importuno mœrore affectis fieri consuevit, quibus nihil plerumque est in quotidiano victu insuavius, nihil aliorum vitiis, atque erratis æquum minùs, nihil ad invidiam, ad iram, ad pejora suspicanda, ádque sodalium actiones sugillandas, & siniſtrosum detorquendas proclivius. Unde B. Laurentius Justinianus causam habuit scribendi: *Non habet locum mœror, ubi sancta charitas posuit habitaculum. Augmentum charitatis tristitiæ diminutio est. Certum namque est, quòd DEUS deprimentem non approbat tristitiam, cùm tantis præconiis extollit charitatem.* (*De Discipl. & Perf. Mon Conv. c.* 16.)

7. Hæ porrò utilitates ut testatiores adhuc sint, juvat eas duobus exemplis comprobare, quæ legisse olim memini in vita Nicolai Zucchii, viri è nostra Sodalitate, non vulgarem sanctitatis famam elapso proximè sæculo adepti. Primum suppeditat Religiosa mulier, quæ magno perfectioris vitæ studio permota, Zucchii institutionem expetiit: accitóque ad cœnobium Patri inquit, ego sancta esse vellem; quid, ut talis sim, facto opus mihi est? DEI famulus, cui doctrina hujus capitis penitùs defixa in animo erat, nihil ei aliud suggessit, nisi illum Psalmi trigesimi sexti versiculum: *Delectare in Domino, & dabit ti-*

tibi petitiones cordis tui: monens etiam, atque etiam, curaret, *proponere DEUM in principio lætitiæ suæ*, quæ illi placerent voluptati sibi ducere ex illius memoria, consuetudine, & obsequiis capere suarum delectationum materiem. Ità ille tunc temporis: quídque frugis in audientis animo cæleste id semen peperisset, nonnullis post annis rescivit: quando nimirum ad eandem fato jam proximam locò Sacerdotis, quem illa nominatim sibi mitti postulârat, (cùm is nescio, quo impedimenti genere prohiberetur) ablegatus ipse est. Excepit gaudens agnitum ægrota mulier, útque vicissim ab eo recognosceretur, commemoravit ei Davidicum illud, *Delectare in Domino*, quo ad sanctitatem consequendam instructa jam dudum ab eo fuerat. Et hanc quidem, subjecit, longissimè abest, ut consecuta ego sim, non alia, nisì ignaviæ meæ causa. Quamvìs sancta etiam vocari haud temere possim, si mecum conferar, qualis olim fueram, priusquam uti tam salubri monito inciperem; & in dicti sui fidem exposuit, quot, quámque insignibus donis cumulata à DEO fuisset, ex quo suam omnem lætitiam, & delectationem in eo collocare instituerat. Exquisitis demum Patri actis pro fructuosissima institutione sua

gra-

gratiis, ab eóque ad ſupremum iter confirmata, inter plenas amoris cum DEO collocutiones piè obiit. Alterum exemplum huic ſimillimum, & prorſus gemellum in juvene accidit: qui & ipſe migraturus è vita, eundem Dei ſervum morienti ſibi adeſſe ad ſupremæ neceſſitatis ſolatium magnopere optavit. Cúmque hic evocatus præſto eſſet, æger læto vultu, & peramantibus verbis eum excipiens; Proh quantum, ait, Pater, tibi debeo! octo menſes jam ſunt, cùm ad te acceſſi, documentum aliquod poſtulans, unde ad æternam ſalutem, & ſpiritualem animæ profectum juvarer. Tu brevi ſermonis, doctrinæque compendio tria duntaxat hæc verba, *Delectare in Domino*, ut memoriæ inſculperem, & ſtudiosè obſervarem, præcepiſti. Felix ſanè præceptum, & de quo jure profiteri cum Hebræo ſapiente poſſim, *Venerunt mihi omnia bona pariter cum illo, & innumerabilis honeſtas per manus illius.* (*Sap. c. 7.*) Quantas enim utilitates per totum hoc tempus ex uſu illius ceperim, non invenio, quibus verbis dignè exprimam. Teſtimonio tibi ſit hoc folium, ubi earum nonnullas deſcripſi. Cúmque dicto Patri folium porrexit: quod ille, tanquam præclarum divinæ liberalitatis erga deditas ſibi animas

mas monumentum, longo post excessum juvenis tempore asservatum penes se voluit: nunquam illud relegens, quin exultaret in Domino, & novos flagrantioris erga ipsum charitatis ardores conciperet. (*L. 2. c. 6.*)

8. Si ergo & sacra eloquia adeò disertè nos hortantur ad lætandum in DEO, & tam ratio, quàm experientia palàm ostendunt, nihil esse animabus spirituali hac jucunditate utilius; quisnam ultra erit, qui eam in DEI servis vituperare ausit, perinde quasi nimiam virtutis suæ confidentiam in eorum animis foveat, & sensibili captos dulcedine non sinat, pro eo ac perfecta virtus requirit, solidioribus aliis corporis castigandi, geniique subigendi exercitiis vacare? Profectò, si noxii hujusmodi effectus communiter provenire ex ea solent; quæro primùm, quonam pacto Spiritum sanctum latuerint, dum eam toties tam in veteri, quàm in nova Lege suaderet, commendarétque. Præterea, esto spiritualem lætitiam sua circumstent pericula, nullísne ob noxia est tristitia? An potiùs, ùt suprà demonstratum est, aliis compluribus, neque iis sanè remotis, ac fortuitis, sed penitùs sibi, & naturæ suæ insitis? Non itaque ad prudentiam pertinet, ea omnia declinare, ubi aliquod no-

noxæ, atque fraudis discrimen occurrat. Alioquin per nullam incedendum spiritualis vitæ semitam foret: uti nullam est reperire ab omni offendiculo vacuam, & ubi complures suam lapsi per vecordiam non sint. Sed proprium cordati cujusque viri est, eam præ aliis eligere, cujus pericula majoris momenti utilitatibus compensari solent. Qualem esse spiritualis potiùs lætitiæ, quàm spiritualis mœstitiæ semitam, quæ hactenus disputavimus, sat perspicuè demonstrant. Tota quippe alterius perfectio, atque utilitas in suis jugiter deplorandis criminibus, séque illorum causâ deprimendo consistit. Quibus tamen bonis affine est periculum, nè infelix malorum comitatus, dejectio animi, stupiditas mentis, spei languor, charitatis tepor, tædium in orando, ínque agendo segnities accedat. Cùm sancta hilaritas & nullis hujuscemodi vitiis laboret, & proprias affectûs contrarii utilitates præstantioribus aliis abunde compensat: facilitate nimirum, quam secum unà animo infert repudiandi bonorum sensibilium illecebras, spiritualis vitæ asperitates generosè invadendi, orationi libenter vacandi, & virtutum omnium, sed præcipuè charitatis officia impigre, alacritérque exercendi: neque in-

te-

terim occaſiones, quas præbere homini poteſt, ſive arrogantiæ, ſive immodicæ ſecuritatis, ſive in ſenſibili ejus dulcedine, tanquam in Chriſtianæ totius perfectionis ſumma acquieſcendi, adeò ſuperatu difficiles ſint; ut præ mali tam dubii, ac remoti formidine præclariſſimis, & certiſſimis aliis illius emolumentis nuntium nos remittere expediat. Audiamus, quænam hìc fuerit D. Laurentii Juſtiniani ſententia. *Conſultiùs, ſecuriúſque* (ſcribit ille) *dulcedo devotionis, & ſpiritualis lætitia in via* DEI, *quàm triſtitia pro communi uſu capienda eſt.* Rationémque hanc dicti ſui reddit, quia cùm DEI famulus ab omnibus genii oblectamentis abſtinere ſe debeat, & aſſiduum cum ſuis tam corporis, quàm animi cupiditatibus bellum gerere, neque paucas præterea partim à morbis, & naturæ imbecillitate, partim à diabolo, illiúſque adminiſtris ſubire infeſtationes cogatur; *neceſſe eſt, nè ſuccumbat, ut ſpirituali lætitia ad tolerantiam animetur. Proinde prudentiſſimum cenſendum eſt, & DEO gratum; ut DEI ſervus, pondere miſeriæ carnis prægravatus, à dæmonibus tentatus, ab hominibus laceſſitus, curis temporalium occupatus, & à viſibilium voluptatibus illectus, DEO ſuo ſemper in ſpiritûs exultatione ſervire contendat: maximè*

cùm

cùm ad hoc divina exhortatione promoveatur, dicente Propheta, ſervite Domino in lætitia. Cui enim Angelorum conſortium, cælorum poſſeſſio, DEI viſio, & cæleſtis repromittitur gloria, debetur indubitanter cordis lætitia. Sub quæ Religioſos ſpeciatim Viros alloquens, ità orationem concludit: *Tu itaque, ô ſerve Chriſti, tu, inquam, qui ex miſerantis DEI dono ad monaſticam vocatus es converſationem, depone cunctum animi mœrorem, & omnem triſtitiam te deprimentem, & in Domino ſemper gaude, qui te de cœnoſo ſæculinaufragio aſſumere, in loco ſecuritatis, voluptatis, & pacis collocare diſpoſuit. Te enim de tenebris delictorum in admirabile lumen gratiæ ſuæ vocare, te collegio Sanctorum ſuorum aggregare, te in miniſtrum ſuæ laudis eligere, tibi incerta, & occulta ſapientiæ ſuæ revelare, tibi judiciariam poteſtatem, & vitam æternam promittere ineffabili bonitate dignatus eſt. Tibi iterum dico, qui talis es, gaude in Domino, ut illi alacriùs, & ardentiùs valeas famulari, ut per dilatationem jucundiſſimæ charitatis expeditiùs viam mandatorum ejus currere queas, ut per jugem gratiarum actionem, & ignitum cordis amorem amabiliorem te illi exhibere queas. Pro his cauſis ſecurè, & indubitanter gaude.* (De Diſc. & Perf. Mon. Conv. c. 16.)

9. At-

9. Atque hinc videmus tam arctum inter amicam cum DEO necessitudinem, sanctámque in DEO exultationem fœdus intercedere, ut vix alteram ab altera separari unquam contingat: sed, quantò quisque in illa plus proficit, tantò hac ferè sit plenior: ideóque verum, & oraculi instar appareat, quod Clemens Alexandrinus pronuntiavit, (*L. 7. Strom.*) *Universam justi vitam celebrem quemdam, sanctúmque esse diem festum.* Et quamvìs hæc jucunditas, utpote bonum animi proprium, non semper, neque in omnibus DEI amicis exteriùs promineat, sed eorum multi pro externa vivendi austeritate videantur *quasi tristes*; quàm plurimi tamen expressum vel in ipso oris habitu interioris lætitiæ jubar præseferunt. In cujus rei exemplum satìs mihi erit paucos quosdam hìc afferre, & eos quidem non aliunde, quàm ex tetrico eremi squalore productos. Talis certè fuit S. Abbas Pachomius, qui, ùt in vita ipsius traditur, (*c. 53.*) *Quamvìs toto corpore attenuatus esset, faciem tamen habebat hilarem.* Talis Romualdus, severissimæ Camaldulensis familiæ Institutor, de quo Romani Breviarii Lectiones testantur, *vultu adeò semper læto fuisse, ut intuentes exhilararet.* Talis Abbas Theonas, quem, si Palladio testi oculato credi-

mus, quamvis solitariâ cellulâ inclusus perpetuum ad triginta annos silentium prorogâsset; (*Hist. Laus. c. 50.*) *Licebat videre habentem vultum Angeli, lætis oculis, & totum plenum maximâ gratiâ.* Talis magnus monasticæ vitæ Author, Antonius, quem D. Athanasius refert, in quantavis Monachorum multitudine potuisse ab iis, quibus nunquam antea conspectus fuerat, per extraordinariam quamdam è vultu promicantem lætitiam dignosci: *Nam semper faciem hilarem gerens liquidò ostendebat, se de cælestibus cogitare.* Addens præterea, hujus lætitiæ tenorem adeò immotum fuisse, *ut nunquam recordatione peccati tristitiâ os contraxerit*: ac proinde vix quemquam è tam multis, à quibus conveniebatur, repertum, qui eo viso, auditóque *tristitiam non mutârit in gaudium.* (*In vit. c. 40. 13. 55.*) Talis demum numerosa illa Apollinis, vel Apollonii Abbatis familia, quingentis ferè Monachis constans, de cujus mira, communique hilaritate commemoratus paulò antè Palladius hæc habet: *Licebat eos videre exultantes in solitudine, adeò ut nullam ejusmodi exultationem videre aliam liceat, nec lætitiam corpoream. Neque enim erat inter eos aliquis mœstus, aut tristis*: excitante nimirum, ac fovente hos in omnium animis sen-

ſenſus, ipſomet univerſi cætûs ſapientiſſimo Magiſtro, & Parente: *Qui identidem monebat eos, dicens, non oportere prorſus ineſſe triſtitiam his, quibus ſalus in* DEO *eſt, & ſpes in regno cælorum. Triſtentur, ajebat, Gentiles & lugeant Judæi, plangant ſinè ceſſatione peccatores: Juſti verò lætentur. Nam, ſi hi, qui terrena diligunt, ſuper fragilibus, & caducis rebus lætantur; nos, qui tantæ gloriæ ſpem, & æternitatis habemus expectationem; cur non omni exultatione lætemur? Aut non & Apoſtolus nos ità monet, dicens, ſemper gaudete?* (*Hiſt. Lauſ. c. 52. & Roſw. in V. Patr. L. 2. c. 7.*)

10. Tales, inquam, hi fuêre, aliíque inter DEI famulos plurimi. Et talis vellem, tu itidem eſſe, amice Lector, ſtudens, cum interiori cordis lætitia extimam ſimul vultûs, & conſuetudinis hilaritatem conjungere: ut, quantùm ex prima utilitatis ipſe capies, tantùm aliis per ſecundam utilis fias. Nimis quippe innata, & communis humano generi eſt, ùt ad jucundam vivendi rationem propenſio, ſic à tetrica, & triſti alienatio. Nihílque validiùs profanorum hominum vulgus à ſpirituali vita capeſſenda avocat; quàm quòd eam inſtar larvæ concipiunt, luctum undique, & horrorem ſpirantis, adeò ut nomen illi dare

idem sit, ac æternum vale risui, & lætitiæ dicere. Qui profectò, si in famulorum DEI vultu, & congressu amœnum quoddam intueantur modestæ quidem, sed sinceræ jucunditatis ver efflorescere; credi vix potest, quantò æquiorem erga sancta eorum instituta animum sumant. At, si contra illos externa omni specie ad mœstitiam compositos cernerent; quotusquisque non videt, confirmatum indè iri, quam de divinæ servitutis tetricitate persuasionem mente imbiberunt, horrorémque consequenter, & metum, quo eandem idcirco aversantur? Vidit certè id Annæus Seneca, causámque indè sumpsit præcipiendæ Philosophiæ sectatoribus, ut in corporis habitu, vivendíque usu humanos se, & comes exhibeant. (*Ep.* 5.) *Alioquin,* subdit, *quos emendari cupimus, fugamus, & à nobis avertimus.* Unde etiam colligi potest, uternam aptiorem ad conciliandos spirituali vitæ Auditores suos, Lectoréque insistat viam: illéne, qui eam professuris opus esse prædicat, assiduo in mœrore, atque luctu ætatem traducere, nihil aliud mente unquam volutando, & habendo præ oculis, nisi crimina admissa, iratum Numen, sempiternæ mortis pericula, aliáque hujusmodi feralium objectorum imagines; an qui eam,

eam, docet, veriùs esse, qualis à cælesti suo Institutore appellata est, *jugum suave*: adeò ut nemo jucundiùs vivat, quàm qui eam profitetur: justas quippe habens causas DEUM intuendi, veluti suum amantissimum Patrem, & cæleste illius regnum, veluti suam sempiternam hæreditatem. objecta certè tam delectabilia, ut eorum ruminatio libamentum quoddam videri futuræ beatitudinis queat. Certè si observemus artes contrarias, quibus hinc DEUS ad se trahere, dæmon indè ab eo revocare animas solet; palàm videbimus, suam à primo servitutem iis repræsentari, tanquam facilem, jucundam, & hilarem; ab altero autem, quasi asperam, tristem, & horridam. Quocirca imitetur hìc, cuicunque ità libet, dæmonem, capitalissimum animarum hostem: ego utique satiùs arbitror, DEUM imitari, benevolentissimum earum Parentem.

11. Supereſt duntaxat videre, quonam pacto perpetua hæc hilaritas, quam veluti animarum divino famulatui, & amori vacantium propriam commendavimus, cum quibusdam conveniat, primo ipsi aspectu adversantibus sacrorum Voluminum dictis: qualia nonnullis videbuntur tum ea Christi Domini verba, quibus & *Beatos* appellat, *qui lugent*;

(*Matt. 5.*) & discipulis suis fletum, mœrorémque prænuntiat, dicens: *Plorabitis, & flebitis vos, mundus autem gaudebit: vos verò contristabimini;* (*Joa. 16.*) tum illud Davidis de se testimonium, (*Ps. 37.*) *Tota die contristatus ingrediebar:* nec dissimile alterum D. Pauli, ubi scribit: (*Ad Rom. 9.*) *Tristitia mihi magna est, & continuus dolor cordi meo.* Ad hanc igitur oppositionis speciem è medio amoliendam, dico primùm, luctûs, & mœroris nomine ordinarias interdum significari ejus causas: infectationes nimirum, compedes, plagas, & id genus ærumnas, unde tristitia excitari naturaliter solet. Et hoc utique in sensu accipienda est illa Christi prædictio: *Plorabitis, & flebitis vos, mundus autem gaudebit:* nempe quasi tunc dicat, mundus præsentis vitæ bonis fruetur: vos verò contraria illis mala exteriùs affligent. Quemadmodum in eodem significatu alteram quoque sententiam, *Beati, qui lugent*, accepit Petrus Chrysologus, Psalmum explicans nonagesimum quartum. Cùm enim, recitatis illius primis vocibus: *Venite, exultemus Domino*, sibi objecisset, *Et ubi est illud, Beati, qui lugent, & væ vobis, qui ridetis?* respondet confestim, (*Serm. 47.*) *Planè beati, qui lugent mundo*, id est, qui à mundi oblectamentis

tis se abstinent: *& væ! qui rident mundo*, nimirum, qui se mundi bonis oblectant. Sed hic enim verò vel solius corporis, vel appetitûs quoque inferioris dolor nullam vim habet perturbandæ jucunditatis, & lætitiæ, quam amantes DEUM animæ ex illo, ac cælestibus illius bonis in suprema sui parte percipiunt: quin imò eam solet potiùs intendere, ab eáque è contrario mitigari, nec rarò etiam prorsus extingui. Sancti enim Viri, quantò graviora pro DEO patiuntur exteriùs, tantò ex DEI amore plùs exultant interiùs. Tantáque interdum hæc illorum spiritualis exultatio est; ut vel non advertant, vel malorum locò non habeant, nullóque adeò cum ægritudinis sensu excipiant, quæ humanitus dura, & perpessu molesta sibi accidunt.

12. Dico præterea, nunquam mihi id mentis fuisse, ut nullum vel interioris tristitiæ genus agnoscerem, sanctum, laudabile, & servorum DEI proprium. Hujusmodi enim procul dubio est omnis tristitia, quæ seu de nostris malefactis concipitur, & juxta D. Paulum, (*2. ad Cor. c. 7.*) *Pœnitentiam in salutem stabilem operatur*; seu mala proximorum commiserans, solet *flere cum flentibus*; seu nostram in terrestri hoc exilio absentiam à DEO pro

materia lugendi habet, cogens exclamare animam: *Heu mihi, quia incolatus meus prolongatus est. Fuerunt mihi lacrymæ meæ panes die ac nocte, dum dicitur mihi quotidie, ubi est* DEUS *tuus?* Illud tantùm statuo, nullum ex prædictis sanctæ, ac fructuosæ tristitiæ generibus cum ea spirituali lætitia pugnare, quam hoc capite commendandam suscepi. Esto quippe, gaudium, & mœror sibi mutuò adversentur; hoc tamen non accidit, nisi quando in appetitu sensibili excitantur, & residunt. Nam cæteroqui, quando actus sunt à naturali appetitu libere eliciti, nullam inter se oppositionem habent, sed intrà voluntatem amicè, & socialiter coëunt. Imò tristitia, si secundi hujus generis sit, potest voluntati, juxta D. Thomæ sententiam, esse causa gaudendi: idque ex duplici capite: primo scilicet, ratione utilitatis, quam veluti honestus, & laudabilis suus actus ei affert. *Voluntas, & ratio* (sic ille) *supra suos actus reflectuntur: & hoc modo tristitia potest esse materia delectationis, non per se, sed per accidens, in quantum scilicet accipitur in ratione boni.* Secundò autem, quia memoriam, ideóque & amorem delectabilis cujuspiam objecti in animo renovat. *Dicendum* (en verba ejusdem) *quòd dolor ipse potest esse delectabi-*

lis

lis per accidens, in quantum scilicet facit recordationem rei amatæ, & facit percipere amorem ejus, de cujus absentia doletur. Siquidem, *cùm amor sit delectabilis; & dolor, & omnia, quæ ex amore consequuntur, sunt delectabilia.* (*1. 2. qu. 35. a. 2. ad 2. & ad 3. & qu. 32. a. 4. & 3. p. qu. 83. a. 9. ad 2.*)

13. Et revera interius famulorum DEI gaudium à triplici supradicto mœrore augeri potiùs, quàm minui, facile cuivis cognitu est. Nam, si primum illius genus intueri libeat, nempe eum dolorem, quo anima DEI amans suam in eo toties offendendo præteritam improbitatem deplorat; haud tardè in ipso agnoscemus eam affectûs amari simul, & suavis, antithesin, quam Joannes Climacus admiratum se ibi esse profitetur his verbis, (*Gr. 7.*) *Equidem compunctionis vim considerans stupeo, quonam modo ea, quæ luctus, & mœror dicitur, gaudium intrinsecùs, ac lætitiam, veluti mel, & favum, comesta possideat.* Imò etiam perspicuè videbimus, neque occasionem esse de illa admodum obstupescendi, tanquam de effectu naturæ absono, sed manifestas, pérque validas rationes existere, cur, qui dolorem ejusmodi animo concipit, suavitatem inibi reperire, ac dulcedinem debeat: tum quia ne-

quit illum concipere, quin eodem tempore divinam bonitatem, pulchritudinémque, vel unicum, vel præcipuum illius incitamentum ſibi repræſentet, ac diligat; tum quia, de ſuis malefactis dolendo, ſcit DEO ſe gratificari, quo nihil in tota rerum univerſitate plùs amat; tum quia per occaſionem deteſtandi injurias à ſe olim ei factas, benignitatis ſimul meminit, qua condonatæ ſibi ab eo ſunt; tum denique, quia, quantò horret magìs priſtinam ſuam exoſi DEI capitis ſortem, tantò indè clariùs intelligit præſentem reconciliatæ cum eo amicitiæ felicitatem: objecta ſanè ſingula mirè ad delectandum idonea, quæque illum de peccatis mœrorem incredibili ſuavitate reſpergunt; adeò ut, ceu à D. Gregorio animadvertitur, (*In Pſ. 2. Pœnit.*) *Infirmitatis ſuæ exceſſus deplorans, indè refectionis intimæ dulcedinem ſentiat, unde vim ſuaviſſimi amoris per lacrymas emittit.* Idem dic de ſecunda etiam ægritudine animi, quæ in contemplandis reliquorum mortalium ærumnis à fraterna erga illos charitate producitur. Cùm & ipſa, quaquaverſum ſpectetur, ſive ùt actus ſupernaturalis magni nobis meriti ad divinæ gratiæ incrementum; ſive ùt intimi adversùs DEUM, proximóſque amoris exercitatio nequeat, ſecun-

cundùm prolatas paulò antè Angelici Doctoris rationes, jucunditatis suæ fructu carere. Idque adhuc manifestiùs colligitur ex miserationis eo sensu, quo tragicos eventus sive in historiis legentes, sive in scenis spectantes afficimur: sensu nimirum, quem unusquisque perlibenter in se ipso experitur, studiosè illius causas, & stimulos quærens, tantóque plus voluptatis percipiens; quantò ille vehementiùs sibi animum fodit. Nec diversa tertii itèm mœroris est ratio, mœroris videlicet, quo animæ DEUM amantes ex illius absentia discruciantur, atque, ut sic loquar, tabescunt. Cùm enim non aliunde is proveniat, quàm ex altè concepta animo divinæ pulchritudinis specie, ardentissimáque cupiditate, & certa propemodum spe illius quandoque intuendæ; ut nihil hujusmodi incitamentis est dulcius; sic nullis explicari verbis sat potest quanta dulcedine, quos afficit, repleat: ipsosmet fletus in sapidissimum iis pabulum vertens, adeò ut jure possint cum Psalmista canere: *Fuerunt mihi lacrymæ meæ panes die ac nocte, dum dicitur mihi quotidie, ubi est* DEUS *tuus?* (*Ps.* 41.)

14. Adverto nihilominus, hosce affectus doloris, quamvis suavitate permistos, neque ideo spirituali lætitiæ adversantes, haudquaquam

quam ità assiduè exercendos, támque diu continuandos videri; ut nè justum aliis divini amoris affectibus jucundis, & tranquillis locum relinquant. Neque mea hæc est animadversio, sed à D. Laurentio Justiniano mutuata: qui cùm dixisset, (*De Disc. & Perf. Mon. Conv. c. 16. Animam* DEI *amantem contristari de admissis criminibus, non propter se, sed eum, cujus contempsit imperium, ut satisfaciat dilecto, ut revocet illum ad se, quem propter culpam à se declinâsse cognoscit*; haud perpetuum in ipsa manere hunc dolorem subdit, sed *tamdiu, quamdiu revocat dilectum*: quem, *mox ut ad cordis sui habitaculum appropiare per internam intelligit aspirationem; cunctum, quem priùs conceperat, abjicit mœrorem, se reddit hilarem, se jucundam facit, ut læta facie occurrat venienti.* Idémque sentire visus est Seraphicus Pater Franciscus, (*Apud Rodr. P. 2. Tr. 3. c. 7.*) cùm, nescio, quem è suis conspicatus, tristi, & nubila oris specie, importunum ejusmodi mœrorem redarguit, dicens: mœrendum DEI servis non esse, nisi alicujus patrati fors criminis causâ, neque etiam tunc longiùs, quàm dum illud sibi fuerit remissum. Si ergo peccati conscientia te mordet, Prophetæ pœnitentis exemplo DEUM ora, ut illius tibi veniam indulgeat, animíque

que simul pacem, & jucunditatem, qua priùs fruebaris, restituat: *Redde mihi lætitiam salutaris tui, & spiritu principali confirma me.* (*Ps.* 50.) Sed inprimis utendum hac regula est, circa quotidianas, & leviores noxas, adeò ut in earum quampiam ex humana fragilitate incidentes, post brevem pœnitentiæ actum pristinam continuò alacritatem, & quietem animi resumamus, tanquam si nîl ejusmodi commissum à nobis fuisset. Nam alioqui, si in tanta communiter id genus culparum frequentia diu permanere oporteret conceptam de unaquaque ægritudinem; quodnam nobis tempus ad suaviter, quietéque agendum cum DEO supereſſet? Præsertim quòd dolor seu de ordinariis, & venialibus culpis, seu de ipsismet capitalibus, & mortiferis, quarum rei olim fuerimus, potest modum excedere, non solùm si justo diuturnior sit, verùm etiam si turbulentus, & inquietus adeò ut animum diffidentiâ, & consternatione dejiciat: ùt prudenter observavit Marcus Eremita in suis de paradiso capitibus, ubi salutiferam, utilémque pœnitentiam à noxia distinguens: *Quædam est*, inquit, *contritio cordis recta, & utilis tendens ad ejus illustrationem: est & altera perversa, & noxia, tendens ad perturbationem ipsius.* Quocir-

circa, quanti momenti est ad vitæ spiritualis profectum ingenti cum alacritate, ac vigore animi per illius semitas tendere; tanto studio provideri à DEI famulis convenit, nè turbulento huic dolori locum unquam in suis cordibus præbeant: curando videlicet, ut tristitia, quam interdum de suis malefactis concipiunt, sit juxta Cassiani præscriptum (*L. 9. de Sp. Trist. c. 11.*) *Mansueta, suavis, quodammodo læta, & spe profectûs sui vegeta.* Qualis utique erit, si non aliunde, quàm à divina charitate originem ducat; nec ab animosa, & suavi disjungatur divinæ benignitatis fiducia.

15. En igitur, quonam pacto, qui per vias divini amoris incedit, quamvis non omittat jam propria delicta, jam alienas calamitates, prout tempus, résque tulerit, considerare, & deflere; perpetuam nihilominus spiritualis lætitiæ jucunditatem in animo foveat. Fovet eam jugiter, quia & plurimum temporis ponit in ruminandis materiis, nihil, nisi suave exhibentibus; (quales sunt exempli gratiâ infinita DEI tum in se ipso amabilitas, tum erga nos bonitas, ejúsque suæ præsens, utpote amici, seu posthuma, utpote in æternitate parata felicitas) &, quando ad alia tristiora objecta se vertit, in iis quoque, ùt jam vidimus,

mus, uberes venas novæ delectationis nanciscitur: nihil aliud præstante nativa eorum amaritie, nisi ut sensibilior, gratiórque fiat ordinarii pastûs dulcedo. Quam si unam semper, ac sinè ulla contrarii saporis vicissitudine, aut temperatione gustaret; brevi præ nimia assuetudine minùs jucundam experiretur, imò etiam aspernari, & fastidire eam inciperet; velut ipsum manna, etiamsi Angelorum panis, & quædam saporum quasi universitas esset; quia tamen unus, atque idem cujusvis diei cibus, in fastidium Judæis vertit, adeò ut nauseabundi exclamarent: *Nihil aliud respiciunt oculi nostri, nisi Man. Anima nostra jam nauseat super cibo isto levissimo.* (*Numer. c. 11. & 21.*)

CAPUT XVI.

De oratione, seu elevatione mentis in DEUM: alia per totum diem breviter repetita, alia ad certum temporis spatium continenter producta.

LOcus jam est, ut excitato in Lectorum animis (quod efficere hactenus conati sumus) ardenti, eodémque læto, & suavi amore erga

ga DEUM, pergamus de iis actibus disputare; ad quos proprium amoris prædicti est incitare animas vitali suo igne succensas: explicando, quàm conveniant, & faciles sint verè amanti, quáque ratione perfectiùs exerceri ab eo possint. Non quia, qui revera amat, eorúmque principium intrà se habet, nequeat sinè alio exteriori magisterio, & impulsu, quàm exactissimè iis fungi: sed, ut prosapienti Cordubensis Philosophi animadversione, (*L. 2. de Clem. c.* 2.) *Quod impetus, & natura est, fiat judicium*: nempe, ut propositam sibi distinctè habens prædictorum hinc actuum dignitatem, suam indè ad eos habitudinem; quod hujus instinctu vix advertens faceret; id audita priùs ratione, certóque, & deliberato consilio faciat. Qui modus operandi circa actus operantis propensionibus congruentes plurimùm valet, ut eorum exercitatio & majore animi ardore suscipiatur, & frequentiùs iteretur, & constantiùs, æqualiúsque urgeatur. Paucis tamen quibusdam exceptis, quorum animi perfectè à divina charitate possidentur; ità ut in hac exercenda *patiantur* magis, quàm *agant*. Hi enim tantò excellentiùs DEUM amant, quantò illum à se amari minùs advertunt: juxta memorabilem illam, ut-

que

que à Cassiano appellatur, *cælestem, & plùs quàm humanam*, magni Antonii sententiam, (*Coll.* 9. *c.* 30.) affirmantis, *non esse orationem perfectam, in qua Monachus vel hoc ipsum, quod orat, intelligit.* Sed cum hujus notæ animabus meus liber non agit, utpote cum iis, quæ, quod fortunatorum hominum esse proprium Aristoteles scribit, (L. 7. *Eudem. c.* 18.) *Principium agendi habent, intellectu, & voluntate præstantius:* quarúmque institutionem si hìc mihi arrogarem, audire idem monitum mererer, quod Sophroniſco Socratis patri dedisse oraculum fertur, dicens: nè de suo illo filio gubernando sibi curam sumeret, sed *sineret eum agere, quidquid in voluntatem venisset, neque aliò abduceret. Habere enim eum vitæ ducem sexcentis pædagogis meliorem.* (*Plut. de Gen. Socr.*) His itaque sub cælestis sui Magistri disciplina relictis, aliis, qui communi via gradiuntur, quósque solos hìc alloquor, exercitationes, sacri amoris sui proprias subjiciam ab ea incipiendo, quam capitis titulus præfert, assidua nimirum elevatione mentis in DEUM.

2. Et certè nihil hac exercitatione cogitari potest sive æquius, sive utilius, quódque divina eloquia, & sacri doctores impensiùs commendent. Æquitas illius tam manifesta

est, quàm DEI erga nos providentia. Cùm enim assiduum ille nostri curam gerat, quidni congruentissimum rationi sit, ut assiduam nos quoque illius foveamus memoriam? Rectè author meditationum, D. Bernardo adscriptarum. (*c. 6.*) *Sicut nullum est* inquit, *momentum, quo homo non fruatur* DEI *bonitate, & misericordia; ità nullum sit momentum, quo eum præsentem non habeat in memoria.* Et novam eidem argumento vim addit naturalis nostra imbecillitas, nihil boni sinè DEO assequi potens, sempérque illius adjutorio indigens. An non enim indignissimum est, cùm ille, quamvìs nulla in re nostri egens, nullo tamen non tempore de nobis cogitet, nos, qui ejus auxiliis, & donis in singula momenta opus habemus, minùs de eo cogitare? *Ad te levavi oculos meos, qui habitas in cælis. Ecce, sicut oculi servorum in manibus Dominorum suorum, ità oculi nostri ad Dominum* DEUM *nostrum, donec misereatur nostri.* (*Ps. 122.*) Regius Psaltes canebat, probè intelligens, quàm conveniat pauperi eum respicere, à quo potest juvari; & tamdiu, totiésque respicere, quoties, & quàm diu illius eget adjutorio. Quid porrò de utilitate, quæ indidem percipitur, dicam? Nihil illâ quoque luculentiùs patet. Nam ne-

neque ulla est aptior participandæ alicujus qualitatis ratio ; quàm si ad illius accedatur principium , neque ullum est aliud cujuslibet boni principium, quàm DEUS. Quapropter , si nequit non illuminari , qui ad solem primariam lucis causam, aut non calefieri,qui ad ignem caloris totius fontem accedit; neque fieri poterit , quin purgetur , & perficiatur , qui ad DEUM , totius puritatis , & perfectionis principium , erigere mentem consuevit. Sed similiter illi eveniet , ac versantibus in taberna unguentaria , qui odorem loci corpore , ac vestibus combibunt : útque gravidis eveniisse fertur Jacobi Patriarchæ ovibus , quæ virgarum suo aspectui objectarum colores in fœtuum suorum vellera imaginationis vi transtulerunt. Ità planè , inquit B. Ephrem , (*Serm. de Pat.*) *DEI semper memineris , & cælum mens tua evadet.* Priùs illo eundem effectum agnoverat , & contestatus luculenter fuerat magnus Areopagi Doctor Dionysius , (*De Eccl. Hier. c.* 4.) comparans mentem in DEO semper defixam pictori,qui per attentam objecti alicujus contemplationem assequitur , ut sua illud in tabula quàm simillimè exprimat. Ità quippe *intentus , & nunquam declinans , in arcanam pulchritudinem obtutus id*

homini largitur, ut divinam in se similitudinem referat. Quid multa? Usque adeò sequi certus est hujusmodi effectus, ut vel solo naturalis rationis lumine illum Plato perviderit: negans proinde in sexto de Republica libro fieri posse, quin anima objectum in se exprimat, quod jucundè, amantérque contempla-ri pergit, néve divinam quodammodo speciem anima induat, quæ assiduam cum DEO consuetudinem habet. *An putas* (verba ejus sunt) *fieri posse, ut id non imitetur aliquis, cui cum amore admirabundus inhæret? Nullo modo. Quare, cùm Philosophus divino, & decoro frequenter adhæreat, divinus ipse, atque decorus efficitur.*

3. Quamobrem tam eximia sacri hujus commercii tum æquitate, tum utilitate æstimata, hortatur nos Salomon, ut quoscunque inter vitæ actus retinere affixam Deo mentem curemus, scribens: (*Prov.* 3.) *In omnibus viis tuis cogita illum.* Et D. Basilius vult ejus imaginem in animis nostris non tanquam in speculo obiter repræsentari, sed quasi in ære, vel marmore perpetuò insculptam hærere. (*In Reg. fus. disp. c.* 5.) *Omni custodia*, inquiens, *custodiendum nobis cor fuerit, neque patiendum, ut assidua de* DEO *cogitatio ex animis nostris elabatur: contráque id agendum, ut ex perpetua, pa-*

ris-

rissimáque recordatione impressam in animis nostris piam de DEO *notionem, velut indelebile aliquod signum circumferamus.* Imò ubicunque commendatum apud sacros Scriptores perpetem orationis usum legimus, ùt in iis Ecclesiastici verbis, (*c. 8.*) *Non impediaris orare semper*, & in illo D. Pauli ad Thessalonicenses documento, (*Ep. 1. c. 5.*) *Sinè intermissione orate*, nec non in simili alia Servatoris nostri sententia, (*Luc. c. 18.*) *Oportet semper orare, & nunquam deficere*, perpetuam ibi quoque sublationem mentis in DEUM, utpote quæ ipsissima, & propriissima est oratio, intelligere commendatam debemus. Et præcipuè inter alios eam nobis Cassianus commendat: jam (*Coll. 10. c. 13.*) *Perparum orare*, affirmans, *qui illo tantùm tempore, quo genua flectit, orare consuevit*; jam pro totius spiritualis vitæ scopo haberi illam jubens, (*Coll. 1. c. 8.*) *Hic ergo nobis principalis debet esse conatus, hæc immobilis destinatio cordis jugiter affectanda, ut divinis rebus, ac* DEO *mens semper adhæreat*; jam turpissimi flagitii instar condemnans, si à DEO mens vel obiter deviet. (*Coll. 14. c. 11.*) *Omnis cogitatio non solùm turpis, sed etiam otiosa, & à* DEO *quantulumcunque discedens à perfecto viro immundissima fornicatio deputatur.* Quæ illius sensa imitatus

est D. Bernardus, vel quisquis alius *Speculum Monachorum*, inter ejus opera editum, scripsit: præcipiens, ut, qui divino cultui se devovit, *In omni actu, vel cogitatu suo DEUM sibi adesse memoretur, & omne tempus, quo de ipso non cogitat, perdidisse se computet*; & jure optimo quidem: nimiùm enim quantùm dedecet remissiori nos conatu, & ardore animi divinæ contemplationi vacare, quàm humanis scientiis operam daret senior Plinius, qui, utì proditum memoriæ de ipso est, *perire omne tempus arbitrabatur, quòd studiis non impertiretur.* (*Plin. Ep. 5. L. 3.*)

4. At, si perpetua hæc conjunctio mentis cum DEO tanti pretii, & momenti res est; non minoris fortè erit, juxta rerum eximiarum consuetudinem negotii, & laboris. Ità procul dubio, si de hominibus profanis loquamur. Cæterùm, qui DEI cognitione, & amore imbuti altiùs sunt, nihil eâ experiuntur facilius, & propensioni suæ accomodatius. *Qui diligit* (verba sunt *Manualis*, sub D. Augustini nomine impressi) *oculos suos semper habet ad DEUM, quem diligit. Nihil aliud potest cogitare, nihil loqui: cætera fastidit omnia.* (*c. 19. & 20.*) Quamobrem tantùm abest, ut hujusmodi animabus molestum, & difficile ac-

ci-

cidat de DEO cogitare, aut aliorum hortatibus stimulari egeant ad mentem in eo defigendam, ut hanc potiùs ab eo avellere sinè magna vi nequeant. Id quod usuveniebat B. Aloysio Gonzagæ, adeò in DEUM continenter absorpto, ut, cùm tam assidua mentis elevatio gravis admodum valetudinis imbecillitati esset, tuendæ hujus causâ coacti Religiosi Præsides fuerint illi interdicere, nè tam jugiter divinis vacaret. Sed eventu parùm respondente illorum consiliis. Cùm enim sanctus Juvenis haud minus difficultatis, violentiæque experiretur in avocatione mentis à DEO, quàm alii in firma illius cum eodem conjunctione experiantur; quemadmodum his vel minimè advertentibus, & volentibus solet mens orationis tempore huc illuc per terrena objecta evagari; sic illius cogitationes extra tempus orationi destinatũ sua sponte, furtivóque, & inobservato ipsi effugio ad cæleste suum objectum redibant. Cúmque naturalis quodammodo illi evasisset DEO penitùs adhærendi propensio; reprimendæ hujus conamina majus penè afferebant illius valetudini incommodum, quàm id foret, cujus propulsandi gratiâ vetitus à suis moderatoribus fuerat, eidem obsecundare. (*March. in vit. L. 2. c. 6.*)

5. Neque verò fieri aliter potest; naturâ quippe insitum cuivis amori est, conjunctionem cum objecto suo quærere. Quam non valens illo absente, nisi cum aliqua ejus imagine assequi, hanc sibi effingit in mente, hujus contemplatione animum pascit, huic gaudet perpetim affixus hærere. Ideóque ùt impossibile est, ut enixè aliquid amet, qui parùm de eo cogitat, juxta illud à Dalila objectum Samsoni argumentum, (*Jud. c.* 16.) *Quomodo dicis, quòd amas me, cùm animus tuus non sit mecum?* Ità contrà necesse est, ut, quod ardenter quis amat, illud semper animo recolat: coactus nimirum eò ferri, quò à suo pondere, hoc est ab amore rapitur. Siquidem, teste Augustino: *Pondus meum amor meus: eò feror, quocunque feror.* Unde S. Laurentius Justinianus certissimam illam regulam eruit: (*In Lign. Vit. de Char. c.* 4.) *Vis nôsse, ubi thesaurizas? Attende, quid amas? Vis nôsse, quid amas? Attende, quid cogitas? Ità fit, ut thesaurum tuum ex tuo amore cognoscas, & amorem tuum ex indicio cogitationis intelligas.* Et revera, fac, sponsa à sponso suo absit, quem nihilo se ipsâ amet minùs. Quænam jucundior illi esse occupatio potest, quàm mente illò ferri, ubi amoris sui objectum versatur: quàm revolve-

re

re animo, quid ſive ab eo fieri, ſive ipſi accidere id temporis queat: quàm ſibi repræſentare illius charam ſpeciem, illius blandos mores, illius amabiles prærogativas: quàm revocare in memoriam colloquia olim cum eo habita, mutuíque ſignificationes amoris à ſe erga ipſum, & ab ipſo viciſſim erga ſe editas? Ut in ſuaviſſimis hiſce imaginibus penitùs defixa hæret? Ut iis reſpectandis, deguſtandíſque expleri neſcit? Ut præ voluntarii illius ſomnii dulcedine citra ſenſum illi horæ prætervolant? Denique, *illum abſens abſentem audítque, vidétque*: (*Virg. 4. Æn.*) & ſecundùm celebre D. Bernardi effatum, illius ſpiritus (*De Præc. & Diſp.*) *Non præſentior eſt, ubi animat, quàm ubi amat.* Imò, ut ſic loquar, plùs videtur exiſtere in objecto amato, quàm in corpore ipſo, quod animat: cùm in hoc ſolam penè vegetandi virtutem exerceat, in eo autem ſecundùm reliquas omnes facultates ſuas degat.

6. Si ergo amor perſonæ mortalis, cujus amabilitas plus ſemper admiſtum ingrati, & pœnitendi habet, nedum ſinè labore, ſed ſumma etiam cum voluptate univerſas animæ amantis cogitationes in ea poteſt defigere; quídni parem vim habeat illius amor, qui eſt

totus deſiderabilis, nec amabiliſſimus modò, ſed ipſamet pura, & infinita amabilitas: adeò ut animæ illum probè cognoſcenti, dignè æſtimanti, ſupérque omna diligenti gravis eſſe, & moleſta conſideratio illius nequeat. Quo enim pacto laborioſum, violentum, ac triſte exercitationis genus ſit, contemplari infinitam pulchritudinem, adhærere ſummo bono, converſari cum eo, quo nîl pluris facias, nîl ames impenſiùs? atteſtante Sapiente, nihil indè hauriri, nisì meram dulcedinem. (*Sap. c. 8.*) *Non habet amaritudinem converſatio illius, nec tædium convictus illius, ſed lætitiam, & gaudium.* Adhortante Jacobo Apoſtolo, ut eâ, velut certiſſimo mœroris amuleto utamur. (*c. 5.*) *Triſtatur aliquis veſtrûm, oret.* Regius Vates in ea una ſolatium ſe reperiſſe, & delectationem fatetur: (*Pſ. 76.*) *Renuit conſolari anima mea. Memor fui* DEI, *& delectatus ſum.* Quamobrem Catharinæ, Tereſiæ, Ignatii, Philippi Nerii, tótque alii divinam charitatem profeſſi Sancti, in contemplatione cæleſtis ſui Domini noctes jungebant diebus tam profunda cum mentis attentione, ut nullum interea retinerent vel ſui, vel cujuſquam terrenæ rei ſenſum, tantáque cum voluptate, ut horas breviores momentis tunc ducerent, nec alio ſe vi-

ve-

vere arbitrarentur tempore, nisi quod tam dulci negotio impendissent. Quorum exempla, quamvis ultimos quosque amoris profani conatus, atque fines transgressa, nequeunt tamen admirationi esse, nisi ignorantibus, vel quantam vim magnus amor obtineat, vel quàm magnus DEO debeatur, tam immenso, atque incomparabili bono. Et sanè id ignoratis terrenarum rerum cæci amatores, quibus ob voluntariam mentis stupiditatem insuave, molestúmque accidit, non dicam per plures horas, sed & pauca per momenta de DEO cogitare, in cujus visione vestrum cæteroqui ultimum finem, & totam consistere animarum vestrarum beatitudinem nôstis. Unde fit, ut audientes, quamdiu, & quanta cum jucunditate sancti Viri illius contemplationi vacaverint, admirabundi vobiscum exquiratis, quodnam ibi repererint menti suæ pabulum, quóque pacto illam possent in tam metaphysico, & insensibili objecto defixam tot horis tenere: Nihilo sanè admirationis istius causâ miserandi, & irridendi minùs, quàm vespertiliones, noctuæque essent, si mirarentur, posse aquilas inconniventi obtutu solis jubar spectare. *Væ tibi, generatio prava, atque perversa:* (clamat D. Bernardus) *Væ tibi, po-*

populè ſtulte, & inſipiens, qui & memoriam DEI *faſtidis, & præſentiam expaveſcis. Cæterùm fidelis anima & ſuſpirat præſentiam inhianter, & in memoria requieſcit ſuaviter.* (*De Dilig. Deo.*) Ah miſerabiles noctuæ! cùm veluti huic volucrum generi cruciatum afferre lux viſibilis ſolet, qua nihil cæteroqui eſt oculis gratius; ſic moleſtam vos quoque experiamini, nec ferre ſinè tædio, & labore æterni ſolis lucem poſſitis, cujus viſu nihil habet mens integra ex omnibus ſuis objectis jucundius. Et quid, rogo, cogitari miſerius poteſt veſtro iſthoc morbo, qui amarum, ingratúmque vobis reddit ipſiusmet boni guſtum, nec qualiſcunque tantùm boni, ſed ſummi, ſed infiniti, ſed illius, cujus fruendi gratiâ nati eſtis, & ſinè quo beatis eſſe vobis non licet? Sciretis utinam, qualem jucunditatis, imò anticipatæ beatitudinis fructum mens probè affecta in DEO ruminando, & mente guſtando reperiat; quàm miſeri vobis videremini, quòd eo careatis? Et miſeriores adhuc eſtis, quòd tales vos eſſe ignoretis. Veriſſimè olim ſcripſit Plutarchus, (*De Falſ. Epic. Juc.*) Epicureos, dum rerum noſtrarum providentiam DEO eripiunt, haud levem impiæ opinionis ſuæ pœnam luere. Noſtri quippe gubernationem ipſi eripientes, eam

eam quoque ſibi ipſis voluptatem eripiunt, quam afferre cuivis ſolet, ſi nôrit, ſe ſub amica potentiſſimi, & beneficentiſſimi Rectoris cura eſſe. Sed non minùs verè ego dixerim, veſtrũ iſtum DEI rite noſcendi, atque amandi neglectum, ſi ingens culpa eſt, ingentem quoque pœnam ſui eſſe. Cùm indè oriatur, nè citra tædium cum DEO verſari poſſitis: quod cæteroqui infinitam illius bonitatem, pro eo ac par eſt, cognoſcentibus, atque amantibus omni nectare dulcius accideret.

7. Quamvìs autem perfacilem, quin & jucundam DEI contemplationem experiatur, quiſquis amore illius flagrat; ùt tamen hic amor plùs, minúſve accendere animum poteſt; ſic plùs, minúſve facilem, & jucundam prædictam contemplationem ei reddit. Neque ego omnis adeò æquitatis, & modi ſum neſcius, ut à quovis hujus profeſſionis tyrone eum profectum requiram, quem non ſinè longo uſu, & eximio cæli munere ſanctis viris in ea aſſequi contigit. Cùm igitur nequaquam inſtituti mei ſit, admiranda, & magnorum tantummodo Heroum propria; ſed plana, & communia in medium afferre, debeámque certam aliquam hujus exercitationis praxim ſtatuere, quæ à ſpiritualibus quibuſque viris ob-

obſervari commodè queat ; operæ pretium fore arbitror, ſi duos hìc orandi, ſeu mentis in DEUM attollendæ modos diſtinguam. Primus eſt, magìs per otium, quando nempe animus profanis quibuslibet curis, & ſtudiis valere interim juſſis, totum ſe penitùs in conſiderationem DEI colligit : adorans ſupremam illius majeſtatem, admirans magnitudinem, amans bonitatem, profeſsáque, nec interrupta attentione cum eo quàm diutiſſimè agens : modus à Jeremia indicatus, ubi de ſervo DEI ſcribit, (*Thr. c.* 3.) *Sedebit ſolitarius, & tacebit.* quemadmodum etiam Pſaltes Regius canit : (*Pſ.* 54.) *Quis dabit mihi pennas ſicut columbæ, & volabo, & requieſcam. Ecce elongavi fugiens, & manſi in ſolitudine.* Alter crebra per temporis intervalla obiter repetitus, qui juxta domi, atque in publico, támque in hominum frequentia, quàm in ſolitudine, & ſive ab otioſis, ſive ab occupatis, ínque medio rerum externarum actu verſantibus exerceri poteſt mente in DEUM crebrò, & raptim ſublata : modus à D. Paulo expreſſus in iis ad Corinthios verbis : (*Ep.* I. *c.* 10.) *Sive manducatis, ſive bibitis, ſive aliud aliquid facitis, omnia in gloriam* DEI *facite* : & frequentari tum ab omnibus communiter DEI ſervis, tum præci-

cipuè ab Ægypti Monachis solitus: qui, teste Cassiano, *breves quidem orationes, sed creberrimas* usurpabant, externisque ipsis operibus *orationes per singula momenta miscentes, in his officiis, quæ nos statuto tempore celebramus, totum diei tempus absumebant.* (*De Inst.* L. 2. *c.* 10. & L. 3. *c.* 2.)

8. Ambo hi modi & maximè proprii amantis DEUM animæ sunt, & ad charitatis, totiúsque perfectionis incrementum apprimè utiles, imò etiam necessarii. Proprios dixi primò ambos esse animæ, quæ DEUM amet. Amor quippe, ceu compertissimum cuique est, nihil appetit magìs, quàm suo objecto, seu loci, seu mentis proximitate conjungi; ac propterea, quamdiu fas est, immobili continuatione ipsi adhæret. Quod si insuperabilis necessitas transire aliò coëgerit, quemadmodum violenter indè avellitur: sic ad ipsum identidem respicit, & conatur, quantùm potest, reverti. Quam illius proprietatem graphicè exprimit *Manuale* D. Augustino adscriptum, his verbis: (*c.* 9.) *Hæc est vera cordis requies, cùm totum in amorem* DEI *per desiderium figitur, nec quidquam aliud appetit, sed in eo, quod tenet, felici quadam dulcedine delectatur. Si verò vana aliqua cogitatione, vel rerum occupatione*

ne indè aliquantulum abstractum fuerit, summa cum festinatione illuc redire festinat, exilium reputans alibi, quàm ibi moram facere. Ambos itidem perquam opportunos, imò etiam necessarios ad divinæ charitatis fervorem, animæque spiritualem profectum vocavi. Quemadmodum enim, qui hyberno tempore calefieri, & perseverare totum diem calidus velit, necesse primò est, ut longiusculè foco assideat, & deinde, quoties conceptus ibi calor tepescere incipit, refovendi illius causâ eodem recurrat; sic ad magnum concipiendum, & toto die retinendum charitatis ardorem, necesse primùm homini est, ut cum DEO per attentam, quietámque meditationem tamdiu commoretur, quoad sacri illius amoris flagrantiam non summa tantùm cute, sed intimo pectore hauriat: rursúmque est necesse, ut fervorem ibi haustum, qui perfacilè inter varios vitæ actus paulatim deficeret, per breviores, sed crebrò iteratas ad DEUM aspirationes restauret. Et veluti, ut corpus per hyemem intimè calefiat, totiúsque diei spatio calidum duret, neque longior una juxta ignem commoratio sinè novis, esto breviusculis ad eundem accessibus, neque horum frequentatio sinè aliqua diu ibi producta statione

ne sufficeret, sic, ut vivido, stabilíque DEI amore animus flagret, haud satìs illi esse communiter solet, vel certum quotidie aliquod tempus in statuta illius consideratione transigere, nisì per diem reliquum ejusdem recordari quàm sæpissimè pergat, vel eum ità sibi crebrò revocare in memoriam, si nulla diei hora à terrenis curis liber cum eo intimè agat. Quamobrem sancti ferè omnes Viri sacræ hoc exercitationis genus utroque ex modis prædictis consueverunt obire: ità ut, quàm longissimè poterant, DEO uni contemplando vacarent, & quàm frequentissimè, ac per singula penè momenta ex mediis humanarum occupationum, hominúmque turbis ad eum mentem erigerent.

9. His ità constitutis, si posteriorem modum mentis in DEUM sublevandæ observemus, perquam liquidò apparet, posse illum nedum sinè tædio, & labore, verùm etiam singulari cum voluptate ab omnibus frequentari, qui aliquantulum in DEI cognitione, & amore profecerint. Nam quod tandem exercitationis genus accidere potest amanti animæ gratius, quàm identidem ferri in sui amoris objectum, & objectum præsertim tantæ pulchritudinis, ac suavitatis, quanta in Deo

sese exhibet? Certè externa negotia tantùm absunt ab illa impedienda, nè id agat, ut potiùs suo labore, suísque incomodis, ac molestiis tam jucundum ei levamen commendent. Non secùs atque homini, qui defixos assiduè oculos habeat in suo aliquo, suendi verbi gratiâ, vel scribendi opere, relaxationis, & oblectationis locò est, eos interdum ad sudi aëris, seu viridis campi aspectum convertere. At si de priore magìs attento, & continuo divinæ consuetudinis modo loquamur, quamvìs ipse etiam à spiritualibus viris per justum aliquod temporis spatium facilè, suavitérque usurpetur; nihilominus toto illum die, vel ad plures continenter horas producere homini, qui peculiare contemplationis donum à DEO sortitus non est, nequit, nisi admodum gravis, & laboriosa occupatio videri: spirituum animalium causâ, quorum vim permagnam in tam prolixa mentis contentione absumi necesse est, ac debilitatem ex illorum defectu cùm in universo corpore, tum in capite præsertim subsequi. Præterquam quòd, ut citra tædium, & lassitudinem in prolixiore illa DEI consideratione animus duret, non satìs ei est, ipsum amare, & omnibus quidem aliis objectis impensiùs: sed opus adhuc foret,

ret, ut vel nihil præter ipsum amaret, vel magis sensibili afficeretur erga ipsum, quàm erga aliud quodvis objectum, amore. Nam licèt, qui amat, nullam vim patiatur, de objecto suo cogitans, imò vim pateretur, si de illo non cogitaret; tamen hac ipsa de causa violentum amanti plura objecta est, non nisi de uno ex iis cogitare. Cùm, quàm naturaliter à peculiari unius amore erga illud impellitur; tam naturale itèm sit, ut ab unoquoque ex diversis aliis amoribus aliorsum vocetur. Unde colligitur, eum, qui unà cum amore divino alios plures humanos in animo habet, quemadmodum fieri nequit, quin se jam ab uno, jam ab altero horum commoveri, & ad creata sua objecta abripi sentiat; sic ad mentem usque in DEO continendam debere necessariò iis assiduè obluctari: nec posse tam assidui luctaminis causâ non violentam, difficilémque experiri continuationem sui congressûs cum DEO, aut longum in hoc tempus sinè variis huc illuc mentis evagationibus tranquillè, suavitérque traducere. Atqui purum adeò à profano quovis amore hominem esse, ut vel nihil præter DEUM amet, vel magis sensibili affectu eum, quàm creata quævis objecta prosequatur, felicitas est, nemini,

quamdiu in terris agit, citra singulare DEI privilegium speranda. Atque hinc factum videmus, ut ii, qui excellentiore contemplationis dono instructi à DEO erant, non modò illius perpetuitatem diversis interdiu actibus cogerentur abrumpere; verùm eo etiam interdum, quo ipsi speciatim vacabant, tempore varias turbationes, difficultatésque experirentur, nec exiguo indigerent labore ad mentem immobiliter in DEO continendam: querentes de illius instabilitate, & ea Jobi verba gemebundi iterantes, (*c.* 17.) *Cogitationes meæ dissipatæ sunt, torquentes cor meum.* Quemadmodum inter alios magno illi Macario accidisse proditum est: (*Sur. 2. Jan.*) qui consilio apud se inito nihil unquam deinceps præter DEUM cogitandi, solidóque biduo in ea vacatione mentis exacto, tertia demum die, *cùm videret, jugiter fixum in* DEO *animum se habere non posse*, coactus est ab incepto desistere, ac æquo animo pati, quòd terrenæ hujus peregrinationis tempore, mortalis, & viator homo esset. Idque declarari adhuc luculentiùs potest exemplo amoris humani: qui, licèt majorem vim habeat defigendæ in naturali, & sensibili objecto suo mentis; si tamen plura simul, & diversa objecta habeat,

haud

haud valet in eorum ullo continenter animũ figere. Ac proinde, quantumcunque mater aliqua unicam ſobolem diligat; quia tamen ſimul cum illâ & ſe ipſam, & complures alias res diligit, fieri minimè poteſt, quin ab ea pluries per diem ſuas curas, & cogitationes aliorſum traducat. Ex qua diſſertatione conficitur, etiamſi facillimum amanti DEUM ſit, crebra per intervalla ad eum mentem erigere, imò etiam id ſæpe vel minimè advertens, per quemdam quaſi naturalem amoris impetum faciat; non tamen æquè promptum, & ſuave eidem accidere alterum, res divinas diu commentandi exercitium. Quod, ut & ſuaviùs, & majori cum animæ quæſtu, & minore cum corporis detrimento obeatur, moderato quopiam temporis ſpatio definiendum eſt, ùt infrà de illo ſpeciatim agentes dicemus.

10. Quòd ſi fortè aliquis roget, uter ex prædictis duobus orandi modis ad ſpiritualem profectum plùs conferat, majoríque nobis curæ eſſe debeat? neutrum quidem tutò negligi poſſe reſponderim, ſed eum mihi potiorem videri, qui toto die, ſinguláſque per horas repetita pluries exercitatione inſtauratur. Idque primò propter authoritatem tum Æ-

gyptiorum Patrum, qui juxta recitatum paulò antè de iis testimonium, (*Cass. L. 2. c. 10.*) *Utilius censebant, breves quidem orationes, sed creberrimas fieri*; tum Joannis Chrysostomi, qui idem confirmans, (*Hom. 79. ad Pop.*) *Oportet*, inquit, *orantem neque longos sermones extendere, & jugiter orare. Breves enim, & frequentes orationes parvis ex intervallis fieri, Christus, & Paulus præceperunt.* Secundò, quia cõmentationis prolixæ exercitium non semper in promptu cuique est, sed multoties jam somni obrepentis torpore, jam capitis ægritudine, jam alio malè affecti corporis vitio impeditur, adeò ut attentè, fructuoséque obiri nequeat, & vix ab inerti otio differat: cùm è contrario ad mentem crebro, & brevi nisu in DEUM erigendam nemo sat idoneus non sit. Tertiò, quia piæ illæ aspirationes per totius diei cursum modicis ex intervallis repetitæ, si unam omnes colligantur in summam, temporis spatium implere possunt, eo fortasse diuturnius, quod spirituales communiter viri quotidianæ rerum divinarum meditationi consueverunt impendere: súntque altera ex parte, quales à Cassiano appellantur, (*Coll. 9. c. 35*) *Pura libamina, veræ, ac pingues hostiæ, holocaustomata medullata*: Oratio videlicet

cet totâ cæleſtis, & DEO unicè intenta, ſinè ulla ſeu laſſitudine, quæ illius vigorem enervet, ſeu mentis evagatione, quæ aliquid de tempore ipſi aſſignato ſurripiat: vitiis nimiùm quàm frequentibus, dum oratur prolixiùs: ubi, ſi D. Auguſtino fidem præſtamus, (*In Pſ. 85.*) *Vix eſt, ut occurrat ſtabilis oratio inter multas orationes. Diceret unuſquiſque, ſibi contingere, alteri non contingere, nisi audiremus in ſcripturis David orantem quodam in loco, & dicentem: Quoniam inveni, Domine, cor meum, ut orarem ad te. Invenire ſe dixit cor ſuum, quaſi ſoleret ab eo fugere, & ille ſequi, quaſi fugitivum, & non poſſe comprehendere, & clamare ad Dominum, quoniam cor meum dereliquit me.* Quartò demum, quia præcipuus ſtatæ, ac diutiùs productæ orationis fructus non in eo poſitus eſt, ut tempus illud piè coram DEO tranſigatur: ſed in eo potiùs, ut orans firmam ibi voluntatem concipiat, DEO per reliquum omne illius diei, ac vitæ ſuæ ſpatium quàm ſanctiſſimè inſerviendi, fugitando, quidquid ipſi viderit diſplicere, &, quidquid gratum contrà eſſe, alacriter capeſſendo, perfectéque obeundo. Quam ad rem, nemo non perſpicit, quantò plùs conducat frequens, & aſſidua in mediis vitæ functionibus DEI recordatio,

quàm si horulâ tantummodo aliqua cum eo conversati, totum reliquum diem sinè ulla ipsius cogitatione, & memoria ducamus. Quocirca, etiamsi utramque orandi rationem spiritualibus viris necessariam esse dixerim; pluris tamen faciendam hanc reor, quæ toto nos die conjungere cum DEO pergit; quàm alteram, quæ nostræ cum eo conjunctioni non nisi peculiare aliquod diei tempus præfigit. Illíque specialiùs eâ uti debent, quibus vel deest diu orandi facultas, vel impedimenti alicujus causâ parùm è sententia successit matutina longior oratio: quo scilicet magìs sedulo alterius instrumenti usu minorem alterius efficacitatem compensent. Quemadmodum, qui propter stomachi imbecillitatem minùs commodè una, alteráque vice sumerent, quidquid sibi opus est, quotidiani cibi; solent illud particulatim pluribus vicibus sumere: quíque sat justam aëris copiam nequeunt, præ pulmonis vitio, singulis respirationibus ducere; coguntur juxta Aristotelis observationem, (*De Juvent. & Sen. c.* 14.) crebriùs respirando, eum defectum supplere. Quare Abbas Dorotheus suo Alumno Dositheo, quem morbus vetabat consuetis orationibus fungi; earum omnium locò jugem DEI memoriam præ-

præscripsit. Cessa, inquiens, *ab oratione: verumtamen* DEI *memoria nunquam abscedat à te. Cogita illum semper adesse, téque illius conspectui semper assistere.* (*In vit. Dos.*)

11. Utque de brevium hujusmodi orationum praxi aliquid subdam; (nam de oratione certo, & longiori tempori affixa distinctè agendum infrà erit) Dico primùm, homini, qui DEUM toto pectore amet, nunquam esse ab earum usu cessandum: adeò ut sive solitarius, sive inter homines, sive otiosus, sive alicui operi intentus, DEUM assiduè, ceu præcipuum, imò unicum sui amoris objectum intueri, & memoriâ repetere studeat: tam crebrò mentis, cordísque oculos ad eum elevans; ut, quamvis inter singulas elevationes aliquid intercurrat; hoc tamen brevitatis suæ causâ delere in animo nequeat pias species, propensionésque à prævíis ibi actibus excitatas, & tanquam sui effectum, ac semen relictas, atque ità animi conjunctio cum DEO appellari possit æquivalenter continua. Juxta quem sensum accipi debet illud *semper*, & illud, *sinè intermissione*, quod Christus Dominus, ejúsque Apostolus Paulus in orando requirunt. Veluti hac etiam, aut simili alia ratione interpretanda sunt magna illius Asce-

tæ Philoromi verba, cùm professus de se est apud Palladium, (*Hist. Lauf. Sect. 98. n. 113.*) *Non memini, me unquam animo à DEO recessisse.* Nam cæteroqui defixam ità jugiter in DEO mentem habere, ut nè ad punctum quidem temporis indè abstrahatur, Cælitûm potiùs DEI aspectu fruentinm, quàm hominum in terris peregrinantium sors est. *Quis tam familiaris DEO*, (sapienter Cassianus interrogat) *qui Apostolicum illud imperium, quod sinè intermissione orare nos præcipit, vel uno die segandeat executum?* (*Coll. 23. c. 7.*)

12. Dico præterea, assiduam hanc nullius non temporis, atque loci orationem in actibus partim intellectûs, partim voluntatis consistere, qui vel DEUM merè intueantur, vel ad exercitationem illius amoris pertineant: & hujusmodi actus posse vel animo tantùm concipi, vel exprimi etiam verbis, non illis quidem exquisito artificio compositis, sed qualia cor intimè affectum eructat. Et circa intellectûs actus, pias scilicet de DEO cogitationes, si aliquos speciatim ad faciliorem eorum praxim designari tibi, Lector, desideras; præcipuo fore usui videntur sex hi, quos subjicio. Primus, ut consideres, quantus universè, quámque excellens, & mirabilis in sua in-

incomprehensibili essentia sit DEUS. Secundus, ut in omnibus, quæ spectanda se offerunt, putà animalibus, plantis, & rerum humanarum eventis, infinitam illius sapientiam, potentiam, & bonitatem agnoscas. Tertius, ut ex hujus, vel illius creati objecti magnitudine, specie, & amabilitate arguas, quantò major, speciosior, atque amabilior ipse eorum Opifex sit. Quartus, ut memineris, ipsum esse tuum Conditorem, Dominúmque, & ultimum finem, cui nihil propterea non summi cultûs, & obsequii debeas. Quintus, ut recogites, merum nihil sinè illo te esse, tuámque omnem felicitatem in amica cum eo conjunctione consistere. Sextus, ut advertas, quonam pacto peragendum tibi sit opus, quod aggrederis, vel habes præ manibus, nè quid in eo ipsi displiceat, aut minùs, quàm posset, placeat. Quod verò ad actus voluntatis pertinet, poteris primò admirari incomparabilem, humanóque omni captu majorem ipsius excellentiam: despiciendo instar nihili præ eo, quidquid eximium, & mirabile alibi occurrat. Secundò res omnes creatas, vel rationis, ac sensûs expertes, ad colendum, laudandúmque eum provocare. Tertiò gaudere, quòd ipse sit, qualis revera est, adeò infi-

ni-

nitè perfectus, beatus, omnibúsque aliis rebus superior. Quartò humili cum terrore, ac reverentia fateri, si cum eo componaris, minorem atomo, vel pulvisculo, nec tam ens, quàm tenuem entis umbram te esse. Quintò confugere ad ipsum instar filii, orando, ut paterna suâ ope in omnibus quà corporis, quà animæ periculis præsens tibi adsit: sed præcipuè ad lethale quodvis crimem cavendum, & ad se, quantùm velles, amandũ det vires. Sextò offerre illi rem, in qua fortè agenda occuparis, profitendo, nihil te ibi præter ipsius voluntatem quærere, libentissiméque illi operam navare, & adnisurum, ut summâ, qua potes, diligentiâ illam peragas. Septimò desiderare majora, & majora in illius charitate incrementa, útque plùs semper illi placeas, & quàm ocyssimè ad eum in suamet essentia contemplandum pervenias. Octavò peramantes ipsi gratias referre pro beneficiis, quæ tibi continenter impertit, tum providendo, ut res omnes creatæ tuis usibus serviant, tum necessariam ad singulos quosque actus tibi opem præstando. Nonò, quidquid molesti, vel minùs grati eveniat, pleniſſimo consensu approbare, libentissiméque excipere, quia ab eo sancitum, & volitum. Decimò gratulari ti-

tibi, quòd ſervus, amicúſque illius ſis, & tam firmam ſpem habeas illo æternùm fruendi. Undecimò deplorare cum admirationis, & indignationis ſenſu tuam, communémque hominum vecordiam, in quærenda paſſim extra ipſum illa animi quiete, & jucunditate, quæ non nisì in ipſo, vero, uno, ſummóque bono reperiri poteſt. Duodecimò totum te deinceps illius obſequiis devovere, certúmque in animo decretum concipere, nunquam eum offendendi, nihil præter ipſum amandi, ipſius voluntatem ubique implendi, & ipſi, quantùm poſſis, maximè in omnibus gratificandi. Hos igitur, híſque ſimiles actus alternatim exercenti, licebit perfacilè totius diei tempus in ſuavi cum DEO conſuetudine exigere. Ubi tamen advertendum cenſeo, tempora minùs occupata, ùt quæ inter unam, alterámque actionem intercedunt, vel eùm ab hoc loco ad illum tranſitur, intellectûs actibus accommodatiora eſſe: at verò contrà in medio occupationum æſtu voluntati magìs convenire, ut ſe DEO per ſuos actus conjungat.

13. Dico denique, potiſſimam hujus exercitationis partem, quæque ad eam fructuoſiùs, & ſuaviùs obeundam plurimùm confe-

rat,

rat, esse DEI tanquam præsentis memoriam: nempe ut illum non qualicunque concipiamus modo, sed instar alicujus, qui, ubicunque nos versamur, necessariò existat, assiduéque nos intueatur, & ad omnia, quæ agimus, suam nobis operam commodet. Quæ repræsentatio pro sua singulari, & præcipua ad animos permovendos efficacitate cursim, obitérque attingenda non est, sed distinctam tractationem, & proprium caput requirit.

CAPUT XVII.

De assidua inter promiscuos vitæ actus DEI tanquam præsentis memoria.

AMicitia, quamvis propriè animorum conjunctio sit, ex mutua tamen amicorum præsentia fomenti plurimùm capit: adeò ut per diuturnam hujus interruptionem illius quoque sensus paulatim elanguescere, ac demum extingui soleat, juxta illud proverbium: (*Athen.* L. 5.) *Amici, qui procul degunt, non amici.* Quia nimirum, teste Aristotele, (*Eth.* L. 9. c. 12. & L. 8. c. 5.) *Amor ex visu maximè exi-*

existit, & nihil est ità amicorum, ùt simul vivere. Hinc qui impensè aliquem amat, ùt nihil ejus præsentiâ expetit magìs ; sic illo absente studet hanc sibi, quantùm possit, supplere, sive imaginans animo, charum caput re ipsa coràm adesse ; sive aliquam ejus effigiem contemplans, & hujus tanquam veri exemplaris visu amorem suum fovens. At, si cujuslibet, qui alium enixè amat, solennis, propriùsque hic mos est, peculiari ratione amanti DEUM convenit, tanquam illi, qui minimè indiget, præsens sibi effingere, quòd revera absit: sed certò certiùs novit, præsentissimum se habere quovis tempore, & loco, quamvìs oculorum visu nequeat attingere sui amoris objectum : imò tantò habere præsentius, quantò minùs illud oculis videt. Visum quippe non nisi ante se haberet, cùm non visum etiam intrà se habeat, quasi suæ animæ animam: possítque Jacobi Patriarchæ verbis dicere: (*Genes.* 28.) *Verè Dominus est in loco isto, & ego nesciebam.* Quare frigidum plùs nimiò amatorem se proderet, si, cùm proprium amoris sit, vel remotas loco personas præsentes sibi exhibere, ipse in tam intima sui objecti præsentia quasi remotus ab eo viveret, quia cæcus ad illud vel animi obtutu cernendum. Cæ-

cus

eus enim, (prout D. Augustinus observat) *frustrà est præsens rebus, quas non videt. Imò rectiùs absens, quàm præsens dicitur. Quanta ergo miseria longè esse ab eo, qui ubique est?* (*In Ps. 99.*) Et certè prodigii simillimus, neque possibilis memorari absque stomacho est hominum stupor: qui habentes non solùm juxta se, sed & intrà se amicum, adeò supra cæteros omnes amabilem; nullâ tamen illius curâ afficiuntur, nullo eum mentis sensu percipiunt: cúmque ille *delicias suas* vocet, *esse cum filiis hominum*, neque contentus ubique iis adesse per essentiam prout DEUS; inter eos etiam permanere *usque ad consummationem sæculi*, secundùm suam humanitatem sub Eucharisticis speciebus voluerit; ipsi è contrario, quamvis ità præsentem, respicere fidei oculis negligunt: neglectu quidem divinæ erga se bonitati admodum injurioso, sed & sibi maximè noxio ob ampliſſimorum jacturam fructuum, quos ex pio præsentiæ illius sensu referrent.

2. Quis enim explicare pro rei merito possit, quàm suavis ejusmodi sensus animæ accidat, quantúmque illi infundat tum solatii inter quascunque ærumnas, tum lucis ad sincerum veri boni à falso discrimen, tum invicti adversùs hostes seu externos, seu domesti-

cos

cos roboris, tum quietis ab inteſtinarum perturbationum tumultu, tum generoſitatis, qua obvias divini famulatûs difficultates perrumpat, tum vigoris, nè in Chriſtianæ perfectionis curriculo defatigetur, ſed alacri greſſu ulteriùs ſemper proficere contendat? Ad dictorum fidem ſat fuerit divinarum Literarum monumenta curſim evolvere. *Ambula coram me, & eſto perfectus,* (*Gen. c. 17.*) dictum Abrahæ à Domino legimus. Ubi verbum imperans *eſto*, ùt alibi in ſacris Paginis pluries, æquivalet verbo affirmanti, *eris*: perinde quaſi idem ſit, præſentem DEUM in animo habere, ac eſſe perfectum. David quoque in ſuis Pſalmis profitetur jam voluptatem, quam ex Domini hauriebat præſentia, canens: (*Pſ. 15.*) *Providebam Dominum in conſpectu meo ſemper, quoniam à dextris eſt mihi, nè commovear. Propter hoc lætatum eſt cor meum;* jam intrepidam, quæ indè oriebatur, inter ultima quævis pericula cordis ſui firmitatnem, dicens Domino: (*Pſ. 22.*) *Si ambulavero in medio umbræ mortis, non timebo mala, quoniam tu mecum es.* Et quemadmodum ex hujus inſtrumenti uſu profectam agnoſcit ſuam in divinis exequendis præceptis fidelitatem, (*Pſ. 118.*) *Servavi*, inquiens, *mandata tua, & teſtimonia tua,*

quia omnes viæ meæ in conſpectu tuo; ità ejuſdem neglectui perverſi hominis crimina imputat, (*Pſ.* 10. *Sec. Hebr.*) *Non eſt* DEUS *in conſpectu ejus: inquinatæ ſunt viæ illius in omni tempore.* Demum Eccleſiaſticus, omnia ſummatim uno verbo expreſſurus, beatùm appellat, qui ſacris meditationibus vacat, séque à DEO aſſiduè reſpici conſideret. (*c.* 14.) *Beatus vir, qui in ſapientia morabitur, & qui in juſtitia ſua meditabitur, & in ſenſu cogitabit circumſpectionem* DEI. Ità certè beatus: ſic enim vivere, ſecundùm D. Bonaventuræ animadverſionem, eſt more Cælitûm vivere: qui perfecta ideo fruuntur beatitudine, quòd DEI vultum ſemper aſpiciant. *Cùm ſumma beatitudo, & gloria conſiſtat in jugi viſione* DEI; *hujuſmodi beatitudinis imitatio eſt jugis memoria* DEI. (*L. 2. de Proc. Rel. c. 20.*)

3. Neque rationes deſunt, quæ idem planiſſimè evincant. Quonam enim pacto fieri poſſe arbitrabimur, ut aut maxima non fruatur voluptate, qui præſentem eum habet, quo nihil plùs diligit: aut ſecurus non vivat, qui amicum ſibi adeſſe intuetur, & exploratiſſimæ fidei, & peridoneæ ad ſe quovis in diſcrimine protegendum virtutis; aut non alacriter pro ſuo Rege operetur, qui eum cernit labori ſuo in-

intentum, auditque promittentem: *Ego ero merces tua magna nimis?* Quid porrò de validissima, & penè ineluctabili hujusce exercitationis vi ad flagitia inhibenda dicemus? Parúmne manifestis ipsa quoque argumentis probatur? Certè nullum reperire usquam erit adeò malè moratum adolescentem, qui inducere animum possit, ut coram patre facinus turpe, & ab eo sibi severè interdictum committat: nullam tantæ impudentiæ, ac protervitatis uxorem, quæ sub mariti oculis pactam ipsi conjugalem fidem violare audeat: nullum tam projectæ audaciæ furem, quin eum ab injicienda alienæ pecuniæ, vel rei manu, inspectantis palàm judicis timor cohibeat. Et, quantacunque aliquis obscœnæ libidinis vi urgeatur, nunquam fiet, ut gerat ei morem, ubi à gravi quopiam viro observari se noverit. Hæc exempla profectò omnia evidenter demonstrant, quàm verè scriptum à D. Hieroymo sit, (*In cap. 5. Ezech.*) *Si, quando peccamus, cogitaremus, DEUM videre, & esse præsentem; nunquam certè, quod ei displiceret, faceremus*: nimirum inter quaslibet dæmonis tentationes, & peccandi illecebras, non facillimam modò vitationem, sed penè etiam impossibilem patrationem nobis scelerum fore,

si recordaremur, DEUM adesse, qui illa & summo odio aversatur, & severissima cum comminatione interdixit, & potest sempiternæ mortis supplicio vix perpetrata, imò & dum patrantur, ulcisci. Id quid B. Ephrem effronti mulierculæ, à qua solicitatus ad peccandum fuerat, scita ratione, proprio nempe ipsius exemplo, atque sensu monstravit. (*Sur. in vit. 1. Febr.*) Proposito illi siquidem ad perficiendum, de quo compellabatur, flagitium, in publico Edessæ foro, cùm respondentem audisset, nimii, nec ferendi dedecoris fore, si in loco adeò frequenti, & sub totius populi aspectu rei tam fœdæ vacarent: Ah cæca, & vecors! subjecit, *si oculos hominum judicâsti satis esse, ad pudore afficiendum, & à mala actione abducendum; DEI oculos, qui omnia intuentur, tam quæ clàm, quàm quæ palàm fiunt, non multò magis reverebimur, & extimescemus?* Argumentum validè urgebat, nec responsioni, effugióque erat locus. Quapropter convicta mulier erubuit, illa se toties DEO spectante admisisse flagitia, quæ spectante unius urbis populo horruerat vel semel admittere. Nè mora: dignam porrò actura præsentis DEI oculis vitam, ex infami prostibulo pudicitiæ, pœnitentiæque exemplar effecta est. Postremò,

qui

qui DEUM mente intuetur, bonum habet præ oculis, terrena quævis bona infinito intervallo transcendens: ac propterea, quamdiu intueri illum pergit, nullum ex terrenis bonis magnum censere, & eximium potest; Eatenus quippe talia hæc apparent, quatenus per se sola, & seorsum à DEI infinitate spectantur. Si ergo DEUM assiduè præsentem habebimus, nullum nobis unquam bonum creatum, nisi conjunctim cum illo apparebit, nec nisi sub specie, quam præfert coram illo, quæ nequit esse, nisi ut exiguæ, abjectæque rei species. Quapropter sublata ex animo eorum æstimatione, eorundem amor simul indè avelletur: avulsóque hoc confestim deficient tum solicitæ circa illorum adeptionem, & conservationem curæ, tum difficultates ea repudiandi, quando id ad nostrum spirituale profectum conducit; tum quæ in iis quærendis, & fruendis plerumque interveniunt delicta, tanquam effectus, qui ex vana ejusmodi bonorũ æstimatione oriri solent, omnésque per assiduam DEI præsentis memoriam cum prædicta æstimatione excinduntur. Triobolaris ille apud Plutarchum pictor, (*De discr. Adul. & Am.*) cùm gallum gallinaceum inconcinnè pinxisset, nihil cavebat magis,

quàm nè gallorum aliquis ad ſuam tabulam propiùs accederet: gnarus ſcilicet, quàm inepta, & ridicula vero gallo præſente apparuiſſet illa ejus effigies. Non abſimili ratione, cùm omnia præſentis vitæ bona nihil aliud, quàm imperfectiſſima quædam æterni, ſummíque boni adumbratio ſint, ubi hoc ex adverſo apparet, neceſſe eſt confeſtim dignoſci, quàm immani dignitatis, pretiíque intervallo ab eo diſtent. Quare hoſtis tartareus, utì ad nos capiendos nullum habet præclara ſenſibilium objectorum æſtimatione inſtrumentum validius; ità nihil magìs molitur, ac præſentis DEI ſpeciem nobis ſubducere: probè intelligens, quantum æſtimationis coram unico illo vero bono ſuis deceſſurum ſit mendacibus bonis, quódque, dum illud habemus præ oculis, impoſſibile ſibi erit, horum nos illecebris ad peccandum inducere. *Ego oſtendam omne bonum tibi*, (*Exod.* 33.) dixit DEUS Moyſi petenti, ut ſe illi ſpectandum præberet. Quodnam bonum mirari, aut quærere alibi poſſit, qui præſentem DEUM ſpectans omnia in eo reperit bona?

4. Atque hoc ſanè armorum genus fuit, quo tecti, munitíque præſtantes DEI famuli invictos ſe adeò exhibuerunt contra infeſta omnia

mnia communium trium adversariorum, dæmonis, mundi, atque carnis molimina. Dimicabant coram cæleſti Domino in ſuos, & illius hoſtes, nihil dubitantes, quin ab eo & validiſſimè protegendi in certamine, & ampliſſimè remunerandi poſt victoriam eſſent. Ideóque hæc præſentis illius contemplatio plana iis, & facilia omnia reddebat. *Montes ſicut cera fluebant à facie Domini.* Nullus erat, qui eos remorraretur obex, nullus, qui defatigaret, labor, nullum, quod terreret, diſcrimen. Superabant mundi illecebras, proterebant perduellis naturæ cupiditates, de orci tyranno triumphabant. Similes prorſus fortiſſimis illis Judæ Machabæi commilitonibus, qui in prælio contra impium Nicanorem, (*L. 2. Mach. c. 15.*) *Manu quidem pugnantes, ſed* DEUM *cordibus orantes, proſtraverunt non minùs viginti quinque millia, præſentiâ Domini magnificè delectati.* Teſtis ſit, ut eorum aliquos nominem, magnus Legislator Moyſes, qui, ſi nôſſe avemus, unde vires ſumpſerit ad laceſſendam, ſuperandámque protervi Pharaonis pervicaciam: reſpondebit D. Paulus, has ei ſuffectas fuiſſe à DEI conſortio, & præſentia; nempe (*Ad Hebr. c. 11.*) *Reliquit Ægyptum, non veritus animoſitatem Regis; inviſibi-*

lem enim tanquam videns sustinuit. Testis illa pudicitiæ Heroina, & speculum conjugalis fidei Susanna, quæ ut mortem subire, quàm peccato assentiri mallet, præsentis DEI recordatione inducta est, respondens flagitii suasoribus: (*Dan. c.* 13.) *Melius est mihi absque opere incidere in manus vestras, quàm peccare in conspectu Domini.* Testis demum fortissimus Martyrum signifer Stephanus: ea de causa inter hostium furorem, *qui stridebant dentibus in eum*, saxorúmque ingruentium tempestatem securus; quia *intendens in cælum vidit gloriam* DEI, *& JEsum stantem à dextris virtutis* DEI. (*Act. 7.*)

5. Jam verò, ut ad exercitationis tam frugiferæ praxim accedam, duo mihi circa illam explicanda occurrunt: quisnam nempe sit modus opportunior, DEUM nobis exhibendi præsentem, quæque facilior ratio durandi per diem totum in hac ejus contemplatione, & præsentia? A primo itaque ordiens, nulla hìc opus esse, ajo, sensibili specie, quæ invisibilem DEI essentiam, ceu in tabula quadam effingat. Quamvìs enim in prolixiori oratione possit non inutiliter DEUS concipi sub magnifica aliqua imagine, qualem exempli gratiâ Isaias olim vidit, (*c.* 6.) *Sedentem*

tem ſuper ſolium excelſum, & elevatum: ità ut in ſupremo cæli vertice videamur nobis videre immenſum quemdam lucis ſplendidiſſimæ orbem: ubi arcanum DEI Eſſe lateat ſimul, séque innuat pronis circumquaque in obſequium beatarum mentium Choris, nec interrupta unquã modulatione, *Sanctus, Sanctus, Sanctus*, canentibus; hic tamen imaginationis labor, præterquam quòd remotum à nobis potiùs, quàm præſentem, ubi ſumus, DEUM exhibeat, neque diu protrahi citra magnam laſſitudinem, & grave incommodum poteſt. Modus itaque & commodior, & magìs proprius eum exhibendi præſentem fuerit, talem certiſſima fide concipere, qualis revera eſt: nempe ùt Ens ſpirituale, imẽnſiſſimum, pérque univerſas, ac ſingulas mundi partes indiviſa, & ubivis tota magnitudine ſua effuſum, quod aſſiduè intrà nos, & circa nos degat, aſſiduè nos intueatur, déque nobis cogitet, aſſiduè vitam nobis, ſpiritúmque, ac vires ſubminiſtret, &, quidquid agimus, nobiſcum agat. Quamobrem, qui hæc omnia jamdiu perſuaſiſſima habens eorum memoriam peculiari, expreſsóque actu inſtauret, nec ulla imaginationis vi utens ſola mente intrà ſe dicat, DEUS hìc eſt, ubi ego ſum, ſunt omnia

hæc, quæ video, æquè atque ego, & ipsa hìc simus: perinde me undique ambit, quàm ab hoc aëre sensibili ambiar: nihilo minùs in quavis mei parte intimus mihi est, quàm ipsamet intima mihi essentia mea sit. Nihil operor, dico, aut cogito, quod omni cum attentione non observet, summáque cum distinctione non videat. Si sto, ille me sustentat; si moveor, ex ipso in ipsum transmigro; si quid ago, ille mecum idem agit. Clausus assiduè, & multò penitiùs intrà illius immensitatem dego; quàm infantulus degat intrà parentis gravidæ uterum, à quo undique vallatur, ubicunque sit, sustinetur, quocunque eat, circumfertur: imò penitiùs intrà illam dego, quàm exigua intra maris amplitudinem spongia, tota ab illo forinsecus circumsepta, tota illo intrinsecùs plena. Has, inquam, certissimas veritates qui sibi in memoriam revocet, ac menti præsentes habeat, verissimè dici poterit, DEUM sibi præsentem habere. Tantóque fructuosior, & ad voluntatem afficiendam validior hæc illius præsentia erit, quantò distinctiùs prædictas veritates mente conceperit: ità ut non satìs habeat, compendio dixisse, DEUS hìc undique circa me, & penitùs intrà totum me est: sed uni-

niversale hoc effatum minutatim dividat, subdens, est, ubi illa fenestra, ubi ille paries, ubi illud scamnum, ubi illa imago: est in his manibus, est in his meis oculis, & sic porrò, quantùm ad reliquas loci differentias, & partes. Neque similiter contentus sit generatim solummodo affirmare, DEUS nunc de me cogitat: sed enucleatiùs idem explicans dicat, cogitat nunc de prospiciendo mei corporis, meæque animæ usibus: cogitat de opere hoc, quod ago, déque mea illud agendi ratione: cogitat, num illius nunc meminerim, num illum toto corde amem. Nec demum ei sufficiat unica hæc propositio, DEUS adest mihi ad omnia, quæ ago; sed eam in alias, atque alias magìs particulares sic dividat: adest mihi ad hanc ipsam cogitationem, qua illum intueor: adest ad oris-, & pulmonum motũ, quo spiritum duco: adest ad motum, quo cor mihi, & arteria salit: atque ità de actionibus reliquis. Hanc verò præsentis DEI imaginem haudquaquam necesse est, imò neque foret possibile, ante mentis oculos totius diei spatio sic expressam habere. Sed operæ pretium fuerit identidem respicere, jam magìs, jam minùs distinctam, quantùm sit satìs, ut toto die, si non actu, at secundùm suam virtutem

in

in animo duret: ſecundùm facilitatem videlicet, habitudinémque ex ea in voluntate conſequi ſolitam, concipiendi erga DEUM ſic præſentem jam hos, jam illos affectus: qui potiſſima hujus exercitationis pars ſunt, efficiúntque, ut per totum ea diem valeat continenter produci.

6. Scio, futuros complures, quibus videatur præter modum difficile, continuam in animo retinere præſentiam objecti, adeò ſenſibus inacceſſi, atque ignoti, ùt eſt DEUS, idque præſertim ſinè ullo imaginationis, & corporearum ſpecierum ſubſidio. Atqui ego perſuaſum contrà habeo, exercitationem hanc tunc ſolùm difficillimam fore, & cuilibet vel ferreo capiti labefactando idoneam, ſi imaginationis vi, & molimine per totum continuanda diem foret. Cæterùm, cùm non alibi à nobis conſtituatur, nisì in certa perſuaſione, & repetita ſubinde memoria veritatum ad DEI præſentiam ſpectantium, inque affectibus voluntatis, qui ex prædicta perſuaſione, ac memoria conſequi ſolent; fieri certè non poteſt, quin amans DEI anima eam experiatur facillimam, imò etiam perjucundam, & reficiendo potiùs, quàm lædendo capiti aptam. Idque in pluribus aliis exemplis ob-

obſervari poteſt: veluti cùm duo amici in eodem conclavi per noctis tenebras degunt. Qui, licèt in ea obſcuritate non magìs ſe invicem videant, quàm à nobis videatur DEUS; neuter tamen difficile experitur cum altero, tanquam cum ſibi præſente agere: neque ad vividum, & delectabilem præſentiæ illius ſenſum ullo imaginationis conata opus habet: ſed, quòd uterque alterius præſentiam certis argumentis cognitam habeat, ſatìs iis eſt, ut tota nocte non minùs familiariter, & jucundè inter ſe colloquantur, quàm ſi ſe ipſiſmet oculis cernerent. Nec abs re fuerit, ſi hoc ipſo exemplo circa DEI præſentiam utamur: animadvertendo videlicet, mortalis hujus vitæ noſtræ tempus nocturnum tempus eſſe, quo nemini mirum accidit, vel præſentiſſima objecta à ſe non videri: nóſque hoc eodem tempore cæcitatis vitio laborare, quo qui laborant, haud difficilè adducuntur, ut credant, ſibi adeſſe etiam ea, quæ non vident. Si ergo humanus noſter ſenſus difficile experiatur, præſentem ſibi DEUM credere, cùm viſu illius careat; amoliamur hoc illi impedimentum, dicentes intrà nos: quid miri videtur, quòd DEUM hìc non videam? Nempe noctis tempus nunc eſt, nec pupillas ego habeo incompre-

prehensibilis illius objecti capaces: ideóque possum illud & habere præ oculis, & tamen nullo visu percipere. Ah indè, indè profectò est, quòd ego meum DEUM, meum Patrem cæleſtem, meum ſummum bonum, meíque unicum cordis amorem hîc non intuear. Cæterùm adeſt hìc ille, adeſt, non minùs re ipſa mihi præſens, quàm beatis in cælo mentibus ſit: neque ſolùm ante oculos, ſed & in ipſis eum oculis habeo. Quod ſi unus repentè divini illius luminis radius menti meæ nunc affulgeret; (ô ſortem præclaram! ô ineffabile gaudium!) è veſtigio hìc illum viderem non aliter, quàm in cælo Angeli videant: vidénſque illum nîl jam ultrà deſiderandum haberem, jam in ſupremo felicitatis meæ termino, & gradu conſiſterem. Hìc coram me eſt mea beatitudo, hìc meus paradiſus, hìc totus DEUS meus; ſed ego infelix illo frui minimè poſſum, quia expers luminis ad eum percipiendum idonei. Duriſſimæ conditionis genus! habere ubique, & ſemper præſens ſummum ſuum bonum, neque tamen frui illo plùs poſſe, quàm ſi toto cælo diſtaret. Ah quando hæc tam longa nox deſinet! quando diſrumpetur triſte hoc velamen, quod inter me, ac DEUM intercedens illius claram viſio-

sionem, unicam scilicet meæ animæ beatitatem mihi invidet? Quando illud affulgebit optatissimum lumen, quo exoriente tandem incipiat nunquam desiturus beatæ æternitatis meæ dies? *O summa, & inaccessibilis lux, quàm remota es à conspectu meo, qui sic præsens sum conspectui tuo? Ubique es tota præsens, & non te video. In te moveor, & in te sum, & ad te non possum accedere. Intrà me, & circa me es, & non te sentio.* (*S. Ans. Prosol. c.* 16.)

7. Et hæc quidem dicta sint circa modum concipiendi DEUM nobis præsentem, qui totus mentis duntaxat, intellectúsque opus est. Quantùm verò ad rationem continendæ per totũ diem animæ in divina hac præsentia, en duas illius vias, utramque non facilem tantùm, & planam, sed amœnam quoque, & qua ingredi oblectamenti potiùs, quàm laboris, ac negotii res sit. Prima est, post excitatam in animo, ùt jam suprà explicavimus, DEI præsentis memoriam, & fidem, varios erga illum affectus, nempe ex iis aliquos, qui in superiori capite ad exemplum propositi sunt, jam unum alternatim, jámque alium frequentare: advertendo duntaxat, (quod exercitatio, de qua hic agitur, superioris capitis exercitationi superaddit) ut hujusmodi affectus ferantur

in

in DEUM, non quasi remotum, & in cælesti solio suo considentem, sed tanquam ad proximum, quique ante nos, imò & in nobismet ipsis verissimè existat. Altera ad idem consequendum via fuerit, cum DEO ità præsente amicè, familiariter, jucundéque sermocinari, quemadmodum sermocinaremur cum socio probatissimæ fidei: quemadmodum cum patre spirituali, quo nemo sit nostri amantior, nemo affabilior, & suavioris genii: quemadmodum in summa cum homine, cui ob singularem, & perspectissimam erga nos charitatem certi simus posse nos tutò omnem nostrum animum, & quidquid in eo arcani est, aperire. Sed dicet hìc aliquis, & quibusnam tandem de rebus per diem totum cum DEO loqui potero? Cui respondeo, & de quibus confabulari quotidie per tot horas cum amicis tuis soles? Reor nempe, confabulationem esse de rebus, quæ sive ad te, sive ad eos spectant, sive inter homines passim eveniunt. Quid ergo te impedit, quo minùs de iisdem cum DEO etiam colloquaris, qui multò iis amicis præsentior tibi est, & cui propter tot, támque eximia benevolentissimi adversùm te animi pignora longè plùs fidere, quàm ulli hominum potes? Pro sermonum itaque cum eo in-

instituendorum materia poteris sumere, quidquid audis, aut vides, quidquid rerum seu agis, seu agere meditaris, quidquid tibi molestiam, vel delectationem affert: tuos omnes eventus, tua omnia consilia, solicitudines, curas, mœrores, & quoscunque alios contingit te sentire animi motus. Quanta hæc est, quámque exuberans differendi materies? De qualibet prædictarum rerum prior tu sermonem ingredere, DEO illam simpliciter, candidéque proponens, veluti cum sodali amicissimo faceres: tum attende, quid ipse pro cælesti sua sapientia, & paterna erga te charitate responsurus sit: postremò vel responsionem ejus approba, vel, si quid circa illam dubii, aut difficultatis superfit, explicandum, solvendúmque illi suggere. Occurrerit exempli gratiâ tibi quispiam pereleganti oris specie, vel magnificè, sumptuoséque phaleratus: ità ut admiratione, & voluptate intuentem afficiat. Dic protinus DEO, tuos hosce animi sensus cum omni confidentia aperiens: Proh Domine! quàm jucundum visu objectum? quàm decora, & mirabilis species? mox imaginare ipsum cum suavi, & paterna vani illius tui sensûs miseratione respondentem audire. Quid loqueris fili? illámne admirari pulchritudi-

nem potes, cùm meæ intuendæ causâ conditus sis? illiúsne vestimenti splendor te capit, qui tantò pretiosiorem sanctificantis gratiæ habitum geris? Atqui Domine, tua incomparabilis pulchritudo, & inæstimabilis gratia mortales oculos fugit: hæc verò rerum terrenarum objecta nimiùm quàm blandè in sensus meos influunt. Esto, sed quæ visu non percipis, videre tamen rationis, & fidei luminibus potes. Cur ergo his non uteris, nec juxta illorum judicium quid magni, quídve parvi pendendum sit, statuis? Verissima sunt, quæ loqueris, Domine, fateórque, me errâsse, quòd tam frivola objecta admiratione digna censuerim. Sed quid faciam imposterum, nè fors aliàs similiter tum illecebroso illorum aspectu, tum vulgi illa adeò magnificè prædicantis, studioséque aucupantis judicio, atque exemplo in fraudem inducar? Quid facias? ubi quid simile te videre contigerit! attolle mentis aciem ad bona sempiterna, & cælestia: præque illis facillimum tibi erit flocci pendere, quidquid in terris illustriori specie oculos rapit. Saluberrimum enim verò documentum; neque ego uti illo negligam, amplissimos indè fructus collecturus, dummodo interea cæleste tuum lumen mentem mihi illustret,

ſtret, ac roboret. Quid ais, Lector, de tali colloquio? An non tibi juxtà utile, ac jucundum videtur? Jam verò eadem ratione de aliis quibuſcunque rebus diſſerere cum cæleſti Patre, & amico tuo poteris: veluti de illatis tibi à quopiam injuriis, de tentationibus dæmonis, de peccandi occaſionibus, de negotiis, quæ tractas, de difficultatibus, quas in peculiari hac, vel illa virtutis functione experiris, de rerum jacturis, de invaletudine corporis, de moleſtiis animi, de omnibus tuis demum ſeu adverſis, ſeu proſperis caſibus. Quin imò id genus colloquiis non per intervalla duntaxat, inque mediis occupationibus identidem fungi, ſed totum etiam extrahere ſtatæ, & continuæ meditationis tempus licebit: ità ut in morem ſermocinantis cum DEO ea omnia perpendas, quæ alioqui tacita tecum conſideratione perpenderes: exponens ei ſcilicet, quidquid circa præſentem meditandi materiam menti tuæ occurrit, & auſcultans deinde, quæ ipſe ad dictorum declarationem, vel confirmationem ſubjunget: nec non cum illo ipſo conſultans de certa eorum praxi, déque peculiaribus tum impedimentis, quæ illi obſtare, tum præſidiis, quæ adjuvare illam poſſint. *Magna res eſt amor, quo anima fiduci-*

eliter accedit ad DEUM, DEO *constanter adhæret,* DEUM *familiariter percontatur, consultâtque de omni re.* (*Manual. S. Aug. c. 20.*)

8. Ego certè non video, quonam pacto animæ DEUM intimè amanti difficile esse possit ità cum eo familiariter colloqui. Imò hoc conversationis genus adeò mihi jucundum videtur, ut vel sola illius cogitatione exhilarari me sentiam. Nam neque delectabilius quidquam esse homini potest, quàm intimum, & fidelem amicum habere, *cui*, ùt scribit D. Ambrosius, *pectus aperiat suum, cum quo arcana participet, cui se tanquam alteri sibi committat;* (*L. 3. Offic. c. ult.*) neque amicum, qui nos æquè ac DEUS amet, & cui fidere æquè ac ipsi possimus, reperire usquam licet. Quare indignissimum, nullóque pacto ferendum censeo, complures ex spiritualibus viris minùs, quàm par esset, fructuosissimæ huic, suavissimæque exercitationi vacare. Quam à te saltèm suscipi, amice Lector, pervelim, tibique etiam atque etiam, quantùm possum, commendo: non videns, quo majori te afficere beneficio possim, quàm si ad eam amplectendam induxero. Fac, age sis ejus periculum ad paucos aliquot dies: nullúsque dubito, quin gratias acturus mihi sis de salubri con-

consilio, nec opus quoquam ultrà habiturus, qui te ad eam retinendam hortetur. Degustata siquidem illius utilitas, & dulcedo sat erit, nè tantum bonum velis unquam relinquere, dicens cum Apostolorum Principe: (*Mat. 17. Joa. 6.*) *Bonum est nos hìc esse. Domine, ad quem ibimus? Verba vitæ æternæ habes*: & cum Patriarcha Jacob, (*Gen. 32.*) *Vidi DEUM facie ad faciem, & salva facta est anima mea.* Denique intelligamus, necesse est, omnem nostram perfectionem, & felicitatem in DEO, tanquam in suo unico fonte esse positam, tantóque nos illius participes magìs futuros, quantò illi conjunctiores fuerimus: cùm juxta Angelici Doctoris effatum, (*3. p. qu. 27. a. 5.*) *Quantò aliquis appropinquat magìs principio in quovis genere, tantò illud magìs participet.* Beatos appellavit Regina Austri, qui ex Salomonis aula essent, quòd tanto Principi continenter adstarent, (*L. 3. Reg. c. 10.*) *Beati servi tui, qui stant coram te semper, & audiunt sapientiam tuam.* Quantò justiùs tales appellandi sint *Domestici DEI*, qui assiduè coram cælesti suo Domino vivunt, familiariter agentes cum eo, excipientes infinitæ illius sapientiæ oracula, &, quantùm in terris potest, dulci ejus visione, ac præsentia fruentes? *Ecce plùs quàm Salomon hic.*

9. Unum mihi adhuc demonstrandum supereſt: nempe assiduam hanc cum præsente DEO consuetudinem non esse, ut quidam falsò opinatur, rem vacantium duntaxat, & otiosorum hominum propriam, sed iis etiam congruere, qui vitam omnem inter perpetuas occupationes traducunt, dummodo in his non ex humana quapiam cupiditate, sed ex puro DEI amore versentur. Neque ullius laboris, negotiique est id demonstrare. Quisquis enim vitæ suæ cursum perlustrare oculis velit, perspiciet, quotidianos illius actus revocari sive ad laboriosum aliquod ministerium, sive ad refectionem corporis, sive ad necessarios huc illuc discursus, sive ad congressus cum hominibus transigendi alicujus negotii causâ. Quisnam ergo ex hujusmodi actibus totam adeò sibi vendicat hominis mentem, ut nullam ei facultatem de DEO interim cogitandi relinquat? Num disceptatio cum hominibus de gravis momenti negotiis? Sed enim verò, qualiacunque, & quantivis momenti hæc sint, certum est, nihilo te minùs commodè acturum de illis, si familiaris tuus quispiam ibi intereſſet, téque agentem audiret. Quamobrem, si hunc præsentem advertere, nihil tibi impedimenti afferret, quo mi-

minùs ſumma cum accuratione de tua re diſceptares; non video ſanè, cur præſentis DEI ſenſus impedimento tibi eſſe debeat. Num varii ultro, citróque diſcurſus rerum agendarum, vel conveniendorum hominum cauſa? Atqui hoc tempus ex maximè vacuis totius diei eſt, quóque promptum tibi ſit, nedum interruptè, obitérque ad DEUM mentem erigere; ſed vel quietæ, & continuæ rerum divinarum meditationi operam dare. Num prandium, & cœna? At quidnam, rogo, difficultatis, & moleſtiæ exhauriendum tibi erit, ſi quodlibet ferculum, tanquam à DEO ipſo porrectum, gratias agens ſuſcipias: ſi ſubinde profitearis, nequaquam te veſci voluptatis gratiâ, ſed ut vires ad ei ſerviendum inſtaures: síque ſtudeas, non minori cum reverentia, & moderatione coram eo cibum ſumere, quàm coram mortali aliquo Principe, ſive alio authoritatis graviſſimæ viro eſſes ſumpturus? Num denique laborioſi alicujus operis functio? At quid prohibet, nè inter illam cogites de illius fine, atque præmio: animadvertendo, te nulla alia tunc de cauſa operari, niſi ut gratificeris DEO: illúmque operi tuo & lætum intendere, & ſempiternam mercedem parare? Næ hujuſmodi cogi-

tationes tantùm abſunt à congeminando externæ operationis labore, atque tædio, ut eam potiùs ſuaviorem reddant: & non ſolùm nullam habent vim efficiendi, ut minùs propterea tuo operi attendas, verùm etiam ad incitandum te valent, ut majori cum alacritate, & diligentia illud perficias. Quemadmodum experiri ſolet miles coram Rege ſuo pugnans, & ſervus in conſpectu Domini ſui injuncta ſibi munia exequens. *Quid impedit* (dicam cum magno Hipponenſi Præſule) *ſervum DEI manibus operantem, in lege Domini meditari, & pſallere nomini Domini Altiſſimi?* (*Aug. de Op. Mon. c. 17.*) Antiqui illi ſanè Ægypti Patres nihil indè accipiebant impedimenti, quo minùs eorum vita, ut perpetuus erat manuum labor, ſic perpetua ſimul eſſet oratio. Neque impediri ſe indidem ſentiebat egregius ipſorum æmulator Bernardus, qui, ùt in vita ejus legitur: (*L. 1. c. 4*) *Laboris tempore, & intus orabat abſque intermiſſione exterioris laboris; & exteriùs laborabat ſinè jactura interioris ſuavitatis. Ad orandum, ſi ſe ſolitudo offerret, utebatur: ſin autem, ubicunque in turba eſſet, ſolitudinem cordis ipſe ſibi efficiens, ubique ſolus erat:* confirmans ità ſuo exemplo, quod in quodam ſuo ſermone docuerat: laborem ſcilicet ma-

manuum, quemadmodum nîl impedit sive oculos, nè videant, sive aures, nè audiant; ità neque impedimento menti esse, nè suos actus libere exerceat. *Sicut laborantibus manibus*, inquit, *nec oculus propterea clauditur, nec auris cessat ab auditu, sic, imò multò meliùs laborante corpore mens quoque ipsa suo intenta sit operi.* (*Serm. 4. de Altit. Cord.*)

10. Non inficior tamen, esse aliquas operationes, quæ totam mentem hominis occupent, neque patiantur aliò simul respicere, adeò ut dum illis vacat, cogitare de Deo interim nequeat: cujusmodi sunt exercitationes literariæ, verum indagandi, librósque elucubrandi, aut legendi, & ejusdem generis aliæ. Verùm hæ nec magnam ferè implent diei partem; nec à DEI præsentis memoria inchoari, concludi, & subindè etiam interrumpi recusant. Licet itaque earum initio ad DEUM mentem erigere: offerendo ipsi opus, quod aggredimur, profitendo, nihil ibi à nobis præter ipsius voluntatem, & gloriam quæri, orandóque, ut nostros conatus divina sua ope adjuvet. Licet rursus, dum peraguntur eadem cum DEO colloquia ad singulos ferè horologii pulsus breviter quidem, sed intimo cum cordis affectu iis inter-

ponere. Licet postremò, ubi ad earum finem perventum jam est, DEO illas offerre, &, si minùs prospere cesserint, citra ullam ægritudinem animi in ipsius voluntate acquiescere; sin è sententia, non nostræ id virtuti, atque industriæ, sed ipsius favori tribuere. Hos, inquam, pios actus etiam prædicta opera citra ullum sibi debitæ perfectionis detrimentum admittunt. Neque verò illos exercere oneroſum, & difficile erit animabus divino amore succensis, quæ tunc respirare, & allevari se putant, cùm à molestis humanarum occupationum curis ad suavem dilecti sui Domini præsentiam revertuntur. Quapropter neque indigent, alienis hortatibus ad hanc stimulari, sed ex proprii amoris instinctu illam quærunt; & quàm aptissimas ad eam perveniendi, & in ea permanendi rationes inveniunt: versantes cum DEO, & ante DEUM toto illo tempore, quo major vis aliorsum invitas non rapiat. Haud igitur necessariæ, & justæ occupationes mentem nostram à DEO avocant, prohibéntve in illius præsentia quiescere: sed impedimenta omnia proveniunt partim ex intimi erga DEUM amoris defectu, partim etiam, quòd in ejusmodi occupationibus non purè illius volun-

ta-

tatem, sed nostram potiùs delectationem, aut gloriam, humanúmve alium finem spectemus, quódque nimia in easdem cum aviditate, & solicitudine immergimur: haudquaquam nostris operibus libero, & herili animo statuentes modum, instar B. Ignatii, qui, teste Maffejo, (*In vit. L. 3. c. 1.*) *Non se rebus tradere, sed commodare consueverat*: sed mancipiorum ritu potiùs ab iis nos sinentes circumagi, & laborum pondere opprimi: totámque iis, nedum mentis attentionem, verùm etiam cordis affectum donantes. Quod si in quavis re agenda nihil aliud nobis curæ esset, nisi DEO famulari, & placere, experiremur procul dubio, quàm verè scripserit D. Bernardus (vel quicunque Tractatum *de vita solitaria ad Fratres de monte* DEI edidit) *serium, & prudentem animum in labore non dissolvi, sed per eum magis in se ipsum colligi: præ oculis semper habentem, non tam, quid agit, quàm quod agendo intendit.* Cùm fieri nullo modo possit, ut opus alicujus finis gratiâ susceptum cogitare de suo fine operantem prohibeat. In summa, ut concludam cum Joanne Chrysostomo, nemo seu negotiator, seu miles, seu paterfamilias, seu mercenarius, seu judex, seu cujuscunque alterius conditionis usq; adeò occupatam

tam ducit vitam, & rerum gerendarum curis distentam; quin possit, & si ardenter DEUM amat, facilè etiam possit assiduam in suo animo illius memoriam, & præsentiam fovere. Nè *quisquam* (ità sanctus Præsul) *mihi dicat, quòd nequit homo sæcularis, affixus foro, continuè per diem orare. Potest enim & quàm facillimè. Ubicunque sis, potes altare tuum constituere. Licèt genua non flectas, nec in cælum manus extendas, si mentem tantùm ferventem exhibeas? orationis perfectionem consummaveris. Licèt in balneo sis, ora: ubicunque sis, ora. Templum es, nè locum quæras. Deus semper propè est.* (*Hom. 79. ad Pop.*)

CAPUT XVIII.

De solitaria, & quieta rerum divinarum commentatione singulis diebus ex professo usurpanda.

DIximus suprà, quemvis hominem spiritualis profectûs cupidum, præter jugem in mediis vitæ actibus DEI memoriam; debere itèm certum aliquod sibi tempus seponere, quo

quo quietiùs, & sinè ulla interruptione cum illo agat: studens ibi altiùs menti insculpere illa Christianæ fidei effata, quibus tota perfectè vivendi ratio innititur: & firmam voluntatem concipiens, vitam suam omnem ex eorum præscripto, ac norma ducendi. Ità disertè præcipit Author Epistolæ ad Demetriadem, inter alias D. Augustini 142. eam Christi sponsam, in eáque piam omnem animam sic alloquens: *Quanquam omne vitæ tuæ tempus divino debeas operi consecrare, & nullam prorsus horam à spirituali profectu vacuam esse conveniat, cùm tibi in legè Domini die, ac nocte meditandum sit; debet tamen aliquis esse determinatus, & constitutus horarum numerus, quo pleniùs DEO vaces, & qui te ad summam animi intentionem velut quadam lege contineat.* Neque ipse tantùm, sed omnes ferè idem docent vitæ interioris magistri, maximopere commendantes sacri hoc exercitii genus, tanquam unum ex potissimis & apprimè necessariis consequendæ sanctimoniæ instrumentis. Imò ante ipsos omnes idem nos Christus ipse exemplo suo docuit, ad prolixam identidem, & secretam orationem ab hominum turbis secedens: prout videre est in Euangelio tum D. Marci hæc de illo tradentis: (*c. 1.*) *Diluculo valde surgens,*

gens, abiit in secretum locum, ibique orabat; tum D. Lucæ exprimentis insuper, quamdiu orationem prorogaret, his verbis: (*c.* 6.) *Exiit in montem orare, & erat pernoctans in oratione* DEI. Quare nullum facilè in fastis Ecclesiæ reperiemus eximiæ probitatis virum, qui hanc præcipuam spiritualis vitæ functionem non plurimi fecerit, & peculiari studio amplexus sit, nullum diem prætermittens, quin solus quàm diutissimè versaretur cum DEO. Et innumeros quidem ex iis possem ad prædicti studii exemplum recensere. Possem celeberrimum Anachoretarum parentem Antonium, qui vesperi orationem instituens in ea pernox durabat, quoad sol sequenti manè exoriens intentos cælo illius oculos novis radiis feriret. Possem duos illos apud S. Nilum Monachos: (*De Orat. c.* 103. *&* 105.) quorum alter à vipera venenoso morsu ictus, dum orationi vacaret; non tamen ab hac destitit, priusquam omne præfinitum illi tempus fluxisset; alter verò à tartareis ludionibus hac illac per aërem instar pilæ jactatus, in cœpta nihilominus oratione quieto, immotóque animo defixus permansit. Possem Bernardum illum Cantabrum, domesticæ rei in nostra Societate adjutorem, qui, solitus pluries perpetem noctem oran-

orando transigere, minimè à sacro suo otio dimovebatur, quamvis dæmon interea sub deformis colubri imagine per orantis tunicam usque ad collum surrepens, atque indè subter vestimenta se insinuans, nudum illi corpus lubrico lapsu percurreret. (*Hist. Soc. p. 2. L. 1. n.* 139.) Pro his tamen, & aliis similibus omnibus satis mihi erit, duos tantùm commemorare, quorum immobilem in solenni quotidiana oratione constantiam nemini pro suo modo imitari non liceat. Bernardinum Senensem videlicet, qui, prout in monumentis vitæ illius legimus, (*Apud Sur. c.* 32.) *Quotidie unâ horâ suæ devotioni vacabat, atque interim nulli patebat accessus, neque Principi, neque Regi, sed cogebat expectare omnes:* & Franciscum Suarium, qui toto orbe celeberrimus Doctor, quotidianam orationem majore habebat in pretio, quàm quidquid doctrinæ totius vitæ studio intrà mentem congesserat, inque tot editis voluminibus posteritati tradiderat, malle hac tota spoliari dictitans, quàm vel unicam illius horam omittere. Sed nullus scribendi esset finis, si agere accuratiùs vellem de æstimatione, in qua semper fuit, debétque apud omnes servos DEI esse hoc cæleste exercitium. Præterquam quòd post plu-

ra

ra completa illius laudibus folia nihil demum protuliſſem, quod mille in libris inculcatum, & repetitum haud extet. Satiùs itaque futurum reor, de modo illam fructuosè obeundi aliquid dicere. Non quia de hoc quoque multi non ſcripſerint, ſed hac ipſa de cauſa, quia, cùm ſcripſerint multi, tanta inſtitutionum occurrit, & regularum varietas, ut conſuetudo cum DEO, res cæteroqui ſimpliciſſima, & nulli non obvia, artificium evaſerit, haud ſinè acri ſtudio, & felici memoria addiſcendum. Quapropter fore operæ pretium videtur, ſi ex tot præceptorum ſervitute in nativam libertatem reſtituatur, tota illius praxi paucis quibuſdam capitibus comprehenſa. Idque facere hìc conabor, brevi reſponſione ſatisfaciens octo quæſtionibus, quæ circa ipſam poſſent inſtitui.

2. Et primò rogabit aliquis, quænam juſta ſit temporis ſancto huic exercitio aſſignandi materia? Cui nullam monſtrare juſtiorem eâ poſſum, quam D. Thomas determinavit, docens: (2. 2. *qu.* 83. *a.* 14.) *Convenire, ut oratio tantùm duret, quantùm eſt utile ad excitandum interioris deſiderii fervorem. Cùm verò hanc menſuram excedit, ità quòd ſinè tædio durare non poſſit; non eſt ulteriùs protendenda*: ſuámque hanc do-

doctrinam confirmans iis D. Augustini ad Probam verbis: (*Ep.* 121. *c* 10.) *Dicuntur Fratres in Ægypto crebras quidem habere orationes, sed tamen brevissimas, & raptim quodammodo ejaculatas, nè illa vigilanter erecta, quæ oranti plurimùm necessaria est, per productiores moras evanescat, atque hebetetur intentio. Ac per hoc ipsi etiam satìs ostendunt, hanc intentionem, sicut non est obtundenda, si perdurare non potest; ità, si perduraverit, non citò esse rumpendam.* Secundùm quam determinationem conveniet, ut suæ quisque ad orandum habitudinis rationem habeat: &, quemadmodum hæc in quibusdam major, in aliis est minor; sic alii diutiùs, alii breviùs orationi vacent. Sed quia haud rarò contingit, ut multi vel ignavia minùs se idoneos, quàm revera sint, ad orationem diutiùs continuandam existiment, eámque abrumpant, quando etiam fructuosè persequi possent; vel ex nimio animi ardore illius tempus producant, ultrà quàm corporis valetudo, aliæque sui statûs functiones patiantur; necessarium videtur, prædictæ universali regulæ duas alias particulares, & magìs certas adjungere. Prima ad languidiores spectat, & de quibus timeri potest, nè à convenienti mensura deficiant: jubens eos, certum sibi ali-

quod ſtatæ orationis tempus præfinire: quantum à quovis ſpirituali viro commodè in ea produci, horam putà, vel horæ ſemiſſem: ità ut liceat illis quidem uberiore interdum divini Spiritûs gratiâ affluente illius ſpatium orando excedere, ſed nunquam ullius ariditatis, vel tædii causâ citra ipſum conſiſtere: cùm, ſi præſidiis paulò pòſt ſuggerendis utantur, neutiquam difficile futurum iis ſit, tam exigui temporis ſpatio fructuosè cum DEO converſari. Poſterior regula, eorum propria, quos immodicus fervor poſſet juſto ulteriùs abripere, eſt, nè orationem, quantumvis è ſententia ſuccedentem, uſque ad extremam laſſitudinem protrahant: ſed quando poſt unam, alterámve horam debilitari ſibi caput ſenſerint, modum ei ſtatuant. Multò ſiquidem præſtat, maturiùs aliquantulò ab oratione hominem digredi, ſed commodè valentem, eíque toto deinceps die per fervidas ad DEUM aſpirationes continuandæ idoneum, quàm ſi ab eadem ſeriùs conſurgat, ſed mente adeò exhauſta, ut evagari potiùs per objecta ſenſibilia ad vires reficiendas cogatur, quàm permanere in DEO fixa uſque ad veſperum valeat. Ubi etiam obſervanda eſt perſonarum, & profeſſionum diverſitas. Eos enim,

enim, qui nulla rerum gerendarum neceſſitate urgentur, inque ſecretum vitæ contemplativæ otium ſeſe abdiderunt, nemo prohibet, quo minùs, quantam poſſunt, diei partem in quieta oratione traducant. At non ità etiam qui actuoſæ vitæ genus ſectantur, proximíſque adjuvandis ex ſuo inſtituto, atque munere operam navant. Hos enim poſt aliquam arcanæ divinarum rerum commentationi horam impenſam conveniet, quotidiana ſua miniſteria propter DEUM, & coram DEO obire, ipſum aſſiduè inter ea reſpicientes, ipſi ea quovis penè temporis puncto offerentes, séque amoris illius ſtimulis ad ea quàm perfectiſſimè exercenda incitantes. Quales eſſe, & quale conjunctionis cum DEO genus ſectari noſtræ Societatis homines ſanctus illius Conditor, & Parens Ignatius optabat. (*Hiſt. Soc. 1. p. L. 16. n. 114.*)

3. Secundò quæri poteſt, quænam diei pars quietæ huic, ſecretæque orationi præ cæteris congruat? Reſpondeo, matutinum tempus à Sapiente inprimis commendari, dum ait, (*Sap. c. 16.*) *Quoniam oportet prævenire ſolem ad benedictionem, & ad ortum lucis adorare.* Nec aliter ſentit Eccleſiaſticus, juxta quem DEI ſervus (*c. 39.*) *Cor ſuum tradet diluculo*

ad Dominum, qui creavit illum, & in conspectu Altissimi deprecabitur. Et D. Gregorius hoc significari ait illo Levitici præcepto, (*c.* 6.) *Ignis in altari meo semper ardebit, quem nutriet Sacerdos, subjiciens ligna manè per singulos dies.* Ità ut quovis manè novum à Sacerdote conservando igni sacro pabulum suffici, perinde sit, atque hominem sanctas meditationes quotidie per idem tempus iterare: *Ut, quod in se jam, jámque quasi deficit, quibus valet nisibus, studium charitatis inflammet.* (*L.* 25. *Mor. c.* 7.) Imò ipse impius Apollonius in eandem sententiam docebat: (*Philostr. in V. Apol. L.* 1. *c.* 12.) *Adveniente aurora cum Diis esse versandum.* Neque verò paucæ, obscuræque rationes sunt, quæ peculiarem prædicti temporis cum oratione convenientiam demonstrent. Sed omnium loco hæ duæ possunt esse: prima scilicet, quia, cùm homo tunc à somni quiete sit recens, neque dum externis ullis actibus manus admoverit, mentem habet, ùt profanis imaginibus vacuam; sic ad divinas excipiendas magìs idoneam: altera verò, quia per orationem illius temporis totius diei opera ad DEUM diriguntur, animúsque sanctis cogitationibus, atque affectibus, ceu quibusdam antidotis præmunitur adversùs cogitationes, &

& affectiones noxias, quæ per reliquum diem excitari in eo ab objectis sensibilibus possent. Quamobrem Laurentius Justinianus vult, ut servi DEI omnes (*De Discipl. c.* 10.) *Primordia diei, & actionum conentur consecrare Altissimo, quatenus cætera secutura opera à suo non declinent principio*: & Joannes Climacus idem esse censet, matutinum tempus, & totius diei tempus DEO consecrare, inquiens: (*Grad.* 26.) *Da Domino primitias diei tuæ: erit enim tota ejus, qui prior occupaverit*: subjiciénsque, quod de se ipso experientissimus quidam rerum spiritualium vir affirmabat, nempe, *ab ipso matutino tempore cursum totum meum diei scio.*

4. Quæritur tertiò, quinam locus, & corporis situs orationi convenientissimus sit? Respondetur, quòd ad locum pertinet, secretum communiter magis ad eam facere, quàm patentem, & publicum. Et huic comprobandæ responsioni satis, supérque esset Christi authoritas, qui id docuit non tacitè solùm suo exemplo, quando, ùt refert D. Lucas, (*c.* 5.) *secedebat in desertum locum, & orabat*; verùm etiam disertè, expresséque suo illo apud D. Matthæum consilio, (*c.* 6.) *Tu autem, cùm oraveris, intra in cubiculum tuum, & clauso ostio ora Patrem tuum in abscondito*: sed & ratio idem

persuadet. Cùm mens nostra, quantò minùs ab aspectu, strepitúque hominum in diversa trahitur: tantò faciliùs in DEO totam se colligat, arcanásque illas voces meliùs percipiat, quibus ipse eam se in quieto secessu allocuturum promittit, dicens apud Oseam: (*c. 2.*) *Ducam eam in solitudinem, & ibi loquar ad cor ejus.* Præterquam quòd orantibus *in abscondito* liberum est, in exclamationes, & suspiria erumpere, pectus pulsare, humi se sternere, brachia in crucis formam expandere, & alios hujusmodi actus edere, qui conceptum animo pietatis ardorem fovent, neque in propatulo, corámque arbitris edi, citra offensionem adstantium, & cenodoxiæ periculum possent. Num verò illuminatum esse locum, an obscurum oporteat, discrimen est, orantium arbitrio relinquendum, ut unusquisque talem hoc in genere sibi eligat, qualem orationis suæ fini obtinendo accommodatiorem experitur. Beatus certè Joannes à Cruce, primus S. Teresiæ in fundando Carmelitarum Discalceatorum Ordine Socius, usque adeò à lucis, & rerum irrationalium visu nihil inter orandum turbabatur, ut se indè adjuvari potiùs ad DEI contemplationem, atque amorem sentiret. Quapropter, recitatis in Odeo horis Canonicis,

cis, & divina re peracta, in vicinam cœnobio solitudinem prodire consueverat, ibíque usque ad prandium, & à vespertina rursus psalmodia ad Completorii tempus morari, circumfusa undique supremi omnium Effectoris opera admirans, exaggeratissimósque simul sensus de immensa illius magnitudine, & ferventissimos erga incomparabilem illius pulchritudinem affectus concipiens. (*In vit. L. 1. c. 34.*)

5. Circa verò conformationem corporis dubitari nequit, eam colligendæ menti aptiorem naturâ suâ esse, quæ plus reverentiæ, & submissionis præferat: putà genibus humi fixis, oculísque, & manibus piè, ac decenter compositis. Si cui tamen diu genibus niti imbecillitatis suæ causâ, & molestiæ, qua indè corpus afficitur, impedimento ad intentionem animi esset, nemo illum prohibet, quin commodiore alio corporis situ oret, stans videlicet, aut humi pronus, aut sedens. Cùm enim juxta Doctoris Angelici observationem, (2. 2. *qu.* 81. *a.* 4.) externa divini cultûs signa non aliam ob causam instituta sint, nisì ut ad interiorem pietatis sensum nos provocent; manifestò hinc apparet, præposterè, & contra suum finem acturum, qui ea religiosi

cultûs ſigna uſurparet, quæ ad fructuosè, attentéque orandum obſtaculo potiùs ſibi eſſe, quàm adjumento, experiretur. Quare S. Ignatius ſpiritualia exercitia obiturum hoc inter alia monito inſtituit, ut meditationem peragat, *nunc proſtratus humi, & pronus; aut ſupinus jacens, nunc ſedens, aut ſtans, & eo ſe componens modo, quo ſperet faciliùs id conſequi, quod optat.* Longéque illo priùs D. itèm Auguſtinus docuerat, (*L. 2. ad Simpl. qu. 4.*) *Non eſſe præſcriptum, quomodo corpus conſtituatur ad orandum, dummodo animus DEO præſens peragat intentionem ſuam.* Quod confirmatur adhuc pleniùs, tum communi uſu publicè orandi in Eccleſia, corpore jam erecto, jam genibus nixo, jam ad ſedendum compoſito; tum exemplis virorum ſanctimoniâ illuſtrium, quos legimus, non ſemper de genu, ſed interdum etiam deambulantes, aut ſedentes orâſſe: veluti Moyſen, qui orationem illam, Amalecitarum victricem peregiſſe, ſuper lapidem ſedens, in ſacris Literis (*Exod. c. 17.*) traditur: & veluti primaria duo Societatis noſtræ lumina, Ignatium nempe illius Conditorem, & Franciſcum Xaverium Indiarum Apoſtolum: quorum ille, ceu Petrus Maffejus in vita ejus refert, (*L. 3. c. 1.*) ſuperiorem ædium partem

tem aſcendens, unde liber ad ſidera patebat proſpectus ; *ſtabat aliquantiſper oculis in cælum defixis : tum provolutus in genua, totius hujuſce pulchritudinis Conditorem ſuppliciter adorabat : deinde propter imbecillitatem humili ſcabello cùm conſediſſet ; continuò ex oculis uberes lacrymarum rivuli profluebant.* De altero autem Turſellinus teſtatur, (*L. 4 c. 7. Vit.*) obſervatum Goæ pluries fuiſſe, intempeſta nocte, cùm aliquamdiu in horto domeſtico defixis in cælum oculis, & vultu hominis à ſenſibus abalienati inambulâſſet, præ nimio divinæ charitatis ardore, manibus raptim pectori admotis, tunicam ab eo deducentem, & , *Non plus, non plus Domine, ſat eſt*, clamitantem. Sapienter Lycurgus, ſciſcitanti, cur ſacrificia tam vulgaris pretii Lacedæmone inſtituiſſet, reſpondit, (*Plut. in vit.*) *Nè Deos unquam venerari ceſſemus* : plùs conducere ad Religionis incrementum exiſtimans, ſi ejus officia ob minorem ſumptum in celebri, aſſiduóque apud omnes uſu eſſent ; quàm ſi magnificentiæ ſuæ causâ nequirent, niſi rarò, & à paucis obiri. Sed quamvis veriſſima, quæ diximus, ſint, reprehendíque potiùs, quàm laudari mereatur, qui violenta, & ſervili obſervatione certi unius, nec unquam diverſi circa exteriorem habitum moris atten-

tionem, vigorémque animi in orando debilitat; quia tamen innatus homini erga corpus ſuum amor nimiùm quàm callidus eſt ad ejus incommoda, quibus poteſt, fictæ imbecillitatis, & majoris boni prætextibus declinanda; optimum factu cenſerem, orationem ab unoquoque genibus humi fixis, manibúſque ante pectus reverenter junctis inchoari, & eodem ritu, quamdiu vires ferunt, produci: ubi verò aliquis præ corporis laſſitudine præpediri indè potiùs, quàm juvari orationem ſuam ſenſerit; tum aliam, quæ propoſito fini aptior videatur, ab eo ſumi exterioris habitûs ſpeciem.

6. Quartò interrogare aliquis poterit, numquid ſtatam hanc, & ſecretam ineuntis dei orationem mentalem, ùt vulgò dicitur, an vocalem eſſe oporteat? Priuſquam interroganti reſpondeam, pauca quædam majoris diſtinctionis, & perſpicuitatis causâ advertenda eſſe exiſtimo: & primò quidem, cùm oratio, juxta receptiſſimam Joannis Damaſceni definitionem, ſit *Aſcenſio mentis in DEUM*, nullam dici veram, propriámque orationem poſſe, quæ mentalis, id eſt aliqua circa DEUM mentis actio non ſit: ac proinde, dum oratio in mentalem, & vocalem dividitur, non ità di-

divisionem esse accipiendam, quasi ejus partes omnimodè inter se distinguantur: sed ità, ut prior orationem significet, ubi mens per se unam tacita, & quò magis arcana, eò penitiori, altiúsque defixa attentione circa DEUM occupetur: posterior verò orationem, ubi mens simul, & vox circa DEUM exerceantur, quódque una de illo intùs concipit, altera exteriùs depromat. Secundò advertendum videtur, orationem, quæ voce exprimitur, duplicis esse generis posse: nimirum vel ab alio certis quibusdam verbis compositam; (cujusmodi sunt Psalmi Davidici, plurimæque aliæ precationum formulæ addiscì memoriter solitæ) vel à proprio cuique affectu inspiratam, cujusmodi sunt arcana cum DEO animæ eum amantis colloquia. Tertiò adverti par est, duplicem etiam modum esse, quo compositæ ab aliis orandi formulæ recitari possunt: nempe vel pronuntiationis cursu usque ad earum finem continenter producto, prout Sacerdotalis psalmodia in templis peragitur; vel per intervalla, & recitatione post singulas propositiones abrupta, suspensáque quoad illarum sensus, & vis tacitè perpendatur.

7. His observatis, ad propositam quæstionem respondeo: cùm orationis, de qua hìc agi-

agitur, finis sit, animam penitùs colligere, ac defigere in DEO, sanctísque cogitationibus, & affectibus ad totius diei cursum piè transigendum instruere; quemadmodum huic fini assequendo magìs conducit perattenta supernaturalium veritatum meditatio, piis affectibus, & colloquiis mista; quàm continenter producta orationum ab aliis compositarum recitatio; ità dubitari non posse, quin prædictæ orationis tempus in ea potiùs, quàm hac, transigendum cuilibet sit, qui illud velit fructuosiùs transigere. Quamvìs cæteroqui, ùt infrà dicemus, possit etiam nec pœnitendo cum fructu illud tempus insumi, in vocali aliqua oratione memoriter recitanda, si recitatio non sit continua, sed piis identidem considerationibus, & affectibus interrupta. Per quam occasionem omittendum non puto, quin personas spirituales commoneam, nè pro quotidiano Religionis penso ingentem sibi præscribant orationũ memoriter comprehensarum numerum, quæ recitentur (prout ferè usuvenit, quando nimis multæ sunt) properantiùs, quàm cum vero, intimóque animi sensu: sed vel plurimos earum locò divini amoris actus ex imo pectore effundant; vel tempore, quod permultis talium orationum

num raptim, & consuetudinis tantùm gratiâ percurrendis impenderent, dimidiam, tertiámve, aut minorem eorum partem recitent, sed tractim, attentéque, & deguſtantis ritu, ceu sensus non tam sibi ab aliis dictatos, quàm suo in corde conceptos, & indè ori affluentes. Quod est illud, loqui parùm, & multùm orare, piæ fæminæ Probæ à D. Augustino præscriptum his verbis: (*Ep.* 121. *c.* 10.) *Absit ab oratione multa locutio, sed non desit multa precatio. Nam plerumque hoc negotium plùs gemitibus, quàm sermonibus agitur*; imò omnibus doctrinæ suæ alumnis præscriptum à Christo, ubi dixit: (*Matt.* 6.) *Orantes nolite multum loqui, sicut Ethnici*: & peculiari studio observatum à priscis Ægypti Monachis, qui, Cassiano teste, (L. 2. *c.* 11.) *non multitudine versuum, sed mentis intelligentiâ delectabantur, illud tota virtute sectantes, psallam spiritu, psallam & mente. Idcóque utilius habebant, decem versus cum rationabili assignatione cantari, quàm totum psalmum cum confusione mentis effundi.* Ad corporis quoque nutrimentum plùs facit cibum probè concoquere, quàm largiter sumere: & in ipsiusmet eloquentiæ artis cæteroqui verbosæ studio præcipitur, *multùm legendum esse, non multa.* (*Plin. L. 7. Ep. 9.*)

§. Quæ-

8. Quæritur quintò, utrùm neceſſe homini ſit, peculiari aliqua præparatione ad prolixiorem hanc cum DEO conſuetudinem uti, & cujuſmodi illa eſſe debeat? Sed de illius neceſſitate Spiritus ſanctus dubitare neminem ſinit, monens in Eccleſiaſtico: (*c.18.*) ***Ante orationem præpara animam tuam, & noli eſſe quaſi homo, qui tentat DEUM.*** Præterquam, quod ipſamet humana ratio ſat probat, quàm turpis incuriæ res foret ad DEI affatum, ſinè præcedenti ulla ſeu infinitæ illius majeſtatis, ſeu rerum cum eo tractandarum cogitatione accedere. Cùm nemo cæteroqui adeò inconſideratus ſit, quin vel cum terreno aliquo Principe de negotiis ſuis acturus diu ante congreſſum, & acri cum ſolicitudine ſuum apud animum verſet, quanam ibi ratione, & quibus uti verbis ſe oporteat. Quod ergo ad congruentem ſeſe præparandi modum attinet, præter crebras illas toto die præſentis Dei recordationes, de quibus jam egimus, quæque ad magis profeſſam, & certi temporis orationem mirè animum comparant; quatuor adhuc paulò antè hujus initium curanda eſſe cenſeo. Primum, ut animadvertamus, quiſnam ille ſit, quocum congreſſuri jamjam ſumus, DEUS nempe univerſitatis totius Domi-

minus, noſtérque amantiſſimus Parens: excitando indè in animis noſtris conſentaneos affectus tum reverentiæ erga ſupremam illius Majeſtatem, tum lætitiæ de ſingulari noſtra ſorte, quibus cum eo familiariter converſari licet: & pro certiſſima re ſtatuendo, nullum in omni noſtra vita nos habere tempus poſſe, hoc optabilius. *Conſidera*, inquit Chryſoſtomus, *quanta eſt tibi conceſſa felicitas, fabulari cum* DEO, *cum Chriſto miſcere colloquia, optare, quod velis, quod deſideras, poſtulare.* (*L. 2. de orando.*) Secundum, ut meminerimus finis, ad quem matutina oratio dirigatur: nempe ad animam DEO penitùs imbuendam, quò tota illius ſit, & ſumma cum perfectione illi ſerviat: ardens ſimul deſiderium concipientes, aſſequendi hujus finis, novíque, & manſuri ad ſanctitatem motûs diei recens nato imprimendi. Tertium, ut proponamus nobis veritates eâ horâ coram DEO ruminandas, non ſinè acri ſolicitudine, & ſtudio earum vim penitùs introſpiciendi: cùm vel una ex iis probè intellecta poſſit nos, ceu factum in tot aliis videmus, ad ſublimem ſanctimoniæ gradum evehere. Quartum, ut à multiplici objectorum ſenſibilium varietate totam animam in DEUM colligamus, tanquam ſi horæ illius ſpatio nemo

mo præter eum, nósque in mundo alius existeret. Vale ideo terrenis quibusque occupationibus nostris dicentes, orantésque illas, ut contentæ assignando deinde ipsis tempore sinant nos interim tranquillè, & per otium cum DEO conversari. Quam in rem hæc Abbatis Gulielmi formula usui esse poterit: *Intentiones, cogitationes, voluntates, affectiones, & omnia interiora mea, venite, ascendamus in montem, ubi* DEUS *videtur. Curæ, solicitudines, anxietates, labores, servitutes, expectate hìc cum asno, corpore isto. Ego cum puero, ratio cum intelligentia, illuc properantes, postquam adoraverimus, revertemur ad vos. Revertemur enim, & heu quàm citò!* (*Lib. de Amore.*)

9. Percontaberis sextò, quænam sit materia, circa quam in matutina oratione occupari mens possit? At hìc respondentem mei locò habes D. Paulum suis illis ad Philippenses verbis: (*c. 4.*) *De cætero fratres, quæcunque sunt vera, quæcunque pudica, quæcunque justa, quæcunque sancta, quæcunque amabilia, quæcunque bonæ famæ, si qua virtus, si qua laus disciplinæ, hæc cogitate.* Ubi vides, nihil sancti, & frugiferi esse, quod DEI famulis meditandum in oratione non assignetur. Quod si cupe-

res, tam universalem materiam in præcipuas su-

ſuas partes diſtinctam habere; poteris tibi ad meditandum ſumere primò incomparabiles DEI perfectiones, ſuo loco jam à nobis deſcriptas: contemplando illum, quaſi ens nullius indigum, neceſſarium, æternum, infinitum, immenſum, omnipotens, ſapientiſſimum, pulcherrimum, optimum. Secundò Chriſti Domini vitam à Ludovico de Ponte, aliiſque pluribus in meditationes digeſtam. Tertiò ponderoſa quædam, & ſucci plena ſacrarum Literarum effata: exempli gratiâ: *Regnum cælorum vim patitur. Qui amat animam ſuam, perdet eam. Quæ ſeminaverit homo, hæc & metet. Non ſunt condignæ paſſiones hujus temporis ad futuram gloriam*: aliáque id genus quàm plurima. Quartò nonnullas veritates, morum magiſtras, utiliſſimiſque ad vitam ſanctè exigendam, concluſionibus gravidas: cujuſmodi ſunt præter alias noſter ultimus finis, immanis peccati malitia, divinæ gratiæ inæſtimabilis valor, arctiſſima, quibus DEO obſtringimur, nomina, mortis neceſſitas, divinum de animabus vitâ functis judicium, cæleſtis beatitudo, inferorum ſupplicia. Quintò virtutes tum Theologicas, tum morales, quæ ſive ad DEI cultum, ſive ad proximorum utilitatem, ſive ad proprii corporis, animíque coërci-

tionem pertinent. Sextò vitia cuilibet prædictarum virtutum contraria. Septimò actiones ordinarias, quibus quotidie à diluculo usque ad vesperam fungeris, partim sacras, partim profanas, & suâpte naturâ indifferentes: observando, quid delinqui in singulis possit, quíque contrà sit modus eas integrè, ac perfectè obeundi. Octavò pios quosque amoris, odii, desiderii, lætitiæ, & doloris affectus: perpendendo primùm rationes, quæ incitamento ad eos sint, móxque eosdem concipiendo, secundùm peculiares, quibus exprimi possunt, species, ac modos. Nonò solennem quampiam precandi formulam, putà orationem Dominicam, quam tecum ita particulatim examines, ut ex singulis ejus verbis, aut propositionibus pium aliquem sensum, atque affectum elicias. Decimò vitas, atque exempla Sanctorum, qui singulis diebus anniversaria solennitate celebrantur: heroicas illorum virtutes admirans, & ad similia patranda te extimulans.

10. Hæc igitur præcipua decem sunt genera, circa quæ quotidiana meditatio consuevit versari: & unde pronum cuique est, copiosum sibi indicem materiarum ad complurium annorum meditationes excerpere. Nam

in

in Martyrologii lectione, quid uno saltèm anno meditari possit, inveniet. Ad æquale temporis spatium materiam ei suggeret vita, & mors Christi Domini, ceu Ambrosii Spinulæ, Nicolai Avancini, & aliorum libris suggessit. Idem dic de sacrorum Librorum sententiis: quarum nonnullis annuum meditationum cursum Paulus Segnerus implevit: & quantò adhuc plures superstant? Neque obscurum ulli est, quàm affluens menti pabulum cætera itèm suffectura sint, quæ indicavimus capita. Præsertim, quòd nonnullas ex materiis, quæ ibi continentur, pro eximia illarum vi, & salubritate haud satìs est, semel tantùm perpendere, sed iterum ruminandæ, iterúmque sunt, quoad penitùs in animo defigantur, & hic plenam ex earum consideratione utilitatem retulerit. Imò, qui à multis retrò annis in divinarum rerum commentatione se exercet, præcipuásque ex commemoratis hìc materiis pluries, ac pluries coram DEO pensitavit, ut proinde nihil ferè in iis novi, & ad mentem diu in se continendam idonei jam reperiat; poterit & fortasse utiliùs unam, duásque, aut tres veritates, magni inprimis momenti, & à quibus se validiùs commoveri experitur: (ultimum finem verbi gratiâ,

tiâ, ad quem conditi sumus, seu infinitam DEI amabilitatem, seu nullum terrenarum quarumlibet rerum præ sempiternis, ac cælestibus pretium) pro ordinaria, & semper ferè eadem sibi sumere orationis materia: adeò ut singulis eas diebus secum retractet, quantùm sit opus ad eos rursus concipiendos animi ardores, quos in se aliàs excitari ab iis sensit. Tum, posteaquam his vividiùs instaurandis suum tempus impenderit; in postrema orationis parte ad novum diem *in sanctitate, & justitia coram* DEO transigendum diligenter se comparet: quatuor, quæ huc faciunt, firmiter suo in animo statuens. Primum nullas eo die culpas admittere, iis nominatim excluſis, in quas labi consuevit frequentiùs. Secundum, præcipuas diei actiones, à peracta oratione usque ad noctem sibi obeundas, eo singulas modo exequi, quem perfectissimum esse agnoscit, & DEO maximè gratum. Tertium, nullos necessariarum virtutum, sed præsertim charitatis fraternæ, mortificationis, & patientiæ actus, quorum occasio sese obtulerit, prætermittere, hujusmodi occasionibus accurata observatione prævisis. Quartum, assiduam toto die præsentis DEI memoriam retinere prævisis particularibus modis, quibus

ad

ad id faciliùs, certiúsque præstandum juvetur. Et talem præparationem maximi ego momenti esse arbitror, quæque possit sola ad fructuosam incipientis diei orationem sufficere. Ac proinde omnibus, seu tyrones, seu veterani in spirituali militia sint, suaserim, ultimum illi saltèm matutinæ meditationis quadrantem seponere. Siquidem, ùt à D. Teresia verissimè traditur: *Interior animarum profectus nequaquam in eo positus est, ut multùm de DEO cogitent, sed in eo, ut enixè* DEUM *ament. Et hic amor acquiritur per voluntatem agendi, quæ ipsi placeant.* Quare *oratio, quantumcunque alta sit, dirigi semper debet ad patranda opera, quibus noster erga* DEUM *amor probetur.* Quæ cùm dixisset, concludit: *Ego sanè non aliam mihi orationem malim, quàm quæ ad ulteriores in virtute processus me adjuvet.* (*P. 2. Oper. pag. 237. n.* 13.)

11. Septima, & quidem potissima quæstio est de propria meditandi ratione, atque methodo, circa quam multi multa: sed hæc mihi expeditissima videtur, eámque tibi Lector, si libuerit, servandam propono: nimirum ut in ipso meditationis ingressu coram DEO te constituas, ipsúmmet ùt præsentem, qua par est, submissione alloquaris: adorans tantæ

majestatis Dominum, gratias immensæ illius erga te liberalitati agens, dolens, quòd summam ejus bonitatem toties offenderis, totum te ipsi, tanquam tuo Authori, & ultimo fini offerens, paternámque illius opem pro sanctè exigendo tum reliqui totius diei, tum præsentis orationis tempore humiliter flagitans. Qui actus & sub cujusque diei exortum iterari coram Domino quasi legitimum nostræ servitutis vectigal debent; & si ex animo fiant, non parùm conducent ad totam meditationem attentè, cúmque vivido pietatis sensu obeundam. His porrò colloquiis cum DEO ad horæ circiter quadrantem productis, in duobus, qui subsequuntur, quadrantibus (nam postremum præparatio paulò antè explicata sibi deposcit) aggredieris mente ruminari provisam in hunc usum materiam, circa quodlibet illius caput quinque hæc præstando. Primum, ut cures, luculenter, exactéque pernoscere veritatem ibi propositam: tum si ab actione sejuncta, meræque contemplationis objectum ea fuerit; aliam indè veritatem practicam eruas: studens hanc itidem, quàm intimè valeas, percipere, excogitánsque argumenta, & exempla, quæ vividam illius speciem menti tuæ imprimant. Secundum, ut practicam hujus-

mo-

modi veritatem universè sat cognitam ad te ipsum referas: dispiciendo, an ex præscripto ejus vixeris, & ùt vivere hominem decet, qui verè illam credat? an diverso penitùs ritu? Tertium, ut animadverso, quàm ab ea discrepans vitæ tuæ tenor fuerit, consentaneos huic pravitati in te excites pudoris, admirationis, pœnitentiæque affectus. Quartum, ut quàm firmissimum animi decretum concipias, rectiùs deinceps vivendi, ità nempe, ut omnes tui sensus, affectus, & mores perspectæ veritatis normæ respondeant. Quintum, ut Dei auxilium implores, ad ea, quæ decreviſti, strenuè, constantérque exequenda. Vísne aliquod tibi afferri doctrinæ hactenus traditæ exemplum? Fac, objectum, & materia meditationis tuæ sit mortalium bonorum inanitas. Primus ibi labor tuus erit, propositam rem, rationésque, quibus comprobatur, attentè rimando perpendere, quoad de illius veritate certissimus sis: eruendo illinc, & curando tibi similiter persuasissimam reddere hanc conclusionem practicam, nimirum par esse, ut, quando tam perspicuè hujusmodi bonorum inanitas patet; prudens quilibet rerum æstimator ea minimi pendat, præque aliis veris, atque solidis bonis despiciat. Jam

verò his peractis progrediendum ad secundam partem tibi est, ad disquisitionem videlicet, num præsentis vitæ bona pro conditionis suæ merito contempta à te sint, an veriùs tanto in pretio habita, ut multoties divinæ illa amicitiæ, æternæque tuæ saluti antetuleris. Quod alterum posteaquam re ipsa à te factum deprehendes; locus tertiò jam erit, ut in affectus erumpas, quos indè consequi decet, admirando, & erubescendo, quòd desipere adeò potueris. Nec mora, ipsimet hi actus ad quartum institutæ exercitationis actum te impellent, nempe ad firmam, certámque voluntatem corrigendæ imposterum tuæ prioris vecordiæ per abjectam eorum æstimationem bonorum, quæ pluris olim justo feciſſe te pudet. Succedétque postremò, tanquam totius exercitii coronis, divini auxilii imploratio, ut, qui ad prædictam voluntatem concipiendam te impulit, ad eandem perficiendam te roboret.

12. Hæc verò praxis, quò & faciliùs percipi, & fructuosiùs ererceri queat; operæ pretium fuerit, nonnulla circa priores quatuor illius partes advertere. Adverto igitur circa primam, licèt materies ad meditandum proposita haud semper, nec in quolibet ex com-

commemoratis illius decem generibus sit veritas practica, semper hanc tamen posse indè colligi. Licet id videre in perfectionum divinarum materia: ubi perpensa, agnitáque incomparabili earum dignitate statim occurrit singularis cultus, & amor, eam propter causam DEO debitus. Licet, ubi meditationis objectum sunt Christi Domini, Sanctorúmque acta: cùm ab egregiis eorum facinoribus pronum sit cuivis rationem eruere, qua nos itidem ad similia patranda urgeamur. Licet in meditationibus super hac, vel illa orandi formula, veluti super Symbolo Apostolorũ, seu oratione Dominica: ubi nihil magìs est obvium, quàm ex prima illius voce firmitatem eruere, qua omnibus divinæ Fidei mysteriis assentiri nos oporteat, éque prima hujus similiter reverentiæ, amorísque affectus, quibus nostrum prosequi debeamus cæleſtem, atque æternum Patrem. Licet demum in omnibus aliis supradictis generibus, tam unoquoque practicarum veritatum fœcundo: cùm cuilibet pateat, æquum esse, ut sacrarum Literarum sententiis pro norma vivendi utatur: ut virtutes animo suo inserat, & vitia indè excindat: ut piis affectibus commoveatur, útque quotidianas actiones suas quàm abso-

lutissimè obeat. Adverto insuper circa eandem primam partem ex eadem theorica veritate plures sæpenumero, & plures conclusiones practicas elici posse. Sic, (nè ab exemplo suprà allato discedam) ex hac propositione, bona vitæ præsentis nîl magni, & solidi continent; præter conclusionem illam universalem, ergo flocci sunt facienda, hæ quoque aliæ magis particulares derivari possunt, ergo stultè agit, qui de illorum affluentia gloriatur: stultè, qui iniquo animo fert, ea sibi non nisi ad necessarios vitæ usus suppetere: stultè, qui pro eorum acquisitione nullis curis, & laboribus parcit: stultè, qui, nè illorum jacturam faciat, cælestibus, æternisque bonis ultrò se abdicat. Imò consultius semper fuerit, veritates universales, quæ ad actionem collimant, ità minutatim in suas partes dividere. Cùm paratiores, magisque idonei homines sint ad praxim quamcunque sibi specialiter, & distinctè, quàm solùm genericè propositam.

13. Circa secundam porrò, tertiámque partem advertendum puto, prioris vitæ nostræ examen non adeò necessarium in omni meditatione esse, ut prætermitti compluries nequeat. Quo in casu voluntas locò pœniten-

tentiæ, qua indè afficeretur, desiderium, & spem, sive odium, timorémque, aut alios pro diversa cognitæ veritatis ratione affectus concipiet. Imò nonnunquam post considerationem rei ad meditandum susceptæ, quidquid supereſt temporis in mera affectuum ipsi congruentium expressione transigi poterit, ídque præsertim, ubi non alia est meditationis materies, nisì pius quispiam affectus. Tunc enim, ubi meditans satìs perspexerit, quàm honestus, utilísque ille sit; poterit exprimendum, atque iterandum sibi eundem susciperе secundùm peculiares actus, & modos, qui in specie illius continentur. Utque exemplo planior res fiat; ponamus, susceptam ab aliquo esse pro suæ meditationis materia æquitatem odii adversùs peccatum. Debet is primò accuratè perpendere, quàm extrema sit peccati malitia, quámque ideo rationi conveniens, ut illud cæteris quibusque malis vehementiùs oderimus. Tum vi hujusce veritatis sat cognitæ, atque perpensæ, quàm vehementissimum illius odium concipiat: conceptúmque exprimere aggrediatur, primò generatim, dicens: ego ità odi, & abominor quodvis peccatum, ut, nè illud committam, paratissimus sim, quovis bono carere, & quid-

vis

vis mali subire. Mox propositis sibi speciatim ob oculos universis hinc bonis, quæ chariora habet, indè malis, quæ maximè horret; pergat tot distinctis actibus, quot prædicta sunt bona, eorum cuilibet, nè peccato inquinetur, nuntium remittere; totidémque rursus aliis actibus, quot ex adverso cernit mala, eorum cuilibet perferendo, si aliter vitari nequeat peccatum, se offerre. Neque his contentus, singulas peccatorum species mente perlustrans, instituat unamquamque earum plùs aversari, quàm privationem hujus, illius, & alterius nominatim cujuslibet boni, quámque tolerantiam hujus, illius, & alterius singillatim cujuslibet mali. Qua ratione facilè poerit non unã duntaxat, sed vel plures horas traducere, continuis exercendis, semper novis, diversísque actibus summi odii adversùs peccatum. Idémque experietur circa affectum charitatis erga proximos: facilem exercerí ipsum quoque tot diversis actibus, quot peculiaria sunt bona, quæ optare cuivis hominum possumus. Idem circa zelum divinæ gloriæ, in quo etiam tam numerosa apparet piorum quà luctuum, quà desideriorũ varietas; quàm multiplices modi sunt, quibus DEUS vel offenditur, vel honorari magìs, magísque ab ho-

minibus potest. Idem uno verbo circa quemcunque alium ex affectibus in oratione concipi solitis : dummodo haud satìs habeat, unico illum generali actu exercere; sed curet ejus materiam, ac proinde etiam exercitationem in suas quasvis partes, speciésque dividere.

14. Nec dissimilem curam in quarta itèm parte adverto esse adhibendam : nempe in decretis, quæ orantis animus concipit, vitam in posterum meditatæ veritati consentaneam ducendi. Cùm ad horum efficacitatem plurimùm conferat, si non summum tantummodo futuræ emendationis genus spectent, sed ad infimas itidem, maximéque particulares illius differentias descendant. Nam, qui agenda non nisì universè decernit, dicens exempli gratiâ : nolo unquam irasci ; næ is perinde facit, ac si nihil decerneret. *Non oportet* (inquit Aristoteles) *hæc solùm universaliter dicere, sed etiam particularibus accommodare. Circa particularia enim actiones versantur.* (*L. 2. Eth. c. 7.*) Neutiquam igitur in generali ea voluntate debes subsistere : sed, postquam dixeris : nolo unquam irasci, progreditor, utì monet Cassianus, ad peculiares tui hujus propositi actus : subjungens, ideóque, si hæc, aut illa iræ occasio se obtulerit, si hanc, aut illam mihi fieri in-

injuriam continget; advertam diligenter, nè qua commotior mihi vox excidat: háſque, aut illas, quæ patientiam ſuadent, rationes in memoriam revocabo, dicámque hilari voce: *Sit Nomen Domini benedictum*: & eum, qui me laceſſiverit, benevolo vultu intuebor. *Propoſitis ſibi* (verba ſunt citati modò Authoris) *multimodis injuriarum, diſpendiorúmque generibus, velut ab alio ſibi irrogatis, aſſuefaciat mentem ſuam omnibus, quæ inferre improbitas poteſt, perfecta humilitate ſuccumbere, atque aſpera quæque, & intolerabilia frequenter opponens, quanta eis occurrere debeat lenitate, omni jugiter cordis contritione meditetur.* (*Coll.* 19. *c.* 14.) Nè multis, ſingulas, quæ incidere uſquam poſſunt, iraſcendi occaſiones tibi repræſentabis, leviores primò, & gradatim deinde alias: motus animi obſervans, quos excitaturæ in te ſunt, ſimúlque argumenta, & cogitationes, quæ ad hos comprimendos plùs proderunt: nec non quibus verbis tunc uti, quámque in ſpeciem componere vultum, oculos, & reliquum corpus te oporteat. Simili pacto, ubi virtutem aliquam, putà humilitatem exercere ſtatueris, ſedula cogitatione percurres tum interiores actus, qui proprii illius ſunt, tum peculiares modos, quibus eandem hìc, atque illic profi-

te-

teri exteriùs licebit: certum aliquem illorum numerum præsenti die eliciendum definiens, nullóque horum non uti, ubi locus se dederit, statuens: juxta exemplum, ac morem boni illius è nostra Societate fratris Joannis Ximenii nomine: (*In vit. Balt. Aluar. c. 45.*) qui è villa, ubi totum diem varia inter ministeria impigre exegerat, ad Cæsar-Augustanum Collegium rediens, sic in via colloqui secum solebat. Hem, quò pergis Joannes? Ad Collegium, ubi fessas diurnis laboribus vires tempestiva reficiam quiete. At quid, si eò vix appulsus jubearis hoc, vel illud novi operis exercere? Nequaquam id fiet: nôrunt enim Præsides, quàm exercitus toto die in agro fuerim. Quid tamen, si re ipsa contingeret? Tum verò, quidquid injunctum fuerit, prompto, & alacri animo excipiam. Conversúsque ad DEUM: Fac ô! fac Domine, ajebat, ut hæc mihi præbeatur, meum erga te obsequium declarandi occasio. Qui ritus sese præparandi ad singulos quosque actus, & eventus possibiles, si accuratè observetur; efficacior multò erit, quæ ab orantibus concipi solet, vitæ melioris voluntas: majórque apparebit in iis, qui ordinariam meditationi operam navant, morum emendatio, & spiritua-

tualis profectus: nec præterea queri juſtè ullus poterit, materiam ſibi deeſſe, circa quam meditando occupetur: cùm in prævidendis, ùt diximus, tum ſingulis quibuslibet modis exequendi, quæ decrevit facere, tum difficultatibus, quæ illorum executioni impedimento eſſe poſſunt; tum artibus, & præſidiis, quæ faciliorem eidem viam muniunt; copioſum non ad unam modò, ſed & plures ad horas inventurus mentis pabulum ſit.

15. En igitur practicam, nullíque non facilem per unius horæ ſpatium meditandi rationem. Ea eſt, prout jam dixi, & ſummatim hìc repeto, primum quadrantem in DEO ſubmiſsè adorando, in gratiis illi agendis, in ſuis adversùs eum criminibus deteſtandis, in ſe illi penitùs devovendo, ínque divina illius ope imploranda tranſigere. Tum per ſemihoram, quæ ſequitur, mentem, atque animum in delecta ad meditandum materia exercere, circa quodcunque illius caput quinque hæc curando: nempe ut aliquam veritatem practicam ibi reperiat, vividámque illius ſpeciem menti ſuæ imprimat: ut perſpiciat, quàm diverſam ab ejus præſcripto vitam retro egerit: ut de ſua hac pravitate doleat, atque erubeſcat: ut rectiùs inpoſterum vivere apud ſe

se statuat: ut ad seriò, constantérque id præstandum se juvari à DEO petat. Demum in postremo quadrante ad novum ineuntem diem quàm sanctissimè traducendum se comparare: animadvertendo tum culpas, quæ magis familiares sibi sunt, ut præcipuè ab iis caveat; tum actiones, quibus ad noctem usque occupabitur, & modum, quo uti debeat ad eas cum debita perfectione obeundas; tum actus virtutum, quorum hìc, aut illic sese ipsi opportunitas dabit cum voluntate illos strenuè exercendi; tum diligentiam, quæ adhibenda sibi est, ut assiduam DEI præsentis memoriam die toto retineat.

16. Octavò, ultimóque occurrit quærendum, quid eos facere oporteat, quibus seu corporis invaletudo, seu aliqua perturbatio animi, seu tædium, atque ariditas impedimento sunt, nè commodè, libentérque orationi vacent? Respondetur: varia esse adversùs memoratas difficultates instrumenta, & præsidia, quibus, qui sedulò utetur, totam poterit sacræ exercitationis suæ horam, si minùs jucundè, & cum sensibili ardore pietatis, at cum justo saltèm operæ pretio, animíque profectu transigere. Exordiendo itaque ab illis, qui queruntur, animum se habere quo-

vis aridiorem pumice, adeóque omni rerum divinarum ſenſu vacuum, ut has ſecum reputantes non afficiantur magìs, quàm ſi de lapidum, aut lignorum ſtrue cogitarent; tria his exhibeo, non parvæ ad fructuoſám orationem efficacitatis remedia. Primum eſt, ut pro meditandi materia aliquod ex objectis iis ſumant, quæ majorem animos permovendi vim habent, & à quorum ſpecie validiùs ſe commotos aliàs fuiſſe meminerint, acerbiſſimos putà DEI hominis cruciatus, vel brevi ſubeundam omnibus mortis neceſſitatem, vel immortalis vitæ gaudia, quæ pias in cælo animas ſub interitum corporis manent. Secundum, ut poſt expreſſos altiore voce quinque illos affectus, à quibus inchoandam orationem dixi, & tardè recitatum ſolennem Spiritûs ſancti hymnum, pergant eodem diſtinctæ, ſublatæque vocis ſono reliquas etiam meditationis partes, & præparationem ei adnexam obire: diſertis ſcilicet verbis pronuntiare, quidquid tacita mente ruminari interiùs poſſent: argumentantes contra ſe, jámque interrogantes, jam reſpondentes, jam ſuam objurgantes ignaviam, jam validis ſe rationibus perurgentes ad ea efficienda, quæ juſta eſſe cæteroqui fatentur, jam diſſolventes, quæ ob-

ji-

jici ex adverso possent, jam enucleatam, suásque omnes in partes digestam sibi proponentes eorum, quæ facienda decreverunt, praxim: denique ità secum dissérentes, ut cum alio dissérerent, quem convincere, & cui persuadere aliquid vellent. Quæ dissertatio, ut vividior sit, & ad animum expergefaciendum plùs valeat, proderit eam identidem quasi animare gestibus concitatis, & circa res magni momenti, inque medio affectuum fervore adhiberi solitis. Hi siquidem & ad mentis intentionem excitandam plurimùm faciunt, & adeò cæteroqui ob suam cum materia cognationem haud merentur contemni, ut B. Angela Fulginiensis profiteatur, nunquam iis sese in orando non uti: (*In vit. c. 20.*) eò quòd experta interdum esset, sinè hac, ceu ipsa loquitur, *oratione corporea*, aliam purè spiritualem parùm sibi è sententia propter somni interpellationem, animíque torporem cessisse. Tertium remedii genus fuerit, omisso ratiocinationis suæ studio mentis pabulum, & cogitandi materiam ex pio aliquo libro desumere: ità ut illum sensim legant, & abrupta paulisper post singulas ferè periodos lectione doctrinam, quæ ibi continetur, suam in rem trahant, frugiferúmque aliquem ex ea sensum,

atque affectum eliciant. Quæ remedia non aridis, & jejunis duntaxat, sed iis quoque usui erunt, qui aëreæ, vel igneæ indolis causâ nequeunt citra extraordinarium laborem, & conatum in eodem objecto diu mentem defigere. Neque seu hi, seu illi subjciant, propositas à me artes adjumento quidem sibi esse, ut meditationis tempus cum aliqua mentis attentione, pióque inter actus traducant: at non itèm, ut eam indè utilitatem hauriant, quæ præcipua est instituendæ sub diei exortum prolixioris orationis causa: illam nempe intimam veritatum supernaturalium perceptionem, divinæque charitatis flagrantiam, cujus beneficio reliquum diem universum vegeti, & alacres in sanctis affectibus, atque operibus transigant. Quamvis enim verè ista dicantur, optabiliúsque, & utilius sit absque prædictis impedimentis, & naturalibus vitiis orare; nihilo tamen minùs, ubi plenioris fructûs facultas, atque occasio intercluditur, eo contentum quemque oportet esse, qui referri pro tempore potest. Neque parvum sanè ipsi referent, solidam quotidie horam in rerum divinarum commentatione, esto, præter suam culpam, frigida, arenti, & exucca insumendo: cùm habiliores multò futuri propterea

rea sint ad vitandas culpas, exercendas virtutes, pravásque coërcendas cupiditates; quàm si nullam sacræ huic exercitationi operam darent. *Noli* (pro sua rerum asceticarum peritia scripsit Joannes Climacus) *noli, cùm in oratione perduras, dicere nihil profeci. Quid enim esse sublimius potest, quàm adhærere Domino, atque cum illo in oratione jugiter perseverare?* (*Grad.* 28.) Absynthium, & aloë non ideo salubria esse definunt, quia stomacho reluctante hauriuntur: neque panis cibarius, licèt minùs pomis, & bellariis sapiat, minùs quoque illis nutrit.

17. Quod verò ad impedimenta orandi pertinet, proficisci ex perturbatione animi solita, quando hic scilicet sinistri cujuspiam eventûs, vel injuriæ acceptæ, aut occupationum, curarúmque urgentium causâ, è tranquillo statu dimotus, vix admittere cogitationes alias potest, quàm terreni ejus objecti, à quo tunc possidetur; nullum ità commotis opportunius remedium invenio, quàm si pro meditandi materia illud ipsum sibi sumant objectum, à quo nequeunt mentem avellere: ut, quod malè affectis terrenæ cupiditatis luminibus spectatum, instar veneni est, per sinceram rationis, fideique contemplationem an-

tidotum fiat. Quando igitur ab adversæ alicujus, ingratæque rei eventu perturbari tibi animum sentis; ipsammet illam coram DEO contemplandam sume perturbationis tuæ causam: pensitans tecum, non tacita solùm ratiocinatione, sed voce itidem disertis, ac sensibilibus verbis expressa, (miram quippe hoc remedii genus contra omnes interioris attentionis difficultates vim habet) quàm exiguum, levísque, ac nullius penè momenti sit, quod te angit, si cum iis comparetur, quæ vel humanæ salutis assertor tui causâ volens ultro, libénsque sustinuit, vel tam multi ejus famuli mira cum alacritate pro eo tolerârunt: pudorémque hinc concipiens, quòd vel tantillam ærumnam prompto, libentíque animo accipere ex paternis illius manibus renuas, præsertim cùm noveris, eam fortiter ex amore illius perferenti *æternum gloriæ pondus* in cælo promitti. Quarum rationum vim exaggerare apud temet ipsum perges, quoad indè permovearis, ad sustinendum non æquo duntaxat, sed & hilari animo, quod tibi ægritudinem eventu suo attulit: gratias ad extremum DEO agens, quod hanc tibi promerendæ amplioris gloriæ, tuíque erga ipsum amoris declarandi occasionem præbuerit, paratúmque ip-

ipsi ad graviora etiam in eodem, & alio quovis genere subeunda te offerens. Simili ratione, si perturbatio consistat in nimia solicitudine circa successum negotiorum, quæ tractas, meditationis tuæ studium, & labor sit, evellere ex animo illius solicitudinis causas, quæ sunt, justo minor divinæ voluntati circa omnia ex illius nutu eventura subjectio; & justo major terreni alicujus boni, commodi putà, vel honoris ex iis negotiis proventuri cupiditas: perpendendo rationes ipsis contrarias, quæque possunt te impellere ad voluntatem tuam promptè accommodandam divinis quibuslibet circa tuas destinationes decretis, & ad moderandam æstimationem, cupiditatémque illius boni, cujus incerta consecutio anxium te habet. Nec exigui ad discutiendam anxietatem momenti erit, si pro certo statuas rem, quam urges, improspere tibi cessuram: omnem idcirco de illius exitu ambiguitatem ab animo ejiciens, rationibus jam perpetuis te comparans ad eum, cùm suo tempore acciderit, æqui, bonique faciendum: imò etiam DEO affirmans, casu illo, tametsi rationibus tuis, ac votis adverso, quòd ab ipso decretus, pérque ipsius voluntatem eventurus sit, omnino contentum te esse, jámque

nunc illũ non aliter, quàm si revera evenisset, pleniſſimo voluntatis aſſenſu probare, & complecti.

18. Denique, si orandi difficultas ex malo capitis, aut ſtomachi habitu, vel alia corporis invaletudine originem ducat; utile erit, hujuſcemodi intemperiis vexato, materias meditandi ſumere, quæ non ità enixam mentis attentionem requirunt: verbi gratiâ formulam quampiam voce orandi ex cujus ſingulis verbis ſtudeat aliquid pii ſenſûs eruere: vel aſcetici alicujus libri doctrinam, cujus lectionem ad ſingulas ferè periodos interrumpat ſedata ruminatione eorum, quæ legerit: vel rationem ſanctè vivendi illo die prævisis tum culpis, quas cavere, tum occaſionibus exercendarum virtutum, quas arripere tum peculiaribus modis, quos ad ordinarias ſuas functiones perfectè obeundas, obſervare in earum qualibet debeat: ſecundùm præparationis illius formam, qua omnibus in extremo orationis quadrante utendum eſſe diximus, ſed quæ ab ipſo, utpote exercitium facilius, poterit per totam illius horam extendi. Quanquàm fortè adhuc conſultius faciet, ſi pro unica meditandi materia ipſammet ſuam invaletudinem ſumpſerit, duo ibi conſiderans: pri-

primò scilicet rationes, cur eam æquo animo debeat ferre, quia nimirum à DEO, supremo suo Domino, & amantissimo Patre, majoris boni sui causâ decretam. Secundò effectus, qui provenire ex ea possunt, alios salubres, si Sanctorum more; alios noxios, si negligentiorum ritu illam ferat: & modum postremò decernens, qui adhibendus sibi sit, ut & illorum compos fieri, & hos prohibere à se possit. In summa, qui præ corporis ægritudine onerosum experitur meditationis laborem, moderatè huic vacare, & suaviter debet: adeò ut nè contendat illos in se excire vehementium affectuum ardores, qui præsenti tempori haud congruunt, neque vim capiti inferat, defigendo, suprà quàm illius vires patiuntur, mentis attentionem in proposita ad meditandum materia: sed vel aliquo ex modis hactenus dictis mentem exerceat, vel placidè coram DEO se constituat, delectáque ad animi pabulum una quapiam ex sapientissimis, quas fides nostra habeat, materiis, incomparabili putà DEI amabilitate, vel felicissima animarum ei penitùs adhærentium sorte, vel alia simili, incipiat sinè ulla secuturi indè effectûs solicitudine, & more animum potiùs remittentis, quàm necessaria occupatione distenti,

eam contemplari, donec ab eo ſimplici intuitu levem quempiam piæ delectationis, vel pii deſiderii motum excitari ſuo in animo ſentiat: ſuſpendens dehinc omne ſaltèm deliberatum, ſtatutúmque mentis exercitium, & in illa duntaxat ſpontanea, tranquilla, ac penè inſenſibili erga cæleſte ſuum objectum propenſione ſe continens: ità tamen, ut, ſi fortè animadverteret, hanc profanis cogitationibus locum ceſſiſſe, intermiſſos mentis actus reſumat, ab iiſque paulò pòſt ad priſtinam ceſſationem ſe referat: alternando ità pluries actionem, & requiem, nè aut illa defatiget; aut hæc in ignavi ſoporis ſpeciem, & terrenarum cogitationum quaſi ſomnia deſciſcat.

19. Fruſtrà tamen prædictis circa praxim meditationis interrogationibus reſpondiſſem, nisì meas reſponſiones defenderem à calumnia iis facilè impingenda, doctrinæ parùm naturalis, affectatæque, & ſimplicitati amoris contrariæ: qui (utì nonnulli hìc ſubjicient liberioris ingenii cenſores) amantem utique incitat ad cogitandum quàm aſſiduiſſimè de perſona, réque amata: ſed non ità, ut ad id faciendum certam ſibi temporis menſuram, & hanc potiùs, quàm illam diei partem præfiniat: útque priùs diligenter ſe comparet, in-

que

que tali loco constituat, sive ullam demum ex iis circumstantiis, & legibus servet, quas nos meditationi præscripsimus. Unde nullum est reperire inter homines, qui circa objectũ singulariter sibi charum mentem occupans, vel tantillùm de talibus regulis cogitet. Imò si ab aliquo fors moneretur, ut faciat id prima diei hora, ínque remoto ab arbitris loco, & rite antea præparatus, conformatóque in hunc, vel illum peculiarem situm corpore; næ talia monentem cum risu, & stomacho à se abigeret. Apage ista, respondens, superstitiosarum observationum, & Pharisaicorum rituum commenta. Itáne opus mihi sit præparatione, aliísque artificiis ad contemplandum, quod amo? Si minùs sub diei exortum, & secreto in conclavi, stánsque erectus id fecero, faciam pomeridianis horis, faciam deambulans, faciam in triviis, hominúmque frequentia. *Ama, & fac, quod vis.* Nihil est amore liberius, nihil impatientius, certis legibus, regulísque, & præceptis constringi. Ipse lex, & regula est, cum sua, tum cæterorum quorumvis actuum: nisì sua sponte, proprióque ex instinctu operetur, nequaquam operatur ùt amor.

20. Ob-

20. Objectio aliquam præsefert veri speciem, sed nîl præter speciem. Ut ergo hanc quoque illi tollam, respondeo: si id solum naturale appellari mereatur, quod citra delectum absque deliberato voluntatis imperio, nullóque dirigente artis, & prudentiæ ductu agimus, praxim divina meditandi hìc à nobis propositam, neutiquam naturalem futuram. At, si (prout res verè se habet) hujus nominis significatione comprehenditur, quidquid juxta naturam est tum illius, qui operatur, tum principii, à quo idem ad operandum impellitur; tam certò, indubitantérque naturalis ea dici meretur, quàm à nemine revocari in dubium potest, quin juxta naturam cujusque rei sit, quod ad primarium illius finem conducit, vel primarius divini amoris, & cujuslibet, qui ex divino amore operatur, finis sit DEO famulari, & placere; vel demum allatæ hìc à nobis regulæ ad meliùs orandum, & proinde ad DEO exactiùs famulandum, & magìs placendum conducant. Neque exempla amoris humani quidquam in oppositum valent. Esto siquidem hic plerumque nos moveat ad cogitandum de iis, quos amamus, sinè ullo artificio, delectúque certi loci, vel temporis; id tamen usuvenit, cùm cogitatio nihil

hil præter se, & suam in objecto contemplando delectationem, ac quietem propositum habet. Nam cæteroqui, si consideratio ad actionem collimet, qua personæ dilectæ honori, vel commodis in aliquo administrando negotio serviatur, videmus tunc, homines ab amore suo impelli ad cogitandum de modis, quibus finem propositum assequi certiùs valeant, in eáque cogitatione acriter mentem intendere, &, quod temporis necesse sit, illi assignare. Quòd si neque ibi propositas à nobis artes, & regulas solicitè adhibent, ratio hujus rei est, quia amor humanus, cùm in objecta sensibilia feratur, majus obtinet supra sensibiles imaginandi, & appetendi facultates dominium, promptioríque earum ministerio in operationibus suis adjuvatur; quàm divinus, utpote objecti à sensibilibus remotissimi, & vix ipsa mentis acie attingendi, amor. Quapropter, ceu magna cum facultate, & vehementi cum affectu in suis objectis, & rebus ad ea pertinentibus animam figit; ità minimè indiget præcedenti ullo studio, locíque peculiaris delectu, & hoc, vel illo corporis situ ad id efficiendum juvari: neque periclitatur, minùs diu, quàm necesse sit, iis mentem intendere, nisi huic negotio certum quotidie temporis spa-

ſpatium præſcripſerit. Contrà verò amor divinus, cùm imaginandi vim, & appetitum ſenſibilem in altiſſimi objecti ſui conſideratione impedimento ſibi eſſe potiùs, quàm auxilio experiatur, ut ad juſtum tempus, & debita cum attentione illi vacet; regularum id genus inſtrumentis, ſubſidiiſque uti opus habet. Præſertim quòd præter hactenus dicta finis practicus ipſi propoſitus, non ità curtus, facilíſque eſt, ut, qui humano ab amore ſpectatur. Ad ſerviendum quippe, & placendum amicis mortalibus, non nisì certis quibuſdam actionibus, eíſque ùt plurimùm externis opus eſt. At ſerviendi, & placendi Deo ſtudium omnes tam interiores, quàm externos humanæ vitæ actus complectitur. Unde, quantò amplior, difficiliórque hìc materia eſt, tantò attentiorem, & ſolicitam magìs conſiderationem requirit. Concludo itaque, juxta amoris naturam eſſe, inſtrumentis, & ſubſidiis ad objectum ſuum rite conſiderandum neceſſariis uti: quorum quia plura divino, quàm humano amori ſunt neceſſaria; ideò multa ab illo congruenter ad naturam ſuam uſurpantur, quæ, ſi ab hoc adhiberentur, ſuperfluitatis ſuæ causâ affectata, & præter naturam mererentur vocari.

C A-

CAPUT XIX.

De nonnullis capitibus, quæ cuilibet ad perfectam cum DEO conjunctionem, quasi ad unicum suum finem, tendenti perpetua quotidianæ commentationis materia esse possunt.

AFfirmavi suprà, homines à multis retro annis in divinarum rerum commentatione exercitatos, locò variandæ quotidie suarum meditationum materiæ, posse nonnullas veritates, præcipui ad vitam spiritualem universam momenti deligere, quas pro unico, & eodem semper mentis suæ pabulo habeant, singulisque diebus ruminandas resumant, plenius hoc pacto, & solidius ex iis alimentum ducturi. Prædictæ igitur sententiæ meæ inhærens nonnullas harũ veritatũ proponendas hìc duxi ad illorum usum, quibus apprimè, & peculiariter opus meum servit: illorum videlicet, qui omni aliorum finium multiplicitate ablegata nullum cogitandi, volendi, & operandi scopum habent, nisì nostrum *unum necessarium*, nempe ut DEUM ex toto corde ament, in-

intimáque illi, & quàm perfectiſſima conjunctione adhæreant. Si tu ergo, pie Lector, ex horum numero es, poteris quatuor hìc ſubjectas conſiderationes quovis manè renovare: primam, quid ſit DEUS, quò illius admiratione totus abſorbearis. Secundam, quid ſint res creatæ, quò eas minimi facere, & negligere addiſcas. Tertiam, quid tu ipſe ſecundùm naturam, & qualitates tuas ſis, quò merum nihil coram DEO te eſſe intelligas. Quartam, quid idem ipſe ſis, quando per amorem cum DEO copularis, quò tam beatam tuam ſortem pro ſuo merito æſtimes, appetáſque. Conſiderationes, quæ quantò ſæpiùs reguſtatæ à te fuerint, tantò ſapidiores tibi accident: &, ubi plenam, ac vividam veritatis ſuæ intellectionem tuo animo impreſſerint, omnem rerum præſentium æſtimationem, amorémque indè abigent, adeò ut nihil jam æſtimaturus, deſideratúſque ſis præter DEUM.

2. Conſidera igitur primò, DEUM eſſe Ens infinitè bonum, infinitè pulchrum, infinitè perfectum, imò ipſammet puram putam bonitatis, pulchritudinis, ac perfectionis naturam: non hanc nempe, aut illam particularem, ſed totam universè, quantaquanta cogitari, atque exiſtere poteſt, bonitatem, pulchri-

chritudinem, & perfectionem: adeò ut nihil boni, pulchri, & perfecti possit extra ipsum, nisi per participationem ipsius esse: quemadmodum nihil revera per totam retro æternitatem fuit, priusquam ipse paucis abhinc millibus ex immensissimo increatæ, æternæque essentiæ suæ pelago, quasi unam totius collecti illic boni guttam profunderet, quidquid hoc cælorum, elementorúmque, & tot rerum aliarum est, quod nos mundum vocamus. Ad summum tale ipsum esse, támque mirum, & nostra omni cogitatione excellentius objectũ, ut videri palàm nequeat, quin suos spectatores incredibili quadam delectationis, ac stuporis vi extra se ipsos penitùs rapiat, & per totam, quàm longa est, æternitatem in jucundissima sui contemplatione immobiliter fixos, ardentissimóque sui amore colliquescentes detineat. Hæc singula, & omnia expresso fidei assensum apud temet ipsum statue, eáque pro certioribus à te haberi profitere, quàm certam habeas ipsammet tuam existentiam, & quidquid oculis vides, manibúsve contrectas. Neque contentus sis, ea tam firmiter credere; sed cures præterea, quàm maximè expressam, & vivacem eorum speciem in mente formare. Tum pari cum persuasionis firmitate hinc

colligas, quemadmodum DEUS est totum esse, idque infinitum, tota bonitas, eáque infinita, tota pulchritudo, & perfectio, eáque infinita; sic totam ipsi tuam æstimationem, totúmque tuum amorem deberi: imò nihil à te concipi æstimationis, & amoris quantiscunque tui animi conatibus posse; quin longissimè, infinitéque infra illius meritum sit. Ac postremò, quod prædictæ cogitationes omni jure exigunt certissimum voluntatis decretum concipias, hæc illi vectigalia, si minùs pro sua dignitate, pro tuis saltèm viribus posthac solvendi. Quam solutionem jam nunc aliqua ex parte auspicaberis, infinitam præsentis illius majestatem sic alloquens: O maximum, ô summum, ô immensum, ô unicum totum, *DEUS meus, & omnia!* Quis te dignè admirari valeat? Quis non perhorrescere, quandocunque intueri te ausit? *Domine, consideravi, & expavi.* Mens mea vel ad primum tam incomprehensibilis abyssi prospectum subita vertigine obruitur, deficit, caligat, omnem sentiendi, & ratiocinandi usum amittit, ubinam sit, quídve agat, nescit, neque plus spiritûs, & vocis retinet, quàm quod satìs sit, ut profiteatur, te Dominum esse, infinitis vicibus excellentiorem, admirabiliorémque, quàm fingi

gi cogitando à se possit: nullum reverentiæ, nullum laudis, nullum honoris, obsequiique modum reperiri, quo non exaggeratior tibi debeatur: omnésque rationales substantias in nulla re alia occupari debere, nisi in te, quantùm maximè possint, colendo, atque amando. *Regi sæculorum immortali, & invisibili, soli DEO honor, & gloria in sæcula sæculorum, Amen. Terribilis Dominus, & magnus vehementer, & mirabilis potentia ipsius. Venite, exultemus Domino, jubilemus DEO salutari nostro, præoccupemus faciem ejus in confessione, & in psalmis jubilemus ei: quoniam DEUS magnus Dominus, & Rex magnus super omnes Deos. Fortissime, magne, & potens, Dominus exercituum nomen tibi. Quis similis tui in fortibus, Domine, quis similis tui? Magnificus in sanctitate, terribilis, atque laudabilis, faciens mirabilia. Domine Dominus noster, quàm admirabile est nomen tuum in universa terra? Quoniam elevata est magnificentia tua super cælos. Laudamus te, benedicimus te, adoramus te, glorificamus te. Quoniam tu solus sanctus, tu solus Dominus, tu solus altissimus.*

3. Secundò, postquam ità contemplatus fueris, quid sit DEUS, transi ad considerandum, quid sint res creatæ: & palàm perspicies, unamquamque ex iis, imò earum quoque

omnium universitatem præ illo instar atomi esse : *quoniam, tanquam momentum stateræ, sic est ante te orbis terrarum, & tanqnam gutta roris antelucani, quæ descendit in terram.* (*Sap. 11.*) Imò similiorem nihilo esse, quàm enti, juxta illud Isaiæ, (*c.40.*) *Omnes gentes quasi non sint, sic sunt coram eo: & quasi nihilum, & inane reputatæ sunt ei.* Quamvis enim creatæ res omnes aliquod esse, & aliquid boni habeant, tamen neque illud, nisi intrà certam mensuram habent, nempe infinitè minus reliqua possibili illius amplitudine ; neque hanc ipsam, quæ eis obvenit, illius portiunculam, suum aliquid jure possunt vocare : cùm haudquaquam per sese, & propriis suis viribus vel assecutæ illam sint, vel sibi retinere imposterum queant. Quamobrem, licèt earum aliquæ cum aliis inferioribus comparatæ dignitatis prærogativâ emineant, magnæque, & peculiari in pretio habendæ videantur ; si tamen ex adverso DEI spectare illas libeat, omnis protinus earum exuperantia evanescit, inque nihili humilitatem subsidit. Quod ut clarius in sensibili quapiam imagine appareat ; finge animo sphæram ignis, & lucis, omni ex parte infinitam, unde tenuis scintilla foras prosiliat : &, postquam tecum reputaveris, quàm

quàm insensibilis, vixque nihilo major præ infinito illo igne, ac lumine hæc foret; conclude, haud dissimiliter à DEO, infinita bonitatis, & perfectionis sphæra, diffusum in mundi productione esse, nec præ illo posse majus tenui scintilla censeri, quidquid finitæ bonitatis, & perfectionis in hac omni universitate contemplandum se objicit. Neque satis tibi sit rerum omnium creatarum præ infinito suo Authore exilitatem generatim duntaxat perspicere: verùm progreditor ad eandem majoris utilitatis tuæ causâ specialiùs considerandam, circa illas fortunæ, naturæque, & virtutis dotes, quibus qui excellunt, majori esse in pretio, & admiratione apud homines solent: nimirum circa hujus divitias, honores, dominatum, potentiam; illius pulchritudinem, dexteritatem, ingenium, facundiam; alterius sanctimoniam, morum integritatem, affectuum moderationem, magnitudinem animi. Quantùm enim horum quilibet secundùm prædicta sua decora tecum, vel cum aliis in eodem genere minùs præstantibus comparatus, felix tibi, eximiúsque apparebit, & in sui venerationem te rapiet; tantùm altera ex parte, si coram DEO, à quo secundùm easdem prærogativas infinitè exce-

ditur, illum ſpectare, & perpendere inſtituas, in æſtimatione tua decreſcit: &, qualis re ipſa eſt, minimi pretii, imperfectus, humilis, puſillus, egens, infirmus, neque tam invidia, & admiratione dignus ob exiguam, quæ ipſi contigit, quàm commiſeratione, ob infinito majorem, qua caret, menſuram, videbitur. Præſertim quòd fortunæ, naturæque ornamenta, eſto alicui, quanta optari poſſunt, contingerent; pro nativa tamen ſui generis, ſuæque conditionis exilitate apud idoneos rerum judices contemptui eſſe potiùs, quàm admirationi merentur. Cùm neque habiliores nos reddant ad conſecutionem noſtri ultimi finis; neque in ipſo præſenti ſæculo, quod longiſſima eſt illorum menſura, ullum pariant vel firmæ valetudinis corpori, vel ſinceræ, ſolidæque lætitiæ animo fructum. Quod verò ad ſupernaturalia Chriſtianarum virtutum, & ſanctimoniæ decora attinet, licèt nobiliſſimi hæc generis ſint, nunquam tamen in terris abſque magna contrariarum imperfectionum miſtura obtinentur: cùm neminem tam extraordinariæ ſanctitatis reperire inter homines ſit, qui præclarum animi ſui nitorem aliquibus ſubinde culpis non inquinet, nec in aſſiduo, quantùm ex ipſo eſt, verſetur, gra-

vil-

vissima quævis crimina committendi, discrimine, nec multis obnoxius infirmitatibus, tentationibus, inordinatis animi motibus, dubiis, timoribus, aliisque id genus miseriis sit, quæ illum cogunt sibi displicere, & cum Apostolo gemebundum exclamare, (*Ad Rom.* 7.) *Infelix ego homo.* Præterquam quòd, quantacunque demum illius sanctitas sit, haudquaquam virtutis suæ partus est, sed munus gratuitum à divina ipsi liberalitate impertitum, cujus laus non ipsi, sed DEO debeatur. Et sanè felicem te, si dilucido, exactóque mentis visu hanc veritatem perspexeris. Quot, quàmque præclaros indè colliges fructus? Colliges primò sapientem terrenæ omnis gloriæ, atque æstimationis contemptum, tanquam rei vanissimæ, neque ullum habentis fundamentum, præter illius, cui defertur, nihilum, illiúsque, à quo defertur, errorem. Cùm enim divini Verbi oraculo definitum sit, (*Luc. 18.*) ***Neminem bonum esse***, (propria nimirum bonitate præditum) ***nisi solum DEUM***; cúmque omnibus constet, gloriæ, atque honoris vectigal nemini jure ob alienam, sed ob propriam tantummodo bonitatem persolvi; palàm sanè hinc consequitur, gloriam, atque honorem nemini posse, præterquam DEO

rite, & convenienter deferri. Quapropter, pro eo ut invideas alienis laudibus, aut inaniter glorieris de tuis; utraſque deridebis, ceu imaginem quamdam officiorum, quæ duo jumenta ſcabendis mutuo affrictu ſuis ulceribus, atque ſordibus ſibi invicem præſtant, dicens tecum: apage has hyperbolas, hæc mendacia, has ironias, has officioſas ludificationes, has laudes denique, quæ uni propriè magno, propriè ſapienti, propriè ſancto, propriè bono, perfecto, & beato, DEO nimirum jure conveniunt, extráque illum nihil aliud ſunt, quàm ſplendida defectuum incruſtatio, quàm ſpecioſa miſeriæ velamina, quàm circumpoſitæ nihilo phaleræ. In calamitoſo, abjectóque ſtatu jacenti mendiculo, putà ſeminudo, aut leproſo ulceribus cooperto, nihil majus præſtare, & convenientius humanitas poteſt, quàm ut pia eum miſeratione proſequatur, & amicis juvet ſubſidiis. Ulteriùs progredi ad extollendam illius conditionem titulis illuſtribus, & quàm fortunatorum hominum propriis, tam miſero gravibus, haudquaquam honorare, ſed irriſui, & ludibrio habere illum foret. Colliges præterea ſimilem alterum, nec minoris pretii fructum, pluris ſcilicet ſemper facere, quid de te DEUS, quàm

quid

quid homines sentiant, imò nihili horum omnium judicia præ judicio illius pendere: adeò ut manifestæ insaniæ specimen putes, aliquid ab ipso improbandum facere, quantiscunque id acclamationibus universi mortales celebraturi sint, non aliter atque insanum putares, qui nîl pensi haberet, maximi Regis æstimationem, benevolentiámque amittere, dummodo infimis illius servis placeret. Colliges tertiò libertatem animi à servili quovis respectn, & timore hominum, cujuscunque ii conditionis, locíque sint, & quantacunque seu dignitatis, seu doctrinæ, seu sanctimoniæ præstantiâ supra se emineant. Adeò ut securè, fidentérque cum summis quibusque mortalium congrediaris: memor scilicet, nihil eos tandem aliud, quàm homines esse, plurimis pro communi naturæ suæ lege, quà corporis, quà animi necessitatibus, vitiis, defectibus, intemperiis, atque ærumnis subjectos: nec posse propterea ullo in genere tantùm excellere, quin etiam tum abjecti, egeni, imperfecti, atque infirmi esse pergant, dignioréque, quorũ misereâre, quàm quos timeas: præsertim si coram DEO illos spectes, in cujus præsentia omnis creatæ cujusiibet rei inter alias magnitudo, atque excelsitas continuò e-

vaneſcit, omnéſque remanent æquè humiles, æquè parvæ, ac ſimiles nihilo. Quartus, quem indidem colliges, fructus fuerit, parùm de te ipſo, déque aliis hominibus, & ſeu de tuis, ſeu de illorum prærogativis cogitare: dedignando curioſiùs indagare, quidnam in orbe terrarum novi contingat circa magiſtratuum creationes, bellorum eventus, & temporalia id genus negotia, tanquam circa res nihilo majoris ad cognoſcendum momenti, & ſciſcitatu digna, quàm ſint fervidæ duorum canum de projecto oſſe pugnantium rixæ, aut ſeduli paſſerum in ſuis nidis fabricandis labores, aut ſoliciti formicarum ad hyemalem annonam in ſubterranea ſua horrea convehendam diſcurſus.

4. Tertiò, à rerum creatarum genere ad te ipſum conſiderationem deflectens, quid ipſe nominatim ſis, quámque inops, vilis, & miſer, perpende: tum quia naturales tuæ quà corporis, quà animi dotes curtæ admodum, mancæque ſunt, vel præ aliorum complurium in iiſdem præſtantia, nedum præ infinitè majori amplitudine, & perfectione, ad quam novis ſemper incrementis poſſent pertingere: tum quia neque hæc ipſa qualiſcunque earum ſupellex bonum propriè tuum eſt, & de quo

ul-

ullum gloriandi jus habeas, ſed merum DEI opus, & donum: qui veluti ex gratuita ſua liberalitate illud tibi impertivit, ſic poteſt, quandocunque libeat, te eodem ſpoliare, & penitùs vacuum relinquere: tum quia hæc tam tenuis boni, & quidem alieni particula, longè majorem adjunctum ſibi habet malorum, & miſeriarum cumulum, cujuſmodi ſunt hinc mœrores, curæ, anxietates, iræ, timores, aliæque id genus ægritudines, quæ animum tibi aſſiduè perturbant; indè morbi, imbecillitates, dolores, elementorum injuriæ, caſuum adverſa, aliæque vexationes, & moleſtiæ, quæ corpus continenter affligunt: tum denique, quia hiſce naturalibus, & præſentis duntaxat vitæ malis, alia ex morali tua pravitate accedunt quàm plurima, & tantò gravioris momenti, quantò potiorem hominis vitam afficiunt: ſumma videlicet in vetitum quodvis nefas propenſio, par ad rectè agendum imbecillitas, & ſocordia, tot inordinati, & perduelles rationi motus, qui nullo non tempore jam hi, jam illi in tuo corde excitantur, tot culpæ, quibus nullo non die DEUM offendis, animæque integritatem cõmaculas: nullúmque eſſe tam extremi ſceleris genus, in quod non aſſiduè pericliteris prolabi, nec poſſe un-

unquam tibi certò constare, amicúsne DEI, an inimicus sis, númque æterna, in cælo felicitas, an sempiternus apud inferos luctus te maneat. Quæ omnia postquam sedula consideratione perpenderis, argue illinc, quàm humili, submissóque animo ante infinitam DEI Majestatem versari debeas: non aliter te coram illo, quàm ùt vermiculum, quàm ùt lutum, quàm ùt ipsum merum nihil spectando, firmissiméque statuendo, consentaneum rationi, & æquitati esse, ut eum, non intrà quemcunque modum, sed infinitè pluris pendas, plúsque ames te ipso: imò ut neque ullo pacto te ipsum pensi habeas, & ames, nisì quamdiu cum eo non compararis: ubi verò ad comparationem hujusmodi ventum sit, omnem tui memoriam, sensum, curam, cogitationémque illico exuas, & à te ipso in eum transferas. Quam veritatem nimiùm quanti interest, probè intelligere, penitúsque insculptam animo habere. Necessarium siquidem fundamentum est summæ illius erga Deum charitatis, qua impellente sancti viri non solùm pleniſſimo cum assensu excipiunt, quidquid contra suas præsentis vitæ rationes DEO ità decernente evenerit, omnibus suis emolumentis, & commodis illius voluntatem præ-

ha-

habentes ; verùm etiam promptissimè eligerent, avernalibus potiùs flammis per totam æternitatem cruciari, quàm feciſſe unquam, vel facere, quod ipſi diſpliceat: minoris mali locò graviſſimum illud ſuum, æternúmque ſupplicium, quàm vel minimam ipſius offenſam ducentes: utpote qui perſuaſiſſimum habeant, DEUM pro infinitæ ſuæ naturæ excellentia eſſe abſolutiſſimum totum, nos verò entia creata, ſi ex adverſo illius ſtatuamur, contemptiſſimi nihili ſpeciem referre: nec propterea ulla in æſtimarione ponendum, quidquid mali evenire poſſit huic nihilo: dummodo plenè ſatisfiat infinito illi toto.

5. Quartò conſidera, te, quamvis per te ipſum ità pauper, abjectus, minimíque pretii, & nihil propemodũ ſis; non tamen ullam juſtam cauſam te habere expoſtulandi, ac dolendi, ſed amandi potiùs tuam ſortem, téque affatim divitem, & præclarum, ac felicem vocandi. Tanta quippe DEI erga te bonitas eſt, ut te ultro ad ſui ipſius, ſuorúmque omnium bonorum participationem invitet. Unde pro arbitratu tuo potes immenſis illius opibus quamcunque egeſtatem depellere, omnipotenti illius virtute quamcunque infirmitatem ſupplere, affluentiſſima illius beati-

tu-

tudine cuivis miseriæ mederi: evadens in eo nobilissimus, si in te es vilis; in eo ditissimus, si in te es inops: in eo potentissimus; si in te es debilis: in eo paulò penè minus, quàm Deus, si in te paulò major es nihilo. Ità prorsus: quàm miser,& contemnendus est homo, ubi per se ipsum spectatur; tam felix, magníque pretii, ubi attenditur conjunctus DEO. Hæc conjunctio nova quodammodo est illius, meliórque natura, ad hanc veluti à DEO omnes vocamur; sic & omnes pervenire adjuvante illo possumus. Per hanc consequimur, ut ille, ***Bonum bonorum omnium***, fiat nostrum bonum, noster census,nostra possessio. Quod cùm ità sit, quisnam futurum unquam putâsset, ut homo, animal naturâ adeò inops, adeò infirmum,adeò alienæ opis egens, quíque tam assiduus in deploranda hac conditione sua est, pro eo ut quæreret viis, & modis omnibus amicam copulationem cum DEO, hoc est cum ipsamet summa opulentia, virtute, ac felicitate, eam potiùs licèt ultro sibi oblatam aversaretur, fastidiret, respueret? Et tamen adverte sis, quàm id videri obvium inter homines sit, quámque frequens eorum turba occurrat, qui pro eo ut impendant se totos supremo illi bonorum omnium Authori, ut per

omni-

omnimodam hanc sui dedicationem, ipsum quoque totum vicissim suum faciant; nullâ ipsius curâ tanguntur, quin & ultro occurrentem à se abigunt: *Dicentes DEO, recede à nobis: & quasi nihil possit facere Omnipotens, æstimant eum.* (*Job. c.* 22.) Portentum sanè stoliditatis nusquam alibi auditum, nec minùs à fide absonum; quàm si quispiam frigore semienectus negligeret ad proximum ignem accedere: siti exustus obvios gelidi fontis latices sperneret: infensissimísque ab hostibus circumventus, mallet eorum mucronibus confodi, quàm oblato fideliſſimi amici auxilio servari. Admirare phrenesim tantò prodigiosiorem, quantò magis communem, ínque plures vulgatam, & quàm firmissimum in tuo animo decretum concipe, nunquam pravè adeò rebus tuis consulendi, ut, cùm nihil boni à te habeas, emendicare illud malis à rebus creatis, quæ non minùs, ac tu eo indigent, quàm apud maximum Conditorem tuum quærere: qui unus omne est tum suum, tum aliorum bonum: unúsque idcirco divites reddere, ac beatos potest, qui sub clientela illius vivunt, qui se illi per amoris fœdus conjungunt. Dic ergo illi, sed cum intimo animi sensu: Et quò tandem verti ego possum pauperculus,

&

& miſer homuncio, mille oppreſſus neceſſitatibus, mille vitiis, & defectibus ſcatens, mille ærumnis confectus, mille circumventus periculis inveniendæ opis, & ſalutis causâ, nisi ad te DEUS, ad te, inquam, meum Dominum, meum tutorem, ac vindicem, meam ſpem, meam fortitudinem, meum theſaurum, meam perfectionem, meam felicitatem, meum ſummum, atque unicum bonum? Nuſquam certè aliò; *ſpes nulla ulterior.* Quocunque extra te oculos tendam, ſive ad me, ſive ad homines, ſive ad alias tes terrenas; nihil ibi intueor, nisi paupertatem, nisi miſeriam, nisi perturbationum, & inquietudinum cauſas. *Vidi in omnibus vanitatem, & afflictionem animi* (*Eccl. 2.*) Unus tu es totius boni fons, unus principium, & fulcimentum omnium, quæ extra te ſunt. A te uno accepi, ut ſim, nec aliunde poſſum aſſequi, ut bonus, ac felix ſim. Unus tu mihi ad perfectam beatitudinem in poſthuma æternitate ſufficies: unúſque ad eandem etiam in præſenti adhuc ſæculo, quantùm fas eſt, anticipandam, potes ſufficere. *In manibus tuis ſortes meæ. Tu es fortitudo mea, & refugium meum. Oculi omnium in te ſperant, Domine, & tu das illis eſcam in tempore opportuno: aperis tu manum tuam, & im-*

ples

ples omne animal benedictione. Omnia in te uno habentes, te non debuimus dimittere à nobis. Quærant igitur, quibus ità cordi est, in terrenis opibus, in præclara sui æstimatione apud homines, ínque sensuum deliciis, & genii oblectamentis sui animi gaudium. Coacervent, quantùm possunt, bonorum mortalium ad suam indè sibi extruendam beatitudinem. O cæcos, ô miseros, ô totius consilii, atque mentis expertes! cùm non intelligant, quod cæteroqui tam evidens, ac necessarium scitu est, nullum, præterquam in te verum bonum, nullam posse sinceram lætitiam, & solidam reperiri quietem. Quantum ad me attinet, meridiana luce clariùs perspicio, nihil esse aliud tecum, quàm cum unica nostrarum animarum perfectione, & felicitate conjungi: neque idcirco posse hominem impensiùs se amare, & rationibus suis meliùs consulere, quàm si tuo totum se amori, & obsequio devoveat. Quare totus esse posthac tuus volo, totus à te uno pendere, totum in te uno constituere, & à te uno expectare meum bonum. *DEUS meus mihi, & ego illi.* Ego fidelis illius servus, ille meus adjutor, meus thesaurus, mea beatitudo. Ità esto, ità futurum confido, *Amen.*

CAPUT XX.

Proprium esse hominis, qui DEUM intimè amat, de illo in quibuslibet suis sermonibus loqui.

HAbet hoc à natura omnis vehementior affectus, ut intrà cordis penetralia contineri tacitus nequeat, sed per oris aperta objectum suum sonans foras prorumpat, idque ex duplici capite: primò nimirum, quia, cùm sermo sit vocalis quædam interiorum animi sensuum pictura, nec ullas ferè animus, dum ab objecto aliquo vehementer commovetur, nisi de illo cogitationes volvat; necesse profectò est, ut, si quid sui per verba vult exprimere, has exprimat. Secundò, quia affectus, quos in corde concipimus, vel jucundi sunt, vel tristes: & utrisque grata esse commoratio objecti sui solet. Grata est primis, quia per eam vividior fit in animo, illúmque consequenter plùs afficit objecti delectabilis species. Nec minùs grata est alteris, quia mœrorem suum loquendo aliis impertiens, illo se quodammodo exonerare animus videtur, respirátque à cordis pressura, qua se angi ex-

experiebatur, dum eum intrà se clauderet. Hoc porrò, quod in quibusvis affectibus evenire generaliter solet; multò magis in amore eorum omnium principe evenit, tanquam in eo, qui præter communes modò dictas rationes duabus sibi propriis incitatur ad crebrò, & libenter de suo objecto loquendum. Prima est, quia, cùm amare aliquem idem juxta Philosophum sit, ac velle ipsi bona, amans aliquem inter cætera, quæ illi optat, bona, illius quoque notitiam, gloriámque optet, necesse est. Quare ad eam in omnibus excitandam præclara illius decora ubique, & apud omnes commemorat. Ratio observata à Plutarcho, ubi scripsit: (*L. 1. Symp. qu. 5.*) *Cùm dilectos amatores sui libentissimè videant, non minùs libenter laudant. Et amor alioqui in laudando verbosissimus est. Nam qui amant, cùm sibi ipsis hoc persuaserint; tum aliis persuasum volunt, pulchros à se, & bonos amari.* Altera ratio est, quia juxta sanctorum Augustini, & Thomæ doctrinam, (*Aug. L. 11. de Civ. c. 28. S. Th. 2. 2. qu. 25. a. 2.*) proprium est quempiam amantis, simul cum illo illius quoque amorem amare, eáque omnia velle, & quærere, unde hic augeri consuevit: cujusmodi est inter alia de egregiis objecti amati dotibus loqui, tum

propter expreſſiorem harum imaginem, quæ inter loquendum de ipſis concipitur; tum propter incrementum vigoris, quod omnis affectus, eventilatæ inſtar facis, ab externis ſuis actibus ducit: idque potiſſimùm, quando amans cum aliis eodem amore ſuccenſis colloquitur. Tum enim glomerantibus ſe intrà uniuſcujuſque cor, tanquam multis in eodem foculo prunis, plurium cordium affectibus, uniuſcujuſque amor, alienorum vi æſtuum, ſuos æſtus congeminat: *Invicem ſibi loquuntur*, (ſcribit Auguſtinus) *& quaſi incenſi ſingillatim faciunt unam flammam: & ipſa una flamma facta ex collocutione ſeſe incendentium, rapit illos.* (*In Pſ.* 121.)

2. Cùm ergo innatum cuique amori ſit, de nulla re jucundiùs, quàm de objecto ſuo loqui, dubitari minimè poteſt, quin talis quoque ſit natura, & propenſio nobiliſſimi inter omnes amores, nimirum divini: adeò ut qui ſacro ejus igne medullitus flagrat, DEUM continenter in ore habeat, *eructans* in obvios quoſque *verbum bonum*, nec nisi de eo loquens cum aliis, de quo uno intrà ſe cogitat. Sicnim ſpongia, balſamo pleniſſimè imbuta, nihil poteſt, ubi comprimitur, præter balſamum fundere; quonam pacto anima divini tan-

tantummodo affectibus, & cogitationibus plena alias queat, nisi divinas voces depromere? Uti rerum terrenarum amatores non nisi de terrenis rebus loqui sciunt, (*Joa. 1. c. 4.*) *De mundo sunt, ideo de mundo loquuntur*; Sic DEI amici nihil præter ipsum amantes de nulla re verba nôrunt facere, nisi de ipso. Nè mireris, inquit Augustinus, dum à Regio Propheta audis, beatos cæli cives sinè ulla fatigatione, & satietate *in sæcula sæculorum laudaturos DEUM*. Manifesta, ínque promptu est rei ratio: nullum facturi sunt finem laudandi, quia nullum finem facient amandi. *Securi simus, fratres, non nos satiabit laus DEI. Si deficias ab amore, deficies à laude. Si autem amor sempiternus erit, quia illa insatiabilis pulchritudo erit; noli timere, nè non possis semper laudare, quem poteris semper amare.* (*In Ps. 83.*) Denique hæc est Spiritûs sancti fœcunditas, & hoc, ut ità loquar, mutuum officium, quod divino ille verbo pro activa spiratione sui reddit: producens illud saltèm *ad extra* per generationem temporariam in ore hominum, quemadmodum per emanationem æternam ab eo *ad intrà* procedit. Unde etiam sacro Pentecostes die superfundens se Apostolis linguarum imaginem sumpsit: perinde quasi indicare hoc signo vel-

let, eos, qui DEI spiritu, & amore afflantur, cælestem simul linguam ad sonandas DEI laudes acquirere, prout confestim videre in Apostolis licuit; qui, posteaquam *repleti sunt Spiritu sancto*, (*Vid. Act. 2.*) *cœperunt loqui magnalia DEI*: idque tam ardenter, ut multi audientium *eos musto plenos* arbitrarentur: adeóque tacendi impotes, ut, cùm à Principibus Synagogæ vetiti essent JEsum prædicare; haud liberum sibi esse responderint, ab hujusmodi prædicationis officio desistere. *Non enim possumus, quæ audivimus, & vidimus, non loqui.* (*Act. 4.*)

2. Hoc itaque constituto, da mihi linguam, quæ nunquam ab humo se attollat, de DEO penitùs sileat, nihil nisi profanum loquatur; quinam persuadere mihi possum, illam esse linguam è cælo delapsam, linguam hominis Spiritu sancto pleni, & divino amore flagrantis? Sanctus Laurentius Justinianus nunquam certè in animum inducet id credere, cùm hanc esse affirmet hominis DEUM vere amantis notam, de DEO *libenter loqui*: subdens, *Nam hic amantium mos est, ut amorem suum silentio tegere nequeant.* (*In Lign. Vit. de Char. c. 11.*) Imò neque ullus id sibi existimabit credendum, qui illud divini Verbi oraculum au-

di-

dierit, ubi pro argumento ad dignoſcendum, qualis ſit homo, illius deſignatur loquela: (*Joa. c. 3.*) *Qui eſt de terra, & de terra loquitur. Quem miſit DEUS, verba DEI loquitur.* Inter cor, & linguam eadem intercedit, quæ inter fontem, ac rivum proportio: cùm neque rivus alios ferat latices, quàm à fonte acceptos; neque lingua in alias voces erumpat, quàm quæ ſibi ſuggeruntur à corde. Unde, quàm manifeſtò apparet, neutiquam poſſe dulcem eſſe, ac limpidum fontem, è quo ſalſus, cœnoſúſque effluere rivus cernitur; tam extra omne dubium eſt, haud poſſe cor hominis divinis eſſe affectibus plenum, cujus lingua non aliis, quàm vanis, terreníſque ſermonibus ſcatet. Ut certò poſſimus ſtatuere, bonáne, an mala arbor ſit, jubet nos cæleſtis Magiſter obſervare, quales, bonóſne, an malos proferat fructus? (*Luc. 6.*) *Unaquæque enim arbor ex ſuo fructu cognoſcitur*: ſubjiciens paulò poſt ad ſignificandum, quid ſpeciatim hoc exemplo indicatum velit, *ex abundantia enim cordis os loquitur.* Si vis itaque, divino te amore ſuccenſum penitùs credam; proprios mihi exhibe hujuſce amoris fructus, videlicet verba, quæ ille ori conſuevit dictare. Ità, inquam, verba exhibe: quando hæc nihilo minùs,

nùs, quàm ipſamet facta, imò etiam, ſi Plutarcho credimus, (*In Proœm. Apoph.*) ipſiſmet luculentiùs factis, hominis indolem, moréſque, & inſtinctus declarant. Quem in quotidiana cum hominibus conſuetudine non nisi de profanis rebus confabulantem audiam, multò minùs exiſtimare DEO plenum potero, quàm pro vite habere poſſim plantam, nihil præter lappas gignentem: cùm alieniores multò à divini amoris natura vani illi ſermores ſint, quàm à vitis feracitate infructuoſa hæc germina abhorreant.

4. Qui ex toto corde aliquem amat, quemadmodum nihil præter eum in mente habet, ſic nec aliud habere poteſt in ore. Et DEUM eſſe unicam tuarum cogitationum materiam dicemus, cùm circa alia omnia tuæ confabulationes verſentur? Amor, quàm gaudet objecti ſui meminiſſe, tam omnibus ſtudet modis expreſſam in animo illius memoriam fovere: ſciénſque, nihil huc magìs, quàm crebros de illo ſermones conferre; nullam horum occaſionem non avidè arripit. Cúmque nulla in familiaribus colloquiis, & quotidianis ſermonibus DEI mentio à te fiat; perſuaſum mihi vis, vehementer erga illum te affici, & recordatione illius delectari? Præter-

terquam quod, quid minùs ſibi congruens, quàm DEI amatorem te venditare; & tamen nullam illius notitiæ, atque æſtimationis propagandæ inter homines curam gerere; ut ea de cauſa te pigeat, non dicam ſudores, & ſanguinem, ſed vel ipſum, quo nihil eſt levius, vocis ſonum impendere? Ah non iſte, inquit Chryſoſtomus, hominis DEUM enixè amantis mos eſt. Nempe is uſque adeò ſui, & communis Domini gloriam cordi habet, ſitítque; ut quietem habere nequeat, ſi vel ab uno quopiam mortalium ignorari illum viderit: centúmque idcirco ſibi linguas ſuffici optaret, quo incomparabilia illius decora prædicare pluribus poſſet, & omnes, quoſcunque alloquendi facultas daretur, ad eum pro infinito ſuo merito colendum, atque amandum inducere. (*Chryſoſt. in Pſ.* 148.) *Hoc eſt animi valde incenſi, hoc ardentis amoris, omnes excitare ad laudandum eum, qui amatur. Hoc animi, qui magnam aſſiduè capit voluptatem ex* DEO, *qui ſtupet, & miratur ejus gloriam.* Scíſne, quis Deum ex toto corde amaverit? Amabat Ignatius de Loyola, (*Nolar. Comp. Vit. c. 18. & 20.*) qui germani nominis locò exprimi, ac diſtinqui hoc elogio ſolebat, Vir ille, qui cælum ſemper ſuſpicit, & de DEO ſemper loquitur:

neque contentus, divini amoris scintillas per se ipsum in corda omnium, quibuscum congrederetur, disseminare; idem faciendum commendabat suis omnibus, quos hac illac per orbem terrarum dimitteret, breve hoc profecturis monitum suggerens: *Ite, incendite, & inflammate omnia.* Amabat similiter Petrus Faber, primus inter ejusdem Ignatii Socios, qui, quasi novum *vas electionis*, DEI Nomen longè, latéque per nobilissimas Christiani orbis provincias circumtulit, usque adeò ubique illud omnibus, magnis, parvis, notis, ignotis, Principibus, & privatis annuntians, ut scribere de illo Petrus Canisius potuerit, (*Orland. in vita L. 1. c. 13.*) *Nullum ex illius ore verbum, sive in usu, familiaríque congressione, sive dum mensæ accumbit, prodire audio, nisi quod DEI honorem, & pietatem sonet.* Hos, aliósque hujus notæ DEI famulos imitari cures, *testificans minori, & majori* (*Act. 26.*) summam DEI magnitudinem, & rite implens, quod eidem se facturum pollicebatur David in eo Psalmi 21. versiculo: *Narrabo Nomen tuum fratribus meis, in medio Ecclesiæ laudabo te.* Tunc enim *exaltationes DEI in gutture habens*, credi poteris, illius quoque te charitatem in corde habere. Nam cæteroqui amor mutus porten-

tenti genus est, non minùs novum, & incredibile, quàm esset fulmen sinè sono, & sinè ullo strepitu emicans.

5. Neque solùm silere de DEO, sed frigidè itèm, & quasi de aliena, vel tenuis pretii re loqui, amoris defectum indicat. Quemadmodum enim proprium est quorumvis affectuum, per verba in apertum exire, sic, quando concitati, & vehementes sunt, fieri non potest, quin magna cum vi, & rapido impetu exeant: ritu scilicet fluvii, qui, aggerum repagula eluctatus, quantò majori tumet aquarum mole, tantò violentior exundat: vel ingentis flammæ instar, quæ angusti cavi conceptaculo inclusa circumjectos libertati suæ obices haudquaquam placida, & silens, sed immani cum fragore perrumpit. Nemo equidem altè irâ, vel dolore commotum arbitrabitur, qui sedata voce, tranquillo vultu, & comunibus verbis de facta sibi injuria queritur. Sed dicet illi, ceu quondam Tullius remisso, frigidóque Oratori, (*Val. Max. L. 8. c. 10.*) *Tu istud, nisi fingeres, sic ageres*? Non ità affectus loquuntur. Alia est hominis intimè exæstuantis oratio. Tunc ignescit vultus, scintillant oculi, totum corpus agitatur, & ex ore non tam verba, quàm tonitrua prodire

ire audiuntur. Breviter : talis ibi est sermo, qualem Poëtæ, veri imitatores, personis attribuunt, iratis, dolentibus, aut alia vehementi perturbatione incitatis : sermo nempe acer, vividus, effervescens, penitúsque affectu illo imbutus, à quo linguæ suggeritur. Ostendit id non illepidè Græcus Orator nescio cui, qui colapho ictus suam ipsi causam contra nefarium percussorem in judicio agendam detulerat. Audiens quippe, suam id genus contumeliam non minùs pacatè ab eo exponi, quàm si alteri cuivis illata esset, quo hominem à torpore illo animi expergefaceret. Atqui ô bone, respondit, nihil hìc injuriæ tibi factum agnosco. Cúmque ille hac responsione acriùs, quàm accepto antea colapho irritatus : itáne, vociferaretur, nihil injuriæ sit, ingenuum, honestúmque hominem ità cæsum fuisse? Pergerétque ardentibus verbis rei indignitatem exaggerare, nè plura subjecit. Satìs jam persuasisti, te injustè pulsatum, dum talem loquendo te exhibes. (*Plut. in vit. Demost.*) *Audio vocem injuriam passi.* Quæ cùm ità se habeant, haud satìs existimandum tibi est, si in familiari cum hominibus consuetudine DEUM habeas pro loquendi materia: sed tanto etiam cum ardore animi de eo loqui de-

debes ; ut, quiſquis colloquio tuo intereſt, dicat: *Audio vocem amantis.* Debent verba, quæ de illo facis, non in extremis tibi labiis naſci, ſed ex imo corde prodire, adeò ut poſſis cum Pſalmiſta dicere: (*Pſ. 44.*) *Eructavit*, non utique os meum, ſed *cor meum verbum bonum.* Debet tua lingua, dũ laudes illius ſonat, talis eſſe, qualem, teſte Plinio, (*L. 9. c. 27.*) piſcis Lucerna ſortitus à natura eſt, qualémque in magni Baſilii ore ſanctus Ephrem aſpexit, (*Sur. in V. S. Baſ.*) lingua nempe ignea: ut ſuccenſi ab ea, qui te audiunt, profiteri poſſint, quod de ſe profitebantur duo illi auditores Chriſti, (*Luc. 24.*) *Nónne cor noſtrum ardens erat in nobis, dum loqueretur?* Debet poſtremò (ut rem paucis concludam) omnis de illo tuus ſermo eſſe, qualis à D. Paulo deſcribitur, (*Ad Hebr. 4.*) *Sermo vivus, & efficax, & penetrabilior omni gladio ancipiti*: adeò ut in audientium animis non modò, ceu de Periclis ſermonibus proditum eſt, (*Val. Max. L. 8. c. 9.*) *Quoſdam quaſi aculeos relinquat*; ſed vulnere altiùs impacto, magiſque ſalubri, & vitali, *pertingat uſque ad diviſionem animæ, ac ſpiritûs, compagum quoque, ac medullarum.* Alioquin, ſi iners, languénſque, & oſcitabundus fuerit, ipſomet manifeſtiùs ſilentio divini in

te

te amoris tenuitatem probabit. Cùm pluribus aliis causis adscribi possit, quòd de aliquo interdum taceatur ; sed non nisi ad benevolentiæ, amorísque defectum referri possit, si languidè, & somniculosè de eo verba fiant: juxta verissimam Favorini sententiam, qui affirmabat, (*Gel. L. 19. c. 3.*) *Turpiùs esse exiguè, & frigidè laudari, quàm graviter, & insectanter vituperari.* Ah non est, non est DEUS tale objectum, ut cum nullo, aut perlevi sensu agendum de eo sit, prout de quopiam fieret Indorum, vel barbaræ alicujus gentis Rege nobis prorsus extraneo: sed Dominus est tantæ amabilitatis, intiméque adeò nobis conjunctus, ut vel brevissima, & fortuita illius mentio ad nos penitùs ejusdem amore inflammandos deberet sufficere. Quemadmodum eveniebat D. Ignatio Loyolæ, (*Bart. Instit. L. 4. n. 28.*) qui, cùm DEUM tantummodo nominaret, nedum ubi ex professo de infinitis illius perfectionibus sermonem haberet; videbatur flam̃eam fornacem ingressus; tam perspicua confestim in vultu efferveſcente apparebant succensi penitùs animi indicia. *Quid paleis ad triticum, dicit Dominus. Numquid non verba mea sunt, quasi ignis, & quasi malleus conterens petras?* (*Jer. c. 23.*)

6. Quan-

6. Quandoquidem igitur profitemur, DEUM à nobis amari, *ex toto corde, ex tota anima, & ex omnibus viribus noſtris*; loquamur de illo *opportunè, importunè*, cum omnibus, quos habere obvios contigerit: loquamúrque cum ea delectatione, alacritate, & facundia, quæ fervidè amantium propria eſt, quámque argumentum tam amabile exigit. Quemadmodum ipſi cor conſecravimus, ità conſecremus & linguam. Qui unicum eſt noſtrarum cogitationum objectum, unica itèm noſtrorum ſit ſermonum materies; adeò ut hi omnes de ipſo, vel de rebus ad ipſum pertinentibus agant: non verò ùt ſcribit Chryſoſtomus, *de inanibus, & ſupervacuis, cujuſmodi ſunt: Quis magiſtratum gerit? Quis magiſtratu abiit? Qua de cauſa hic multatus ſit: unde ille tantum lucratus: quid ille huic moriens reliquerit: ac multa alia his ſimilia.* (*Or. in Kal. tom.* 5.) Cæli, eò quòd proprium DEI habitaculum ſint, nîl præter illius laudes ſonant: nec alios reddi concentus ab iis animabus par eſt, quas idem DEUS per amorem ſuum incolit, próque terreſtri regia ſua habet. Reſpondeamus profanis hominibus, ſi quando nos conveniunt, prout olim D. Bernardus magno præſuli, à quo variæ ſibi propoſitæ quæſtiones fuerant: (*Prol. de*

de Dilig. Deo.) *Ad id solum, quod de diligendo* DEO *quæritis, respondebo. Hoc enim & sapit dulciùs, & tractatur securiùs, & auditur utiliùs. Cætera diligentioribus reservate.* Si de divinis rebus acturi huc veniſtis, felix, fauſtúſque adventus veſter ſit: ſin verò inanibus fabulis, & nugis tempus otiosè extracturi, divertere hinc aliò poteſtis. Illud quippe idiomatis genus peregrinum hìc omnino eſt, atque extraneum. Nè multa: converſationis noſtræ ſanctitas omnibus palàm teſtetur, quod de ſe profitebatur Apoſtolus, dum ad Corinthios ſcriberet, (2. *c.* 2.) *Non judicavi me ſcire aliquid inter vos, nisì* JEſum *Chriſtum:* nimirum neſcire nos loqui, nisì de DEO, de infinitis illius perfectionibus, déque rebus ad illius obſequium, & amorem ſpectantibus. Unde nemo nos adeat, nisì audiendorum hujuſmodi acroamatum deſiderio inductus: & nemo à nobis abeat, nisì plenum prædicti deſiderii ſui pabulum nactus: juxta id, quod de S. Honorato in vita ejus proditur. (*cap.* 3.) *Honoratum expetiit, quiſquis Chriſtum deſideravit: & planè Chriſtum, quiſquis Honoratum expetiit, invenit.* Rectè D. Tereſia Carmelitanas ſuas, omnémque in iis amantem DEI animam alloquens: *Nôrunt jam*, inquit, *mundani homines, ſanctiorem vos vitam*

tam profiteri, neque alios, nisi de ea sermones miscere. Hoc vestrum idioma est. Quisquis externorum agere vobiscum vult, hujus sibi usum paret. Alioquin cavere etiam, atque etiam oportet, nè vos contra illius linguam, quæ avernalis lingua est, addiscatis. Si vos despicient, quasi rusticas; minimi refert, si, quasi hypocritas, adhuc minoris. Grande hinc assequemini lucrum, ut nè quisquam, nisi vestræ gnarus linguæ, ad vos invisendas accedat. (*In Itin. Perf. c.* 20.)

7. At nonnullos audire hìc mihi videor, qui, cùm sibi persuadeant, & persuasum esse aliis cupiunt, DEUM à se toto pectore amari, fucatis rationibus studeant à contrarii nota purgare confabulationes suas, alioqui omnino profanas, nec nisi in argumentis futilibus, nugísque, & facetiis sinè ulla propemodum DEI mentione occupatas. Tuentur se igitur quidam honestæ relaxationis prætextu: causantes ità se confabulari ad sublevandam aliquatenus mentem, quæ totius diei spatio seriis intenta quà studiorum, quà rerum divinarum cogitationibus, eget indè paulisper avocari ad jucundiores materias. Vanissima excusatio, quáque sui erga DEUM amoris tenuitatem, dum conantur obtegere, manifestiùs declarant. Cùm enim, qui enixè, fla-

grantérque amat, nullam habeat jucundiorem, quàm objectum à se amatum, colloquendi materiam, in nullis aliis, quàm divinis colloquiis plus jucunditatis reperiet. Fateor enim verò, mentem seriis diu cogitationibus, studiísque occupatam aliquo levamine indigere; sed nego, ad levamen hujusmodi opus amanti esse, animum ab objecto amato in diversa traducere: cùm relevari abunde possit, si à solitaria solummodo, tacitáque illius contemplatione ad familiaria de illo habenda colloquia se transferat. Quam diversitatem non objecti, sed attentionis duntaxat ad idem objectum in quovis occupationum genere instar esse laxamenti, & quietis videmus: occurrentibus passim quàm plurimis, qui post fatigatam diutina carminum scriptione, vel Philosophicis speculationibus mentem remissionis locò habent, communicare per sermonem cum aliis, quæ investigaverint veri arcana, quæve scripserint carmina. *Videmus agricultores*, scribit Laurentius Justinianus, *cùm in unum coadunantur, repentè, & sinè tædio de iis, quæ agriculturæ sunt, sermocinari, artifices de artificiis suis, mercatores de suis mercimoniis, oratores de suis facultatibus confabulari. Proh dolor! soli* DEI *servi, quæ proprio congruunt statui, au-*

di-

dire, vel loqui non curant. (De Disc. & Perf. Mon. Conv. c. 22.) Idque satis valeret, quando etiam mentis fatigatio proveniret ex rerum divinarum contemplatione, ad plures continenter horas producta. Quòd si oriatur potiùs ex attentione, literarum studiis, vel externis negotiis, idque genus profanis objectis impensa; quonam pacto fieri potest, ut, qui vel mediocriter DEUM amat, post pleramque diei partem inter diversas ab eo cogitationes, atque curas exactam, pro novo labore, nec potiùs pro laboris solatio, & remissione animi ducat, illius sibi memoriam per sacra colloquia instaurare? Addo, (sive hoc nova ratio, sive major præcedentis confirmatio sit) cogitationes, quæ ad divinum amorem pertinent, quamvis seriæ sint, jucundissimas tamen esse, & ad animum potiùs oblectandum, quàm defatigandum valere: ut proinde per supradictam solummodo vicissitudinem jam eas tacitè nobiscum volutandi, jam voce aliis impertiendi, vel totius diei spatio continuari, nedum sinè ulla molestia, & lassitudine, verùm etiam cum voluptate animi queant.

8. Certè homines sancti, & divino amore flagrantes nunquam usi tam frivolis excusationibus sunt, neque post solidos dies in DEI

contemplatione traductos, refecturos meliùs se mentem, quàm sermonibus de eodem instituendis putârunt, similes mysticis illis Apocalypseos animalibus, ùt omni ex parte oculatis ad contemplandum, sic nunquam non vocalibus ad dilaudandum DEUM: quæ, teste D. Joanne, (*Apoc. c. 4.*) *Requiem non habent, die, ac nocte dicentia, sanctus, sanctus, sanctus Dominus* DEUS *omnipotens.* Nisi quòd, prout subdit Joannes Damascenus, hoc ipsum nunquam quiescere à cælestibus sui Domini laudibus, (*L. 1. de Fide c. 16.*) *Erat requies eorum.* Talis fuit sanctus David, qui miram suavitatem in verbo DEI reperiebat, ut exclamaret: (*Ps. 118.*) *Quàm dulcia faucibus meis eloquia tua? super mel ori meo.* Talis D. Hieronymus, ad Damasum Pontificem scribens: (*Ep. 124.*) *Neque verò puto, aliam digniorem confabulationem fore, quàm si de scripturis sermocinemur inter nos. Qua vita nihil puto jucundius: quo animæ pabulo omnia mella superantur.* Talis D. Catharina Senensis, (*Apud Rodr. p. 2. Tr. 2. c. 13.*) quæ nunquam fatigabatur loquens de cælesti suo Sponso, ut indè potiùs vigorem hauriret, & hoc esset remedium, ac levamen, quod sibi in morbis quærebat. Talis sanctus Præsul Remigius, de quo in vita ejus legimus;

(*Sur.*

(*Sur.* 1. *Oct.*) *Nullam illi ex omnibus curam propensiorem fuisse, quàm ut aut de* DEO *in lectione, & sermone, aut cum* DEO *in oratione loqueretur.* Tales antiqui Patres eremi, qui, quo sermonum genere ab assidua rerum æternarum commentatione animum recrearent, videre est apud Joannem Chrysostomum, sic eos describentem: (*Hom. 70. in Matt.*) *Non enim, quemadmodum nos alium Principem esse factum, alium principatu excidisse, cæteráque hujusmodi, quæ nihil ad nos pertinent, colloquuntur: sed de futuris semper philosophantur: & veluti alium, quàm nos, orbem inhabitantes, quasi in cælum translati, & ibi viventes; sic de cælestibus semper, de sinu Abrahæ, de coronis Sanctorum, de societate Christi disputant. Præsentium verò nulla ibi commemoratio est. Sed veluti nos nunquam, quid formicæ in cavernis suis faciant dicimus; eodem illi modo, quid nos faciamus, nolunt cogitare.* Neque dissimilia reliquerunt hoc in genere exempla, seu B. Scholastica, quæ non contenta, totum diem in spiritualibus cum fratre suo Benedicto colloquiis traduxisse; coëgit hunc, impetrato à DEO imbre, totam etiam, quæ subsecuta est, noctem, in iisdem secum pertexendis consumere: (*Greg. Dial. L. 2. c. 33.*) *Sícque factum est, ut totam noctem pervigilem ducerent, atque*

per sacra spiritualis vitæ colloquia sese vicaria relatione satiarent : sive Abbas Servandus, qui similis pabuli gratiâ ad eundem Benedictum ventitare, cúmque eo diu versari consueverat: (*lib. c. 35.*) nempe, *ut dulcia sibi invicem vitæ verba transfunderent, & suavem cibum cælestis patriæ, quem adhuc perfectè gaudendo nonpoterant, saltèm suspirando gustarent* : sive pius ille apud Cassianum Monachus, Machetes nomine, (*L. 5. c. 29.*) qui, si quando otiosè confabulantibus interesset, somno sibi caput prægravari experiebatur: contrà verò, ubi de divinis rebus haberentur colloquia, experrectus, atque alacer dies, noctésque in iis perdurabat. Sed lepidum memoratu, dignúmque coronidis locò hìc apponi est, quod duobus Monachis accidit. (*Rosw. L. 3. de vit. Patr. n. 6.*) Nempe horum alter, cùm ab altero officii, & benevolentiæ causâ conventus in cella esset, fraterna humanitate advenientem excepit: útque illum diem in hospitis gratiam lautum, hilarémque ageret, exiguam lentis ollam, genialis convivii caput futuram, igni apposuit. Priùs tamen, quàm cibum sumerent, placuit aliquid temporis sacrarum Literarum lectioni, & psalmis concinendis impendere. Qua in occupatione non reliquus

mo-

modò illis dies, sed tota etiam superveniens nox minimè præ interioris dulcedinis sensu advertentibus fluxit. Tunc enim cognito primum jam novi diei jubar illucescere, sermocinari invicem de divinis rebus aggressi sunt: eámque sermocinationem usque ad nonam ferè diei horam protraxerunt tanta cum voluptate, ut neutri redeunte in animum destinatæ refectionis memoria; hospes demum vale dicto sic jejunus, prout venerat, ad suam cellam redierit. Nec alter ante diei vesperam animadvertit, ollulam in camino etiamnum plenam, atque intactam perstare. Quapropter, cùm tam sapidum, & delectabile animabus DEUM intimè amantibus divini Verbi pabulum sit, ut eas etiam in necessarii cibi oblivionem adducat; promptum est cuique hinc arguere, num hujusmodi animæ ad relevandam mentis fatigationem opus habeant colloquiis profanis, vel, ut imperfectiores loquuntur, jucundis, atque amœnis vacare, perinde quasi verè amanti ulla offerri possit jucundior, atque amœnior, quàm objectum à se amatum, colloquendi materies.

9. Nihilominus, quia non in omnium spiritualium virorum pectoribus tam perfectus flagrat DEI amor; nec consilii mei est, in se-

cunda hac parte proponere, nisi quæ præstari ab omnibus facilè, & suaviter queant; dandum esse aliquid minùs perfectorum imbecillitati puto : neque à quovis DEI servo exigendam omnimodam illam loquendi sanctitatem, quam à Clarevallensibus Monachis Abbas Gilbertus exigebat, cùm scriberet: (*Serm.* 18. *in Cant.*) *Memento os tuum cælestibus oraculis consecratum. Sacrilegium putà, si quid non divinum, non de sancta Pagina sonet.* Præsertim verò, cùm à S. Thoma didicerim, (2. 2. *qu.* 168. *a.* 2.) inter alias virtutes unam quoque existere, Eutrapeliam nomine, cujus sit tempestiva jocorum, & salium festivitate familiaria colloquia condire : ídque confirmatum videam plurium exemplo, qui, licèt eximia sanctitatis laude eminerent, non tamen dissentaneum huic putaverunt, de materiis nonnunquam indifferentibus confabulari, & lepida quapiam narratione, vel joculari dicto modestum sibi, atque auditoribus risum ciere. Non ità abnuerim, posse eum, qui perfectæ cum DEO conjunctioni studet, ad honestam mentis relaxationem, de rebus interdum suâpte naturâ jucundis, neque tamen spirituali vitæ noxiis differere. Hoc unum contendo, ordinariam, ac præcipuam differendi materiem,

em DEUM illi esse, ac res divinas debere; & quando etiam de aliis rebus confabulatur, oportere, ut ad DEUM semper recurrat, nullúmque non sermonem interposita, vel adjecta illius mentione expiet, consecrétque: ostendens hoc pacto, invitum se alibi, & necessitatis potiùs, quàm propensionis suæ causâ versari: dum ubi versans nititur, quantùm potest, ad suum princeps, & unum per se amabile objectum reverti.

10. Majorem habere veri, & rationis speciem videtur illorum excusatio, qui dictitant, si sui tantùm arbitrii res foret, sociósque ad ingenium suum factos nanciscerentur; Deum se tantummodo pro materia loquendi habituros veluti objectum, in quo uno idoneum sibi pabulum, & oblectamentum reperiunt. Sed enim verò conversandum multoties sibi esse cum hominibus, vix ullâ tinctis rerum divinarum scientiâ, miniméque aptis ad mutuum de iis conferendum sermonem: quare, nisi velint aut *effundere sermonem, ubi non est auditus*; (*Eccles.* 33.) aut inurbano silentio conversationis jucunditatem turbare; cogi se, quamvis nolentes, ad profana cum iis miscenda colloquia. Huic igitur excusationi ut respondeam, & certum aliquem termi-

num definiam, intrà quem probanda, & ultra quem reprobanda sit; fateor equidem, cum prædicto hominum genere haud posse diutinam de divinis rebus collocutionem instituí. Nihil enim iis ad sermonem conferentibus, collationis, & colloquii locò unus solùm loqueretur, contra quam usus, & natura familiaris consuetudinis ferat. Addo tamen, ùt cavere importunam hujuscemodi severitatem debemus, sic oppositum quoque facilitatis immodicæ scopulũ esse nobis vitandum: adeò ut medium quoddam iter tenentes, patiamur quidem profanos homines de caducis, & terrenis rebus aliquantisper disserere: sed nonnullam, & ipsi vicissim æternarum, ac cælestium subjungere mentionem curemus: neque ille observatus à D. Augustino error nobis illudat, *ut narrantes inania primò quasi toleremus, nè offendamus infirmos, deinde paulatim advertamus libenter.* (*Conf. L. 10. c. 35.*) Epictetus etiam quemvis sapientiæ amatorem monet, ut, quantùm potest, studeat *demutare eorum sermones, qui secum sunt, in id, quod deceat.* (*Enckir. c. 38.*) Imò, quantò minor in iis, quibuscum agimus, DEI notitia est, tantò noster erga illum amor stimulare acriùs nos debet, ut hanc illis impertiri conemur, per insertos colloquio breves

ves quidem, sed vividos de incomparabilibus DEI perfectionibus sensus, qui velut aculei in eorum animis hæreant, & altiorem illa, quam ad nostrum congressum attulerant, rerum divinarum æstimationem iis imprimant. Unde in nos itidem quadret nobile illud elogium, quod Breviarii Romani Lectiones B. Catharinæ Senensi tribuunt: *Neminem accessisse ad eam, qui non melior abierit.* Neque id cuiquam profanorum hominum grave, molestúmque accidet, dummodo prædicti de DEO sensus nequaquam abruptè, & intempestivè obtrudantur, sed ex ipsa sermonis, esto indifferentis materia commodè, mollitérque eruantur. Cujus artificii perinsigne nobis exemplum DEI Filius reliquit: quando cum Samaritana fœmina loquens, ex præsentis putei aqua occasionem sumpsit mysticæ alterius, & spiritualis aquæ ipsi indicandæ: sedulos sui hujus exempli imitatores nactus tum Apostolum suum Paulum, qui *ignoti DEI* arâ casu Athenis visâ tanquam introductione usus est ad verum in Areopago DEUM prædicandum, *etiam inscriptionem fortuitam arte torquens ad argumentum fidei*, prout de illo scribit Hieronymus; (*Ep. ad Magn.*) cùm famulum suum Ignatium Loyolam, qui, teste intimo ejus familiari, ubi

cum

cum hominibus mundo addictis congrederetur; haud solebat in rerum divinarum tractationem subitò irrumpere, sed ab ipsismet eò paulatim se sinebat deduci: incipiens plerumque sermonem à materiis, quæ ad professionem singulorum spectarent, putà à bello cum militibus, & à mercatura cum negotiatoribus: móxque eundem leni flexu ad alia bella, & ad alia mercimonia, victorias nimirum de vitiis, & cælestium opum lucra detorquens. Quod ille esse dicebat, alienâ viâ intrare, suâ egredi. (*Bart. Inst. L. 4. n. 20.*) Rectè D. Gregorius super iis Apostoli verbis: *Insta opportunè, importunè: dicturus*, ait, *importunè, opportunè præmisit: quia scilicet apud Auditoris mentem ipsa sua utilitate se destruit, si habere importunitas opportunitatem nescit.* (*Past. p. 2. c. 4.*)

11. En igitur, quonam pacto cum profanis hominibus fructuosè juxta, & suaviter conversari possimus. Quod si vel inani metu impediti, nè aliquid iis molestiæ afferamus, vel puerili verecundia cohibiti, nè importuni, ac justo severiores videamur; colloquium, & à terrenis rebus exordium sumere, & in eisdem desinere, citra ullam DEI mentionem permittimus; quonam prætextu nostrum in eo amando teporem excusare poterimus:

cùm

cùm futilibus adeò de cauſis negligamus illius notitiam, æſtimationémque apud homines, qui ea carent, propagare: officium, ùt jam ſuprà vidimus, cujuslibet impensè amantis maximè proprium, diligentiſſiméque à veris DEI ſervis curatum: de quibus canit Prophe-ta, (*Pſ. 144.*) *Gloriam regni tui dicent, & potentiam tuam loquentur: ut notam faciant filiis hominum potentiam tuam, & gloriam magnificentiæ regni tui.* Næ ità ſe accommodare inter colloquendum mundi amatoribus non eſt, ait Gilbertus Abbas, inclinare ſe aliquantulùm, ſublevandi eos causâ ad ſenſus, atque affectus cæleſtes, ſed in idem lutum, in quo ipſi jacent, ſe abjicere: (*Serm. 35. in Cant.*) *Qui ad vanas confabulationes prolabitur, non condeſcendit, ſed cadit.* Et D. Bernardus, non ferens id, à quibuſdam ſpecioſo charitatis, & prudentiæ nomine inſigniri: *Iſta*, inquit, *charitas deſtruit charitatem: hæc diſcretio diſcretionem confundit.* (*Apol. ad Gul.*) Et jure ille quidem: cùm per ſpeciem dandi aliquid proximorum infirmitati, non illis utilitatem, verùm ſibi afferant noxam. *Non ut aliis ſit remiſſio, vobis autem tribulatio, ſed ex æqualitate*, ſcribebat D. Paulus Corinthiis. (*Ep. 2. c. 8.*) Qui, ſi *factus eſt infirmis infirmus, Judæis tanquam Judæus, iis qui ſinè le-*

ge

ge erant, tanquam sinè lege esset, verbo, *omnibus omnia*; non ibi aliud spectavit, quàm *ut omnes faceret salvos.* (1. *ad Cor. c. 9.*)

12. Neque relinquendi sunt sinè responso alii quidam illiterati, & humilioris loci homines, qui necessariæ authoritatis, & facundiæ defectu impediri se dictitant, nè pios sui animi sensus liberè apud omnes depromant. Jeremiæ similes, cùm designatus à DEO suorum oraculorum præco tam sublimem provinciam deprecaretur, reponens: (*c.* 1.) *A, a, a, Domine* DEUS! *Ecce, nescio loqui, quia puer ego sum.* Dico igitur his primò, si comemorati defectus impedimento illis sunt, nè cum personis dignitate, & doctrinâ superioribus de DEO sermonem instituant, non deesse tamen alios sui ordinis plurimos, quibuscum, nulla obstante verecundia, sanctas suas cogitationes communicare simpliciter queant. Addo, proprium amoris esse, ut, quos intimè, penitúsque succendit, animosos reddat ad loquendum coram quovis hominum genere de persona, quam diligunt, nec patiatur sensa iis, & verba deesse ad præclaras illius dotes exprimendas idonea. Sed talis supra omnes alios amores est amor divinus: cujus ordinarii effectus sunt, *aperire os mutorum, & lin-*

linguas infantium facere disertas: adeò ut illo afflati plus dicant, quàm nôrint, & majores in congressu appareant, quàm sint. Quales inprimis fuisse Apostolos novimus, qui piscatores cæteroqui, & idiotæ simul atque divini Spiritûs igne inflammati sunt: *Loquebantur verbum DEI cum fiducia* (*Act. 4.*) coram adversariis, & Principibus Synagogæ, ínque perorandi efficacitate Demosthenes supergrediebantur, ac Tullios. In summa, *ubi Spiritus Domini, ibi libertas.* (2. *ad Cor. 3.*) Amet DEUM, quantùm David, qui cum eodem vult canere: *Loquebar de testimoniis tuis in conspectu Regum, & non confundebar.* (*Ps.* 118.)

13. Postremò persuasum esse illis velim, ad loquendum fructuosè de rebus divinis, nullam seu doctrinæ sublimitatem, seu verborum elegantiam necessariò requiri: imò sæpe accidere, ut sensus aliquis, simplex cæteroqui, & vulgaris, sed *ex abundantia cordis* erumpens, magnóque cum ardore animi expressus vehementiùs auditores afficiat, quàm elaboratissima, & doctissima quævis oratio. Testimonio sit, quod in vita P. Balthasaris Alvari proditur. (*c. 44. & 45.*) De commemorato mihi superiùs Joanne Ximenio, domesticæ rei inter nos adjutore, nullis illo quidem

li-

literis tincto, sed divinis sensibus affluente, ut se continere ab iis depromendis nequiret: quíque fassus est aliquando, prohibitum se initio nonnullâ verecundiâ fuisse, nè coram quovis personarum genere id ageret: sed demum statuisse, illa humanæ prudentiæ retinacula abrumpere, & cum omnibus, cujuscunque tandem conditionis, dignitatísque forent, de DEO libere loqui. Nempe is quadam die jussus à suo Præside ad Collegii Patres, dum mensæ accumbebant, de pio aliquo argumento verba facere; tanto cum spiritûs fervore, & sententiarum pondere id præstitit, ut Auditores, præstantis cæteroqui doctrinæ viros, rudi illa, incultáque, sed cælestis sapientiæ plena oratione vehementer commoverit: præcipuè verò, cùm demonstraturus permultos in religiosis familiis magni nominis concionatores, atque insignes Theologos, quamvìs sat largo divinarum veritatum commeatu abundent; nihilominus, quia cæleste illud pabulum aliis potiùs dispertiunt, quàm eo in alimentum suæ animæ utuntur, necessariis ad spiritualem profectum viribus destitui; exempli causâ præmisit, quod videre sibi nuper contigerat: duas scilicet mulas, quæ hordei plaustro alligatæ, vix illud, licèt prægrandi,

&

& bene compacto essent corpore, emoliri è cœno potuerant: non absque sua admiratione ob hujusmodi imbecillitatem in jumentis aspectu tam validis: donec sciscitatus ex aurigante causam, parcitatem cibi esse audivit: quia nimirum jumenta illa hordeum quidem aliis vectarent, sed justum ex eo ad suas vires instaurandas demensum minimè acciperent. Quæ imago, quamvis initio propter ignobilitatem materiæ ridenda nonnullis visa sit; ubi tamen ab illo ad rem seriam, inque spiritualis argumenti sui usum traducta est; altè animos pupugit, & lacrymas pluribus movit Neque hi successus extraordinarii, & usu infrequentes existimari debent: cùm rideamus subinde primariæ authoritatis viros boni consulere, nec sinè approbatione audire simplices rerum divinarum sensus, à cœnobita quopiam, etiamsi laico, vel tyrone, piè sibi, candidéque propositos.

14. Ut ergo certa aliqua praxi totam hanc tractationem concludam, tria distinguo personarum, quibuscum conversari possumus, genera. Primum nempe hominum, qui assiduæ cum DEO conjunctioni studentes de nulla re jucundiùs, quàm de illo vel loquuntur, vel loquentes audiunt. Alterum eorũ, qui sic-

ut continenter defixas in terrenis rebus cogitationes, curáſque habent; ſic de iis ſolis confabulari nôrunt, ſoléntque. Tertium eorum, qui, cùm occaluerint ſive in vitiis, ſive in pietatis tepore, & religioſi ſui officii neglectu; non modò piis ſermonibus non delectantur, ſed neq; eos ferre auribus poſſunt, apertéque faſtidiunt, & conantur abrumpere. His præmiſſis, ſi cum primi generis hominibus diſſerendum ſit, gaude, nactum te eſſe, quîcum poſſis libere ſanctos tui animi affectus communicare, ſociúmque alloquens Davidico illo carmine: (*Pſ.* 33.) *Magnificate Dominum mecum, & exaltemus nomen ejus in id ipſum;* à DEO loqui incipe, cum DEO perge, in DEO deſine: adeò ut juxta Eccleſiaſtici monitum, (*c.* 9.) *Omnis enarratio tua ſit in præceptis Altiſſimi.* Ex qua familiari, & amica divinorum ſenſuum coñunicatione illud in utroque pietatis incrementum ſequetur, quod D. Auguſtinus in ſe, & ſancta parente ſua Monica ſecutum fuiſſe tradit, ex colloquio invicem habito de perennibus futuræ vitæ gaudiis paulò priùs, quàm ad hæc Monicam DEUS evocaret. Cujus colloquii poſteaquam partem ille aliquam retulit, ſubdit, (*L.* 9. *Conf. c.* 10.) *Dicebamus talia, licèt non iſto modo, his ver-*

verbis. Tamen Domine tu scis, quòd illo die cùm talia loqueremur, & mundus iste nobis inter verba vilesceret cum omnibus delectationibus suis; tunc ait illa, fili, quantùm ad me attinet, nulla re jam delector in hac vita. Ità, inquam, similes tu quoque fructus percipies ex tuo sacro, & merè spirituali colloquio. Quemadmodum enim tale est nutrimentum corporis, quales cibi, quos per os sumit; sic, authore Salomone, tale est nutrimentum spiritûs, qualia verba, quæ per os promit: neque ad imbuendam sanctis cogitationibus, atque affectibus mentem quidquam magìs, quàm sermonum charitas confert. *De fructu oris sui unusquisque replebitur bonis, & genimina labiorum ipsius saturabunt eum.* (*Prov. c. 12. & 18.*)

15. Jam verò si cum mediæ classis hominibus te colloqui oporteat, quandoquidem confabulatio non potest hìc omnino spiritualis, & divina esse: curare saltèm debes, nè profana penitùs sit, pergens quidem de materia ab ipsis proposita aliquantisper differere, sed opportunè pium aliquem sensum indè eruens, qui vividè, ardentérque expendatur. Ubi tamen tria puto esse observanda: Primum, nè in eo perpendendo immoreris diutiùs, quàm audire socii citra fastidium pòssint;

sint ; apparente siquidem aliquo hujus indicio, satiùs erit ad materiam indifferentem redire, quoad nova opportunitas spiritualis alterius sensûs indidem eliciendi se offerat. Moderatione profectò saluberrima, exactéque custodita à prudentissimis illis divini Verbi administris, Ignatio Loyola, & Francisco Xaverio : quorum ille, prout refert Maffejus, (*In vit. L. 3. c. 11.*) *Cavebat, nè de rebus etiam divinis ad satietatem, & fastidium ageret*: Hic verò, juxta Tursellinum, (*In vit. L. 6. c. 11.*) *Salubres sermones, nè satietatem afferrent, magnâ solertiâ condire, miráque varietate miscere consueverat.* Secundò observandum erit, nè prædicta sermonis profani ad spirituale traductio subtimidè fiat, sed animosè, & alacriter, tanquam res, quæ ob summam æquitatem, & convenientiam cum ratione gravis nemini accidere debeat. Unde iis etiam, quibuscum confabularis, idem de ea judicium concipiant, & pudori sibi ducant, minùs æquo vultu ipsam ferre. Nec abs re forsitan fuerit, si socii conditionis, atque ætatis gradu inferiores te sint, vanos eorum sermones aliquando præcidere meliorem prorsus abruptè, & sinè ulla transitionis cura materiam suggerendo. Quemadmodum fecisse olim Pyrrhus Epirotarum Rex memoratur,

tur, (*Plut. in vita.*) cùm in convivio quæsitum ex eo esset, præstantiorémne musicum Cephisiam, an Pythonem censeret. Nempe has de musicis quæstiones parùm decoras, atque idoneas existimans, quæ sibi tanto bellatori proponerentur, seria, & gravi voce Polyperconta præstantiorem videri sibi ducem respondit. Tertiò observari à te velim, nè, cùm à terrena colloquii materia ad sanctiorem transis, supercilium attollas, téque in novam gravitatis speciem componas, sed cum eadem, qua priùs vocis, ac vultûs hilaritate pergas loqui, ut, qui interstunt, indè agnoscant spiritualium mentionem rerum non utilem solùm, sed jucundam quoque, ac suavem videri: nec jam ampliùs vulgari errore decepti arbitrentur conversationem, quæ sancta sit, hilarem esse non posse. Quod & D. Paulus te, ut facias, hortatur in iis ad Colossenses verbis, (*c. 4.*) *Sermo vester semper in gratia sale sit conditus*; & suo tibi exemplo commendat B. Antonius Abbas, quàm in cultu sui corporis rigidus, tam in spirituali conversatione lætus, & comis. *Non enim* (verba sunt S. Athanasii ejus vitam scribentis) *ùt in solitudine versatus, agrestis, & rigidus erat: sed jucundus, atque affabilis sermonem divino conditum sale promebat.*

16. Quod demum ad personas tertio loco recensitas pertinet, nullus sanè videtur patere aditus ad spiritualia cum iis ineunda colloquia. Quapropter duo supersunt, quæ circa hujuscemodi homines te agere oportet. Primum, ut eorum commercium, quantùm fieri citra offensionem potest, devites: tanquam hominum, qui, cùm diversi penitùs à tuo idiomatis sint, nihil tibi possunt consuetudine sua vel utilitatis, vel oblectationis afferre. Ità planè Christus Dominus faciendum monuit, dicens apud S. Matthæum: (*c. 7.*) *Nè mittatis margaritas vestras ante porcos, nè fortè conculcent eas pedibus suis, & conversi disrumpant vos.* Idémque priùs etiam monuerat Ecclesiasticus, tum c. 8. ubi ait: *Cum fatuis consilium nè habeas. Non enim poterunt diligere, nisi quæ eis placent*, tum 22. ubi expressiore sermone addit: *Cum dormiente loquitur, qui enarrat stulto sapientiam. Serva te ab illo, ut non molestiam habeas.* Alterum, quod circa eosdem agas, est, curare, ut, si adjuvare illos nequis, nè ab iisdem saltèm lædaris: síque ipsi abnuunt spirituales tuos sensus audire; caveas tu prava eorum dicta approbare, dicens cum illo apud Cassianum Abbate Theona, (*Coll. 21. c. 9.*) *Si ego te abstrahere à morte non possum, nec tu me se-*

separabis à Christo. Quare, si declinari aliquando eorum conversatio nequeat, utile factu erit, tacitum, & seducta in DEUM mente illi interesse: S. Francisci Borgiæ ritu, qui, uti in vita ipsius traditur, *si colloquium invito esset cum externis hominibus, quibus non saperet Christus, sermonem iis tacitus relinquebat. Ipse colligere se, ut in secessu versari, locóque abdito videretur:* admonitúsque à nonnullis ex ea mentis abalienatione provenire, ut interdum, quæ parùm ad præsentem rem faciebant, resonderet: *Malo*, inquit, *rudis, & hebes videri, quàm temporis jacturam fecisse. Omne enim tempus perire existimabat, quod non aut DEO, aut ad DEUM pertinentibus transigeretur.* (*Schot. L. 4 c. 4.*) Paucis, consuetudo juxta Senecæ documentum cum iis habenda est, qui possunt vel utilitatem nobis afferre ùt primi, vel à nobis referre ùt secundi: (*Ep. 7.*) *Cum his versare, qui te meliorem facturi sunt; illos admitte, quos tu potes facere meliores. Mutuò ista fiunt, & homines, dum docent, discunt.* Quantùm verò ad illos, cum quibus neuter dictorum fructuum sperari potest, quales in nostra divisione sunt tertii; unum hoc restat, ut, nè ab iis inficiamur, eorum conversationem vitemus. Authore siquidem Laurentio Justiniano: *Qui cum*

discolis conversari voluerit, fiet procul dubio eorum similis. (*De Disc. & Perf Conv. Mon. c.* 22.)

CAPUT XXI.

De ardentibus desideriis DEUM palàm in cælesti gloria videndi, quæ illius amor in cordibus suo igne succensis excitare consuevit.

EXercitia amoris hactenus recensita, nempe jugiter cogitare de DEO, eúmque quasi præsentem ubique intueri, ac in quovis cum hominibus congressu de eo loqui, oblectare quidem aliquantulùm, sed non explere penitùs amantem animam possunt: & juxta D. Augustinum, (*In Ps.* 118. *Conc.* 19.) *Solatia miserorum* veriùs sunt, quàm *gaudia Beatorum.* Per ea siquidem minùs utique intolerabilem, at non etiam optabilem experimur præsentis vitæ, ac temporis statum: nec exules esse desinimus, sed aliquod solummodo habemus ærumnosi nostri exilii levamen. Quapropter, necesse est, ut, qui DEUM intimè amat, ulteriùs vota sua porrigat ad suspirandam illius

in

in se ipso visionem, supremam videlicet desideriorum suorum, & amoris metam: qui sicut eò appulsus omnem suorum motuum varietatem in unicum quietissimi, & perfectissimi gaudii actum componet; sic, quamdiu indè abest, fieri non potest, quin flammæ instar humi detentæ assiduis, & incitatissimis nisibus ad prædulcem, beatámque illam sphæram anhelet. *Amor*, scribit Doctor Angelicus, *tendit in perfectionem unionis: scilicet ut unio, quæ jam inchoata est in affectu, compleatur in actu. Unde proprium est amicorum mutua præsentia gaudere.* (*L. 1. c. Gent. c. 91.*) Imò ipsamet contemplatio ænigmatica unicum cæteroqui nostræ peregrinationis mortalis lenimen tantùm abest à moderandis DEI coram intuendi desideriis, ut ea acriùs stimulet, vehementiúsque inflammet. Augens quippe in animo DEI cognitionem, luculentiùs ei ostendit, quanto bono careat, cogítque de infelicitate sua queri, & mortem quasi unicum ejusdem remedium exposcere. Adeò ùt scripsit de S. Honorato vitâ functo Hilarius, (*In Præf. vit.*) *Compugnent mœroribus gaudia. Talis reminisci dulce est, tali carere supplicium.* Denique ait hìc D. Gregorius, (*L. 18. Mor. c. 24.*) Nimis verum se prodit illud Salomonis oracu-

lum, (*Eccl. c.* 1.) *Qui addit scientiam, addit & laborem*: adeóque infelix noſtra eſt procul à DEO in terris viventium conditio, ut ipſamet beatiſſimæ illius viſionis prælibatio, quàm una ex parte præſentis noſtri ſtatûs acerbitatem lenit, tanto optatiorem ex altera ejuſdem terminum, & magis moleſtam prorogationem reddat. *Quantò in hac vita fruimur per ſpeculum, vel in ænigmate, tantò peregrinationem noſtram & tolerabiliùs ſuſtinemus, & ardentiùs finire cupimus.* (*Aug. L.* 1. *de Doctr. Chr. c.* 30.)

2. Atque hinc erat, quòd Apoſtolus querebatur, ſuam à compedibus corporis ſolutionem differri; *Deſiderium habens diſſolvi, & eſſe cum Chriſto: Infelix ego homo! quis me liberabit de corpore mortis hujus?* (*Ad Philip.* 1. *ad Rom.* 7.) Hinc, quòd D. Tereſia mortis dilationem continuæ inſtar mortis ſibi eſſe affirmârit, ſcribens: (*Epiſt.* 18.) *Morior, quia non morior.* Hinc, quòd B. Catharina Senenſis mortem blandis, & amantibus titulis advocârit: ô chara, inquiens, mors! ô pulchra! ô ſuavis: nihílque in ea vitii agnoverit, niſi quòd citiùs adeſſet ſe horrentibus, quàm optantibus. (*In vit. c.* 7.) Hinc, quòd Ignatius Loyola de futuro vitæ ſuæ exitu cogitans, dulces in lacrymas totus colliqueſcebat, morbo

bo aliquo illius quasi jam propioris spem faciente præ gaudii exuperantia à sensibus abalienatus fuerit. (*Maff. L. 3. c. 3. Bart. Inst. L. 4. n.* 30.) Hinc Psaltes Regius diu, noctúque gemebundus, & intoleranda siti æstuans, cælum versùs clamabat: (*Ps.* 41.) *Quemadmodum desiderat cervus ad fontes aquarum, ità desiderat anima mea ad te DEUS. Sitivit anima mea ad DEUM fortem vivum. Quando veniam, & apparebo ante faciem DEI? Fuerunt mihi lacrymæ meæ panes die, ac nocte, dum dicitur mihi quotidie, ubi est DEUS tuus?* Hinc denique prodibant gemitus, lacrymæ, ardores, suspiria, anxietatésque animarum omnium, quibus divino amore æstuantibus *vivere Christus fuit, & mori lucrum.* Quas inter dignus inprimis memoratu est eremi incola, horribili lepra undique erosus, sed adeò simul exultans, ut suavissimis cantibus circumfusos latè tractus compleret. Quorum indicio cùm venator quidam penitiùs se in sylvam insinuâsset, ubi eum in conspectu habuit; alto hinc perfusus horrore ad tetram illam spirantis cadaveris speciem, indè verò obstupescens de tam numerosa organi illius vix non penitùs labefacti, & convulsi harmonia. Et qui tandem, mi homo, rogavit, modulari tam hilariter potes, inter hasce tui cor-

corporis undique fatiscentis, & plùs media jam parte consumpti ruinas? Cui ille, imò quî potiùs mihi temperare à modulatione possim, cùm destrui, & paulatim collabi meum carcerem videam? Inter me, & DEUM nihil intercedit medii, præter luteum hunc parietem terreni, & caduci mei corporis. Hoc dissoluto, nihil jam obstabit, quo minùs illum videam, cûmque illo, mea nempe unica vita, & omnimoda beatitate conjungar. Cernens itaque invisum hunc obicem frustillatim deficere, nec quidquam superesse, nisi ut brevi penitùs corruat; felicem eventûs tam jucundi horam lætus operior, & libertati meæ jam propinquæ festivis vocibus applaudo. (*Ap. Rodr. p.* 1. *Tr.* 8. *c.* 21.) Neque transmittenda silentio est fidelis Christi Sponsa Sancia Carillia, quæ cùm DEO revelante accepisset, post anni spatium se migraturam è vita; heu, tanquam si lethali vulnere fuisset icta, heu miseram me, exclamavit. Itáne annuum adhuc mihi exilium supersest ab optatissima cælestis Sponsi mei facie? Itáne solido anni spatio vivendum mihi est ab eo procul, qui unus vera vita mea est? Et quæ tandem patientia suffecerit, ut ferre possim tam tristem, longíque adeò temporis moram? Delusi hacte.

ctenus mea desideria, novam spem illis in dies singulos faciens obtinendi sui finis. Quid nunc agam, coacta eorum expletionem, nisi transacto priùs anni curriculo desperare? Quàm caliginosi, quàm tristes, quàm omnis expertes solatii, quia consueta spe cassi orientur, ultimo duntaxat excepto, trecenti hi, & sexaginta tres dies, quos peractura dein sum, procul à DEO, hoc est procul à summo, & omni meo bono? O moram nimiùm quàm gravem! ô nimiùm quàm lacrymabilem annum! (*Nierem. de Pulchr. DEI L. 2. c. 11.*)

3. Non me equidem fugit, hujuscemodi sensus profanis quibusdam hominibus visum iri supra modum exaggeratos, & quasdam potiùs subtiliter excogitatas mirabilium affectuum ideas, quàm veros, humanique cordis proprios affectus. Verùm enim verò, quisquis compertum rite habet, quàm infinitum bonum sit DEUS, quámque incomparabilis beatitudo ex illius clara visione in animam profluat; tantùm aberit, ut suspicetur in iis vel umbram hyperboles, ut impares potiùs objecti sui merito existimaturus sit. *Da amantem*, inquit Augustinus, *da desiderantem, da ferventem, da in ista solitudine peregrinantem, atque sitientem, & fontem æternæ patriæ suspirantem. Da*

ta-

talem, & scit, quid dicam. Si autem frigido loquor, nescit; quod loquor. (*Tr. 26. in Joa.*) Et sanè potéstne ab ullo mundanorum hominũ negari, tantò tristiorem cujuslibet boni privationem esse, quantò illud majus, aut perspicuam DEI in cælo visionem bonum esse, opibus, fama, libertate, bona valetudine, corporis vita, & cæteris quibusque mortalibus bonis incomparabiliter majus? Neutrum certè inficiari ipsis licet: & consequenter fateantur, necesse est, beatissimæ illius visionis carentiam, mali genus esse sinè ulla comparatione ægriùs ferendum, quàm quisquam hominum vel opimæ hæreditatis, vel regni, vel libertatis, vel famæ, vel terreni alterius cujuslibet boni privationem tulerit. *Illa namque visio tantæ pulchritudinis visio est, & tanto amore dignissima, ut sinè hac quibuslibet aliis bonis abundantem, non dubitet Plotinus infelicissimum dicere.* (*Aug. L. 10. de Civ. c. 16.*) Quòd si ipsis eâ fraudari tantum mœroris non affert, quantum bona valetudine, libertate, aut fama carere; non id utique evenit, quia summi illius boni privatio eos minùs reddat miseros, minúsque defleri mereatur, quàm defectus, & jactura præsentium bonorum; sed quia illius tenuem, vel nullam; horum verò admodum vi-

vividam, & ſplendidiorem juſto imaginem formatam in mente habent. Et confirmantur hìc dicta exemplo animarum, quæ è corporis cuſtodia emigrârunt: quæ, quia per infuſum ſibi à DEO novum lumen, clariùs agnoſcunt, quàm immenſa felicitas ſit DEUM in ipſamet divina ſua eſſentia intueri; quámque miſerabilis ſors ab ejuſmodi viſione excludi, ſi juſtæ expiationis causâ vel ad breviſſimum tempus indè excludantur; graviùs hac pœna, quàm ipſiſmet luſtralibus flamis torquentur, multóque majorem ex ea ægritudinem capiunt: quàm quiſquam mortalium terreni ullius damni, vel mali causâ ſuo in animo ſenſerit.

4. Fac ergo, anima quæpiam, dum mortali adhuc corpore includitur, alta mente concipiat, quàm infinita DEI amabilitas ſit, & proinde ardentiſſimo illius amore tota inflammetur; quid, quæſo, aliud ipſi erit, ab eo abſentem in terris degere, niſi purgatorio quodam carcere incluſam teneri? Qui ludi, quæ ſpectacula, quæ lucra, & oblectamenta præſentis vitæ illius mœrorem delinire ſat poterunt, adeò ut inter quaſvis occaſiones, & cauſas lætitiæ non profiteatur cum Salomone, (*Eccleſ.* 2.) *Riſum reputavi errorem, & gaudio*

di-

dixi, quid frustrà deciperis? Israëlitæ Babylone captivi de absente Hierosolyma nequibant sinè lacrymis cogitare, (*Ps.* 136.) *Super flumina Babylonis illic sedimus, & flevimus, cùm recordaremur tui Sion*: respondentes indigenis, à quibus ad festiva carmina invitabantur: *Quomodo cantabimus canticum Domini in terra aliena?* S. Augustinus charissimo Sodali à morte sibi erepto nihil usquam intuebatur, quod ipsum non videnti jucundum visu esset. (*L. 4. Conf. c. 4. & 7.*) *Expetebant eum undique oculi mei, & oderam omnia, quia non haberent eum: & ipsa lux, & quidquid non erat, quod ille erat, improbum, & odiosum erat.* Absalon, cùm à patre David facultatem impetrâsset redeundi in patriam, sed ità, ut nè in conspectum suum veniret, (*L. 2. Reg. c. 14.*) *Revertatur in domum suam, & faciem meam non videat*; iniquè adeò illud à parentis facie exilium tulit, ut ad mortem ejus loco subeundam paratum se obtulerit: *Obsecro*, inquiens, *ut videam faciem Regis. Quod si memor est iniquitatis meæ, interficiat me.* Anna, junioris Tobiæ mater, quantos inter fletus, & angores illud tempus transegit, quo is absens domo erat? (*Tob. c. 5. & 10.*) *Nullo modo consolari poterat*, sed *flebat irremediabilibus lacrymis*: detestans illa decem talen-

lenta, quorum exigendorum causâ amandatus peregre fuerat: *Nunquam fuisset pecunia, pro qua misisti eum, sufficiebat nobis paupertas nostra, ut divitias computaremus, quòd videbamus filium nostrum. Heu, heu me, fili mi! ut quid te misimus peregrinari lumen oculorum nostrorum? Omnia simul in te uno habentes te non debuimus dimittere à nobis.* Et senior Tobias vir ejus, ut ipse etiam oculorum visu amisso omnem se amisisse arbitrabatur vim, & facultatem gaudendi: respondens Angelo gaudere se jubenti, (*lb. c. 5.*) *Quale gaudium mihi erit, qui in tenebris sedeo, & lumen cæli non video?* Si ergo his, quos retuli, tantum tristitiæ attulit, quòd lucis, patriæ, amici, parentis, aut filii visu cogebantur carere, ut ea de causa nullam consolationem admitterent, assiduis contabescerent fletibus, nulla re delectari possent, mortémque votis sibi accerserent; quantò majore luctu DEI servum, atque amicum conficiet, quòd, quamdiu in terris vivit, beatissimo DEI aspectu careat? Quid solatii ille poterit ab ulla re creata in ejusmodi statu recipere? Quidni dies, atque noctes *irremediabilibus lacrymis* tam chari, atque amabilis objecti absentiam deflebit? Quomodo in ullo alio bono acquiescet: nec potiùs, *quidquid non est, quod ille*

est, mœrori, fastidióque ipsi erit? Quomodo absque illo esse, *in quo uno simul habet omnia*, non existimabit absque luce, absque vita, absque se ipso esse?

5. Ah illum audire mihi videor, ex interioris suæ noctis profundo ægris vocibus clamitantem: *Quale gaudium mihi est, qui in tenebris sedeo, & lumen cæli non video?* Quid me solamini, amici? Quid mihi blandiris, fortuna? Quid me ad lætandum provocatis præsentis vitæ bona? Haud vestrum, haud vestrum est, mihi levamen afferre, meos fletus detergere, mederi meo vulneri; plus mihi deest, quàm suppleri à creatis rebus omnibus queat. O sortem solatii nescium! ô morte ipsa funestiorem vitam! ô exilium non ab hoc, vel illo terræ angulo, sed à regione vivorum, ab omni lætitia, ab unico mei cordis, meæ quietis, meæque beatitudinis centro. Et quosnam nisi mœroris sensus mea mihi suggerere cæcitas potest? Quive terrenæ felicitatis gustus allevare à luctu me poterit, cùm tot annorum spatio nunquam mihi ante oculos increati solis jubar effulserit: nunquam nè obiter quidem, ádque punctum temporis viderim, quid vera, quid æterna, quid vitalis lux sit? Ah desunt jam mihi ad diuturniorem patientiam vires.

res. Necesse est, ut ad eum clamem, qui unus valet meæ calamitati opem ferre. *Fili David, miserere mei.* Tangat te Domine aliquando cæci hujus miserrimi pietas. Nîl opus est, ut ex me sciscitèris: *Quid tibi vis faciam?* Jam meliùs ipso me intelligis, quæ necessitas, quæque postulatio mea sit. *Ante te omne desiderium meum, & gemitus meus à te non est absconditus.* Et quid tandem respondere aliud potest cæcus roganti, *Quid vis?* nisi, *Domine, ut videam?* Ità, ità planè: hæc mea responsio unica est, hæc votorum meorum omnium summa, hoc illud, quod assiduis gemitibus ex intimo suo recessu cor meum tibi repetit. *Unam petii à Domino, hanc requiram:* ut jacenti tamdiu in tenebris tuam aliquando reveles optatissimam faciem: ut liceat mihi tandem contemplari in se ipsa, & qualis revera est, infinitam istam tuam pulchritudinem, cujus duntaxat intuendæ causâ factus sum, quæque una est omne meum bonum, omne meum desiderium, omnis mea quies, omne meum gaudium. *Anima mea desideravit te in nocte. Deprecatus sum faciem tuam in toto corde meo. Tibi dixit cor meum, exquisivit te facies mea, vultum tuum Domine requiram. Ostende faciem tuam, & salvi erimus. Domine, ut videam, ut videam, ut videam!*

6. Quæ cùm ità ſe habeant, quonam pacto verus credi, atque ardens amator DEI poterit, qui ſciens, ſe procul ab eo eſſe, quamdiu vivit in terris, æquiſſimo tamen animo abſentiam hanc ſuſtinet, nec unquam præ deſiderio veniendi ad illius conſpectum ſuſpirat, nec, ſi fortè gravior morbus id brevì futurum promittat, ſibi gratulatur: quin potiùs prorogari quàm diutiſſimè præſens exilium ſuum cupit, & de quocunque illius proximè deſituri indicio perturbatur? Nemo certè in animũ ſuum inducet, talem eum credere: quemadmodum nemo eſt, qui neſciat, quàm naturalis proprietas incenſi amoris ſit, objecti ſui præſentiam optare, de illius ſpe gaudere, & quamdiu illa caret, vim pati: quámque, quiſquis impensè aliquem amat, & dulcem illius convictum, & ingratam ab eo disjunctionem experiatur. Itáne amare DEUM ſit, nullâ tangi curâ illum videndi, juxta illum commorandi, cum illo vitam ducendi: imò lætari de illius abſentia, déque propiore ad eum acceſſu mœrere? Quænam, rogo, contraria, & in vicem pugnantia exiſtimari poſſunt, ſi hæc non ſint talia? Aut quos effectus pariet odium, ſi hos amor producit? Ego ſanè parùm abeſt, quin dicam, ab ejuſmodi homine minùs

nùs quodammodo DEUM amari, quàm vel ipsi eum dæmones ament: qui profectò divinam illius faciem intueri ardentissimè cuperent, nec in miserrimo damnationis suæ statu quidquam amariùs experiuntur, quàm ab ea esse æternùm proscriptos. At, si affirmare non audet, minùs ab ipso, quàm à perduellibus orci spiritibus amari DEUM; saltèm procul dubio affirmaverim, minùs ipsum amantem sui esse, quàm se ipsos illi ament: cùm tantò illis pacatiùs privationem summi sui boni ferat. Et verò parvúmne hominis bonum existimari potest clara DEI optimi maximi, in se ipso, suáque incomprehensibili essentia spectabilis visio? Visio, quæ in unico simplicissimo objecto contemplandum oculis exhibet, quidquid mente concipi, imò longè plus, quàm mente concipi miraculorum, perfectionum, & pulchritudinum potest? Visio, quæ animam ineffabili quadam admirationis, & jucunditatis ecstasi absorbet, ac penitùs extra se rapit, adeò ut expleri nunquam sciat, sed per totam porrò æternitatem in suavissima illius continuatione insatiabiliter fixa hæreat? Visio, quæ intimam nobis divini sui objecti similitudinem imprimit, nec videri jam quodammodo homines sinit, sed in æterna quæ-

dam increati solis parelia convertit ? Visio, per quam *intramus in gaudium Domini*, in partem nimirum ejusdem illius infinitæ beatitudinis, qua fruitur, & beatus est ipsemet DEUS ? Visio demum adeò omne pretium exuperans, ut quilibet Cælitûm mallet pati, sed eâ interim frui pergens, quidquid sensibilium cruciatuum fontes animæ apud inferos sustinent ; quàm frui, sed eâ interim carens, reliquo omni exaggeratissimo cæteroqui, & terrenam quamvis sortem supergrediente accidentalis suæ beatitudinis cumulo ? Qui hoc tam inæstimabile, tam immensum, tam summum bonum non suspirat ; imò propiorem illius acquisitioni se esse, ægre fert, eámque differri in ulteriora usque tempora optat, quo pacto amare se ipsum dicetur ? Quisnam, ô Angeli ! vester de eo sensus est ? Quidnam vobis, beati cæli habitatores videtur ? Suine revera, quantùm par est, amans existimari potest, qui minimè appetit objectum contemplari, quod tam insatiabiliter vos contemplamini, & bono frui, quo vos jucundè adeò fruimini ? Neutiquam certè, nullo pacto, nihil minùs. Neque DEUM, neque se ipsum debito ille amore prosequitur. Et hic defectus justi erga se amoris culpabilem magis reddit de-

defectum amoris DEI. Cùm enim vel cujuslibet alterius emolumenti sui causâ amabilissimi illius objecti visionem deberet quærere; nec quidem omnimoda beatitudo ejus satìs ipsum ad eam quærendam impellit: séque amat, ubi amor sui cum amore DEI pugnat; hìc, ubi cum eo consentiret, amare se negligit.

7. O stuporem animi! qui, nisì tam vulgaris, & obvius ubique esset, censeri incredibilis posset: nam quis unquam navigantium apparente post diutini cursûs labores portu indoluit, quòd nimis citò ad eum pervenerit? Quisnam captivorum infortunii locò habuit, solvi ab ergastuli vinculis, aut quis exulum non est gavisus, dum in patriam revocaretur? Nemo sanè unquam. Et, si fortè aliquis ejusmodi sensus præseferret, admirationi omnibus foret, tanquam novum, & omnino insolens prodigiosæ fatuitatis ostentum. At nónne cælestis Hierusalem suprema est nostræ in hoc tam infido præsentis ævi pelago ærumnosissimæ navigationis meta? Nónne hæc tellus exilii est tristissimus locus, ubi procul à cælo immortali nostrarum animarum patria, & à DEO earundem amantissimo Patre tot jam lustris versamur? Nónne luteum hoc corpus

est teterrimus carcer, qui à primo exortu in squalore, ac tenebris clausos, amatæque libertatis expertes nos detinet? Quinam igitur fieri potest, ut queramur, parùm jam nos abesse ab eo portu, ut optemus hoc nobis prorogari exilium, ut abnuamus ex hoc carcere egredi? Cur non potiùs querelarum causa est, nimis diu nos hìc detineri? Cur non potiùs omnis hora, quam in terris ducimus, sæculo nobis longior videtur? Cur non potiùs mors, quæ hinc abductos illuc nos transfert, chariſſimus est nostrorum votorum scopus, suaviſſimum nostrarum calamitatũ levamen, præcipua nostri gaudii materies? *Quis non peregre constitutus* (verba sunt D. Cypriani) *properaret in patriam regredi? Quis non ad suos navigare festinans ventum prosperum cupidiùs optaret, ut velociter charos liceret amplecti? Patriam nostram paradisum computamus, parentes Patriarchas habere jã cœpimus. Quid non properamus, & curimus, ut patriam nostram videre, ut parentes salutare possimus? Spei nostræ, ac fidei prævaricatores sumus. Simulata, fucata, ficta videntur esse, quæ dicimus.* (*De Mortal.*) Illi certè iidem nos sumus, qui quotidie in oratione Dominica à cæleſti nostro Patre depoſcimus, ut ipsius regnum, nostra nempe è terris in cælum, & ex

hac

hac mortali ad perennem vitam transmigratio quàm citissimè adveniat. Quonam igitur pacto hæc inter se conveniunt, id ab eo muneris locò petere, & idem quasi infortunium timere? Orare, ut primo quoque tempore ad cælum nos vocet, & simul cupere, ut quàm diutissimè nos in terris relinquat? *Quid ergo petimus* (pergit idem Cyprianus) *ut adveniat regnum cælorum, si captivitas terrena delectat? Quid precibus frequenter iteratis rogamus, ut acceleret dies regni; si majora sunt desideria servire istic diabolo, quàm regnare cum Christo?* (*lb.*) Næ ità ægro animo, invitósque, & non nisì coactos ad beatissimum illud regnum proficisci, justam est DEO causam præbere, illud nobis tanquam indignis negandi. *Obnitimur, & reluctamur, & pervicacium more servorum ad Domini conspectum cum tristitia, & mœrore perducimur, exeuntes istinc vinculo necessitatis, non obsequio voluntatis. Et volumus ab eo præmiis cælestibus honorari, ad quem venimus inviti?* (*Id. lb.*) Quod si filii Israël, quia *pro nihilo habuerant terram desiderabilem*, excluси ab ea sunt; cur timendum non sit, nè simili afficiatur pœnâ, qui pro nihilo habet non terram promissam, sed cælum promissum? Noverit, qui sic comparatus animo est, meriturum se istiusmodi con-

temtione, & incuria, ut sibi ingressus in beatissimam illam sedem, si minùs omnino negetur, at saltèm cum acerbissimo cruciatu suo differatur; constat quippe ex revelationibus B. Brigittæ, (*Ap. Blos. Mon. Spir. c.* 13.) inter alias causas, cur animæ post egressum è corpore in piaculari carcere detineantur, unam esse, quòd, dum in terris agerent, cælestem patriam desiderare neglexerint. Docemur ab Apostolo, (2. *ad Tim.* 4.) *Coronam justitiæ* redditum à DEO iri *in illa die*, hoc est in suprema vitæ die, non omnibus, sed iis, *qui diligunt*, & cupidè expectant *adventum ejus.* Qui non modò eum non diligit, & cupidè præstolatur, verùm etiam exhorrescit, vellétque aut nunquam, aut quàm tardissimè adesse; timeat, nè coronam illam vel unquam, vel non nisi post severam, ac diutinam expiationem recipiat.

8. Et tamen non hìc desinit admirabilitas nostræ in morte perhorrescenda, & invito animo subeunda vecordiæ. Absurdissimum est procul dubio queri, quòd ad cælestem patriam maturiùs evocemur, æternùm ibi DEO fruituri. Sed multò idem absurdius, & præposterum magìs apparet, si consideratur locus, à quo ad tantam illam beatitudinem transsi-

sire abnuimus. Nam quis tandem ille est? num aliquis paradisus terrestris? num regio *fluens lacte, & melle?* Num vita, qualem in statu originalis justitiæ duxissemus sinè ullo metu, luctúque, imò cum omnium affluentia bonorum, cum sinceriſſima hilaritate, cum imperturbabili pace? Enim verò, etsi tam lætus, támque felix esset terminus, unde morientes migramus; nimis tamen fatuus, mentísque impos mereretur existimari, qui non optaret indè etiam, quàm primùm discedere, transiturus ad eum alterum, tantò potiorem, quò DEUS illum vocat, nempe ad cælum, perennem Beatorum patriam, suúmque ultimum finem. Quantò igitur stultior dici merebitur, qui ægre ferat, & differre longiùs hujusmodi transitum velit: quando terminus illuc evolaturo relinquendus est tellus, rubis undique, & tribulis consita: est vita, plures ærumnas, quàm dies numerans; ut meritò nuncupata ab Euripide sit, (*Apud Plut. de Consol.*) *Nomine uno vita, revera labor*: est status denique adeò calamitosus, & tristis, ut, si naturales duntaxat, humanæque rationes spectentur, posset quilibet muneris locò habere, se indè vix exortum abduci, & si non ad beatorum Cælitûm patriam, sed ad ipsasmet in-

ex-

expiatorum infantium ſedes tranſeundum ſibi eſſet? Et cur tu quoque fraudis quidpiam non ſtruis? (*Plut. de Exil.*) Acutè olim Stratonicus in Seripho inſula nonnemini incolarum dixit, cùm eum percontatus, quodnam ibi reorum genus exilio multaretur, audíſſet, eos ità puniri, qui mala fraude aliquid patrâſſent. Perinde quaſi diceret, (quod multò rectiùs dici hominibus univerſis de terreſtri hac eorum patria poteſt) adeò infortunatam, & triſtem ſuam illam regionem eſſe, ut non indè expelli, ſed ibi habitare pœna mereretur, atque exilium cenſeri. *Quare miſero data eſt lux, & vita his, qui in amaritudine ſunt: qui expectant mortem, tanquam effodientes theſaurum, gaudentque vehementer, cùm invenerint ſepulchrum.* (*Job.* 3.) Ah diſcamus aliquando, quàm ſepoſitis etiam ineffabilibus futuræ vitæ gaudiis optatius ſit maturè mori, quàm in terris diu vivere. Et, ſi non ſatìs id nobis perſuaſêre vel D. Ambroſius tam infelicem appellando hominum vitam, *ut comparatione ejus mors remedium putatur eſſe, non pœna*; (*Serm.* 42.) vel Salomon, (*Eccl.* 4.) *Laudans magìs mortuos, quàm viventes, & feliciorem utroque judicans, qui necdum natus eſt*; vel Sapiens, qui præmaturam juſti hominis mortem pro argumento divinæ erga illum

lum benevolentiæ habet, (*c.* 4.) *Placita*, inquiens, *DEO erat anima illius: propterea properavit educere illum de medio iniquitatum*; persuadeant saltèm ipsimet authores profani, qui suos hac super re sensus descripsisse è sacrarum Literarum monumentis videntur: ùt Menander, cujus judicio (*Ap. Plut. de Consol.*) *Juvenis moritur, quem Dii diligunt:* ùt Plinius, qui pronuntiat, (*L. 7. c. 50.*) *Naturam nihil brevitate vitæ præstitisse melius:* & ùt Silenus, quem ferunt, interrogatum à Rege Mida, (*Plut. de Consol.*) *Quidnam esset hominibus optimum, maximéque optabile;* tacitum diu perstitisse, quoad repetitis coactus precibus in has tandem voces erupit: *Ærumnosi genii, difficilisque fortunæ ephimerum semen, quid me cogitis ea dicere, quæ vobis nescire erat melius? Doloris enim effugium est sua nescire mala. Optimum omnino homini est non nasci, proximum autem huic, quàm celerrimè mori.* Quibus addere possem cùm plures alios, tum inprimis Hegesiam, efficaciter, disertéque de humanæ vitæ miseriis declamare solitum; (*Cic. L. 1. Tuscul.*) ut multi ex illius auditoribus mortem ultro sibi inferrent, tanquam universale omnis morbi remedium, ideoque duntaxat malorum extremum, quia malis omnibus terminum ponit. Sed

quid

quid pluribus teſtimoniis opus eſt circa veritatem, cujus quiſque ſibimet poteſt eſſe luculentiſſimus teſtis: dummodo ſecum pauliſper retractet, quot inter miſerias pueritiam traduxerit: quot aliæ ſubſecutis ætatibus ad primas ſe adjunxerint: & quantò, ut ſummatim rem colligam, *plus aloës, quàm mellis* in unoquoque ſuorum annorum guſtaverit? Nè interim de ſalutis æternæ periculis loquar, quæ plurima paſſim occurrunt, cúmque Julio Cæſare profiteri nos cogunt, (*Plut. in vit.*) *Præſtat ſemel mori, quàm ſemper timere.* Quapropter citatus mihi ſuprà D. Cyprianus oppoſitis ſibi invicem duobus diverſis ultimi noſtri itineris terminis urgere acriùs pergit, iniquo etiamnum animo illud capeſſentes, ſic interrogans: *Quis non triſtitiâ carere optet? Quis non ad lætitiam venire feſtinet? Cùm ergo Chriſtum videre gaudere ſit, nec poſſit eſſe gaudium noſtrum, nisi cùm viderimus Chriſtum; quæ cæcitas animi, quæque dementia eſt amare preſſuras, & pœnas, & lacrymas mundi, & non feſtinare potiùs ad gaudium, quod nunquam poſſit auferri?* (*Vide ſuprà.*)

9. Et hæc dicta obiter ſint eorum causâ, quos minor DEI tangit, futuræque beatitudinis ſenſus, ut erubeſcant de vecordi amore, quo ſuum hoc complectuntur miſerabile exi-

li-

lium, neque mortem horreant, & mœsti excipiant, etiam quatenus præsenti tantùm vitæ finem imponit, sed potiùs juxta veteris Scriptoris adhortationem, (*Quint. Decl. 4.*) *faciant de fine remedium, de necessitate solatium. Exeant pleni securitatis gratias agentes.* Cæterùm, qui ex toto corde amant DEUM, nullis hujusmodi considerationibus, & incitamentis opus habent ad desiderandum præsentis vitæ exitum, imò eos puderet talia attentiùs observare, & magni momenti ducere. Etenim licèt nihil aversandi, sed meram potiùs aurei sæculi felicitatem in præsenti vita reperirent; satis nihilominus causæ ad eam supplicii locò habendam, ádque illius finem assiduè implorandum ipsis foret, quod impedimentum, & mora sibi sit visionis divinæ, *scientibus, quia, dum in corpore sunt, peregrinantur à Domino.* (2. *ad Cor.* 5.) Nihil quippe extra DEUM amantes, nec aliam agnoscentes vitam, & felicitatem, nisì conjunctionem cum eo; fieri non potest, quin ab eo absentiam tristissimæ mortis genus existiment. *Si enim hærere illi vita est; exulare ab illo mors est.* (*Aug. in Ps. 145.*) Quamobrem, ceu illa, cujus suprà meminimus, Tobiæ mater, cùm is jam diu domo abesset, (*c. 10.*) *Quotidie exiliens, circumspiciebat,*

bat, & circuibat vias omnes, per quas spes remeandi videbatur, ut procul videret eum, si fieri posset, venientem; sic & ipsi, quamdiu in terris à Deo absunt, nihil faciunt aliud, quàm quòd illius desiderio tabescant, quàm quòd exosæ ab eo disjunctionis dies secum identidem numerent, variásque comminiscantur vias, per quas ipse fors brevì adventurus sit, ac demum mortem assiduè opperiantur, sitiant, & sola illius spe, mortalis exilii sui ærumnas leniant, dicentes: *Quando consolaberis me? Quot sunt dies servi tui?* (*Ps.* 118.)

10. Accedendo itaque ad praxim affectús tam justi, adeóque convenientis cuilibet, qui rite perceperit, quàm infinita sit DEI pulchritudo, quámque inexplicabilis ex præsentis illius visu hauriatur voluptas; exercere illum primò poterimus ad singulos horologii pulsus, exultantes eo audito cum D. Teresia, (*In Rel. vit. c.* 36.) dicentésque intrà nos: O lepidum nuntium! grates DEO sint. Jam unâ horâ exilium meum brevius, viciniórque ego sum meo ultimo fini. Secundus exercendi illius erit modus, ubi quempiam obiisse audierimus, præsertim juvenem in flore ætatis, ac spei, vel principem eminentis fortunæ, aut hominem terrenis aliis ornamentis conspi-

ſpicuum; cavere, nè cum ullo mœroris ſenſu de illius obitu ſeu intrà nos cogitemus, ſeu cum aliis loquamur, néve illum miſeratione dignum, ſed potiùs invidiâ, & gratulatione arbitremur: perpendentes videlicet, quàm nullius pretii ſit, quidquid caducæ ſortis moriendo amiſit præ felicitate immortalis vitæ, ad quam emigravit: quemadmodum etiam cavere, nè, dum æra mortuali ſono pulſari audimus, vel funerum apparatus, ſandapilas, cadavera, & ſepulchra intuemur; funeſtum, & lugubre aliquid nos audire, & intueri exiſtimemus: ſed inſtar B. Catharinæ Senenſis (*In vit. c. 7.*) ejuſmodi ſonis, & ſpectaculis delectemur, in ſuprema aliorum ſorte noſtræ propediem ſecuturæ imaginem agnoſcentes, & lætis iterantes vocibus: O quando mea itidem mors ſimili æris tinnitu promulgabitur? Quando meus quoque ſpiritus ad DEUM evolans hos artus ità frigidos, atque exangues relinquet? Tertiò exercere eundem licebit, exprimendo identidem variis modis, ad exemplum Prophetæ Regii, intimos noſtri cordis affectus circa infelicitatem terrenæ hujus peregrinationis à DEO: (*Pſ. 119. 41. 141. 26. 121. 16.*) ità ut jam queramur, nimis diu illam produci: *Heu mihi! quia incola-*

tus meus prolongatus est. Fuerunt mihi lacryme meæ panes die, ac nocte, dum dicitur mihi quotidie, ubi est DEUS *tuus?* Jam suspiremus præ impatienti aviditate, quàm primùm coram eo comparendi: *quando veniam, & apparebo ante faciem* DEI? Jam ei supplicemus, ut à miserabili hoc carcere tandem nos eruat in libertatem gloriæ filiorum DEI; *Educ de custodia animam meam ad confitendum nomini tuo:* jam dulci afficiamur invidiæ sensu erga illos, qui ejus præsentiâ fruuntur: *Beati, qui habitant in domo tua Domine! In sæcula sæculorum laudabunt te.* Jam nostrorum anxietatem votorum solemur spe obtinendi aliquando beati finis: *Credo videre bona Domini in terra viventium. Lætatus sum in his, quæ dicta sunt mihi: in domum Domini ibimus. Satiabor, cùm apparuerit gloria tua.* Quartum, & præcipui illud momenti exercitium fuerit, præparare absolutissima, integerrimáque puritate animas nostras ad celeriorem visionem DEI: adeò ut, si sæculi præsentis tempore extorres à facie illius sumus, hujusmodi exilium nè momento quidem temporis in futura vita protendatur, sed sinè ulla necessitate ulteriorum ab obitu expiationum, idem sit nostrum *dissolvi à corpore*, & nostrum *esse cum Christo.* Quam in

rem

rem opus est, ut noxas omnes etiam minimas, quanto possumus studio, vitemus, próque jam commissis satisfacere ad plenum nitamur: DEUM insuper S. Aldegundis ritu (*Sever. Mort. Pret.*) precantes, ut, si pœnæ à nobis ultro susceptæ huic fini obtinendo pares non essent, alias ipse in præsenti vita addat, quot, & quantæ ad omnimodam nostrorum criminum expiationem sufficiant. Nos enim, quidquid ærumnarum indies pati contigerit, gratulanter excepturos, tanquam vicem satisfactionis posthumæ, quam nulla de causa æquè horremus, ac, quia visionem DEI animabus reis differt. *Quis det, ut, qui cœpit, ipse me conterat? Et hæc mihi sit consolatio, ut affligens me dolore non parcat.* (*Job. 6.*)

11. Tales, inquam, sunt modi, secundùm quos mortalis hujus exilii tempore exercendus nobis est DEI amor, si eo verè flagramus, & amantium more de objecti charissimi absentia dolemus. Quo pacto nostra omnis præsens vita nihil aliud erit, quàm continuum futuræ desiderium, qualem debere esse cujuslibet veri fidelis censebat D. Augustinus, cùm scripsit: (*Tr. 4. in Ep. Joa.*) *Tota boni Christiani vita sanctum desiderium est*: déque nobis affirmare quivis meritò poterit: *Hæc est genera-*

tio quærentium Dominum, quærentium faciem DEI *Jacob.* Hi sunt homines DEO pleni: homines, quorum vivere DEUS est: homines, quorum corda, sensúsque, & affectus omnes nihil præter DEUM spirant. Sed, quoniam in nonnullorum animis formidines, & rationes haud desunt, quæ sancto huic desiderio adversantur, illúdque, nisi indè amoveantur, vel frigefacere, vel extinguere etiam penitùs possent; eas singillatim examinare, & refellere, in tribus proximis capitibus pergam.

CAPUT XXII.

Naturalem mortis horrorem non debere cuiquam impedimento esse, nè illam desideret, déque adventu illius gaudeat.

ORdiri ab iis libet, quibus novum auditu, omníque rationi dissentaneum, & incredibile prorsus videtur, mortem posse esse desiderii potius, quàm aversationis objectum. Quo enim id pacto, inquiunt, cùm, sive observetur apparatus necessariò ipsi prævius, nempe virium debilitas, sensuum hebetatio, corporis do-

dolores, animi defectiones, & reliqua ſupremi morbi accidentia; ſive attendatur id, quod ipſa ſecundùm ſe eſt, corporis nimirum, animæque, partium tam intimo tum naturæ, tum amoris nexu inter ſe copulatarum violenta disjunctio; ſive conſequentes eam effectus ſpectentur, deformitas ſcilicet, atque abjectio cadaveris, nec non tenebræ, ſqualor, ſitus, & fœtor ſepulchri; nihil uſquam animus conſiderantis reperiat non tetrum, non ferale, non horridum, & quod citra mœſtitiam, faſtidiúmque aſpici queat. Adde, quòd, cùm eadem ſupplicium peccati ſit, nulla ratione exiſtimari appetibilis poteſt. Alioquin undenam à præmio differret? Aut quomodo non approbationem potiùs, quàm pœnitentiam culpæ in reis excitaret? Denique, ut nulla alia ſecùs judicandi argumenta ſuppeterent, ſufficeret tamen univerſalis omnium hominũ ſenſus, nunquam de morte, niſi velut de re admodum terribili, & funeſta loquentium. Quem ſenſum, dubitari non poteſt, quin ipſi à natura inſpiratum, inſitúmque habeant: nec proinde falli in eo poſſint, plùs quàm in ullo ex primis principiis: totam ſuam falſitatis neſciam firmitudinem non aliunde habentibus, quàm quòd ea univerſum genus humanum

citra ullam ambiguitatem, aut exceptionem ex inſtinctu, magiſterióque naturæ affirmet.

2. Ità ſanè illi diſſerunt. Quibus priuſquam reſpondeam, de nonnullis ad majorem reſponſi claritatem facientibus admonendos puto. Sciant igitur primò, me hìc cum hominibus loqui, Fide, Spe, & Charitate Theologica inſtructis. Fide primum, ità ut pro certiſſimo habeant, paratam juſtis eſſe ab obitu vitam, nullo temporis fine claudendam, tótque circumfluentem bonis, ut comparata illi noſtra hæc præſens *mors ſit potiùs dicenda, quàm vita.* Spe itèm, qua confidant, illam ſe immortalem, & beatiſſimam vitam à cæleſti ſuo Patre obtenturos, utpote ab eo, qui illius gratiâ nos condidit, & aſſiduis ad eam vocibus omnes invitat, & cuilibet extra gravis culpæ reatum morienti, indubitatiſſimè eam pollicetur, & ſupremam hanc illius aſſequendæ conditionem cuivis non negligentiſſimo facilem fecit. Charitate demum, ità ut conſiderantes, quàm eximium, omnibúſque aliis præſtantius, imò & infinitum bonum ſit DEUS, ſuper omnia illum ament, nihílque ardentiùs deſiderent, quàm præſentem intueri, & cum eo ſemper vivere. Præterea animadvertendum iis eſt, mortem conſiderari poſſe

vel

vel ſecundùm ea, quæ ſuâpte ipſi naturâ conveniunt, cujuſmodi ſunt morbus præcedens, ſeparatio animæ à corpore, & hujus ab ea deſtituti corruptio; vel tandem ea, quæ fides docet, poſt illam ſequi, nec nisi illâ priùs obitâ poſſe obtineri, cujuſmodi eſt ſempiterna beatitudo juſtorum. Quæ duæ conſiderationes plurimùm inter ſe differunt, ſuúmque per diſcrimen efficiunt, ut ipſa quoque diverſi aſpectûs in una, & diverſi in altera appareat: nempe ibi deformis, hìc pulchra: ibi amara, hìc ſuavis: ibi odioſa, hìc amabilis. Tertiò admonitos velim, non hìc diſceptari, ſatiúſne, & optandum magìs ſit, migrare è terris ad ſuperos totum hominem ſinè prævia diſſolutione animæ à corpore, prout moris fuiſſet in ſtatu originalis juſtitiæ; an ſolam illuc emigrare hominis animam mortis vi divulſam à corpore, neque cùm hoc rurſus ante extremum univerſalis judicii diem conjungendam, ùt in præſenti noſtro ſtatu accidit: cùm nemo revocare in dubiũ poſſit, quin prima migrandi ratio præferenda alteri ſit, juxta illud D. Pauli effatum, (2. *ad Cor.* 5.) *Nolumus exſpoliari, ſed ſuperveſtiri*: ſed unum hoc inter nos quæri, & venire in controverſiam poſſe, utrùm ſcilicet ſancita jam irrevocabili, & com-

muni omnibus Adami posteris lege, ut mori aliquando debeant, nec pertingere aliter ad æternam beatitudinem possint, hæc in præsenti nostro statu unica ad felicem illum terminum via, quæ procul dubio minùs suavis priori modò dicta est; omnibus rite expensis, timeri â nobis, & iniquo vultu aspici, an è contrario amari, atque expeti debeat?

3. His ergo præmissis, quorsum mihi odiosas mortis qualitates exaggerant: diros nempe cruciatus, & agones, per quos illa sibi aditum struit, immanem vim, qua animam è corpore exturbat, fœda putredinis vestigia, quæ post suum adventum relinquit, & feralem titulum pœnæ, cujus tantùm causâ reis hominibus à DEO est præscripta? Nihil horum me latet, nihil inficiatus unquam sum: omnia ultro fateor, & pro veris admitto. Sed quid indè consequitur? dignam eam esse, quæ omnibus terrori, odióque sit, tanquam capitalissima hostis, & malorum extremum? Sit ità, si nihil in ea præter modò dictas qualitates spectetur. Cæterùm, ubi aliquis mortem intuetur, prout via, & quidem unica est ad visionem DEI, ad gloriam cælestem, ad beatitudinem sempiternam; asseveranter pronuntio, nequaquam hunc posse citra insignem fidei, vel

vel ſpei, aut charitatis defectum eam odiſſe, & timere: imò non poſſe ejus adventum non ſitienter deſiderare, non hilariter opperiri, non gratulanter excipere. Uſque adeò coram illo ſupernaturali, æterno, immenſiſſimóque bono, ad quod non nisi per eam devenitur, nativus ejus horror ex occulis deficit. Socrates certè, quanquam divinæ fidei expers, neque majoris ſub mortem felicitatis gnarus, quàm quæ naturali lumine agnoſci poſſit, præ aviditate tamen illius boni à nobis credito, & expectato teſtabatur, non unam tantummodo, ſed & plures prompto, & perlibenti animo ſubiturum ſe mortes. *Equidem, ſi hæc vera ſunt, ſæpius mori vellem.* (*Plat. in Apol. Socr.*)

4. Utque id cognitu planius fiat, fingamus quo tempore Cicero in Græcia exulabat à dilecta Roma fortunæ ſuæ patria, & decorũ ſuorum theatro proſcriptus, viam reverſuro capeſſendam, ſive aquarũ eluvione, ſive alio quo caſu longè impeditiorem factam eſſe, quàm olim fuerit, nec non inſuper in ſingulis oppidis, atque portubus nova, & ingentia conſtituta viatoribus vectigalia fuiſſe: quæro, num, quando revocatus in urbem eſt, abnuiſſet eò mox regredi, prædictis viarum difficultatibus,

& expensis deterritus? Quisnam id, non dicam credere, sed vel suspicari queat? At saltèm illibenter suscepisset reditum, illum procrastinans, neque ullam certam illius expediendi horam reperiens. Multò adhuc minùs: nempe ità & exilii sibi tædia produxisset, nec onera itineris, cùm id tandem aggrederetur, leviora fecisset. Quid ergo? Molestè ille quidem prædictas incommoditates tulisset: sed earum odio prævaluisset Romæ amor, prævaluissétque adeò, ut nihil interpositurus moræ fuerit, quin qualecunque illud iter cupidissimè arriperet. Atque hæc nostra conditio est: nisi quòd beatitudo cælestis, ad quam nos è præsentis vitæ exilio vocamur, longè plùs præponderat universis terroribus mortis, per quos eò nobis est transeundum; quàm sperata à Cicerone Romæ gloria, & felicitas molestiis, atque impendiis in reditu subeundis præponderâsset.

5. Quamobrem possumus quidem aliquantò ægriùs ferre, quòd ad vitæ æternæ gaudia perventuris necesse sit mortem oppetere, quod vectigal in primævæ statu innocentiæ solvendum non fuisset. At nullo pacto possumus, ex conditionis hujus odio detrectare, aut parùm libenter capessere, & dilatum velle

le iter, quod ad beatissimum illum terminum ducit; nisi fortè, ùt suprà indicavi, minori in pretio visionem DEI habemus, quàm ipsimet dæmones: qui adeò parvi ducerent, ordinariæ hujus, ac brevissimæ mortis nostræ impendio eam licitari, ut eorum quidam, teste Cæsario, (*L. 5. c.* 10.) rogatus quidnam cruciatuum paratus esset pro æterna beatitudine acquirenda perferre? Fac, responderit, columnam ferream candentem, acutissimísque novaculis, & cuspidibus circumquaque præfixam è terris usque ad cælum protensam, per eam, etsi amictus mortali corpore essem, non abnuerem, ad extremum nsque diem mundi sursum reptare; dummodo tam prolixa, & immani carnificina cælestem mihi gloriam mererer. Alter autem Jordano Generali Prædicatorum Magistro affirmaverit, pro intuenda non diutiùs, quàm ad nictum oculi infinita Conditoris sui pulchritudine electurum se pati toto, quàm longum est, mundi ævo, quidquid tormentorum rei omnes spiritus avernali in ergastulo ferunt. Durum est, non inficior, cum proximæ mortis angoribus plures horas, & aliquando etiam dies colluctari. At ô quantò suavius ineffabilibus cælestis vitæ gaudiis æternùm potiri? Contristat disjunctio ani-

animi à corpore, sed quantò exhilarare plùs debet intima, & nunquam dissolvenda ejusdem conjunctio cum DEO? Horrorem incutiunt squalor, graveolentia, & tabes cadaveris. At quantò majorem oblectandi vim habent præclarissimæ dotes, quibus illud idem suo tempore immortalem ad vitam renatum decorabitur? Sanè admirari sat nequeo, ubi Christianum hominem video accepto imminentis obitûs nuntio expallescere, perturbari, dolentis speciem vultu, & verbis præferre. Itáne verò cælestis tuus Pater ad sui regni, suæ gloriæ, suæ beatitudinis, suæ divinitatis consortium, te invitat. Immensam tibi exhibet opulentiam bonorum, *quæ oculus non vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis ascenderunt.* Arbitrii, & potestatis tuæ est, perpetuam eorum possessionem inire, unóque temporis puncto assequi, quidquid optare inexplebilis humanorum cordium aviditas potest. Tu verò, quòd præ tantæ felicitatis foribus spectrum falce armatum videas, retrò absistis, tergiversaris, nec audes promoto fortiter gradu per quascunque ejus minas in beatissimam illam sedem irrumpere? Ah ignave! ah vecors! ah fidei, speique expers! Et quid demum tanti horroris in isto tuo tibi occurrit non ultra mo-

momentum temporis perdurante obitu, ut possit, non dicam, prævalere omnibus immortalis, & beatissimæ vitæ illiciis; sed præ ipsa vel adverti, téque plus afficere, quàm si esset, quod in hac comparatione revera est imaginaria mali umbra, & inane puerorum terriculamentum? Intende, intende paulisper rationis, fideique oculos ad perspiciendum, quàm immensum bonum sit DEUS, quámque incomparabilis sors illo frui. Ubi enim alta mente id conceperis, nihil jam supererit, quod retinere te valeat, quin præ admiratione, & desiderio tantæ felicitatis per formidolosissimas quasque ultimorum malorum, & discriminum species recto cursu ad eam tendas: Eliæ instar, qui *superni itineris desiderio accensus hilaris, gaudensque flammantes currus ascendit.* (*S. Bas. Hom. 13. Exhort. ad Bapt.*)

6. Aliud itaque est, si dicas, mortem secundùm se tantummodo consideratam desiderabile objectum non esse; aliud verò, si esse talem neges, etiam prout via est ad ultimum, & beatissimum hominis finem. Nam & medicamentorum plurima, si secundùm se, & suum saporem spectentur, odio sunt: quæ tamen, quatenus sanitati utilia, amari, & quæri videmus. Quemadmodum igitur gratius cui-

cuique esset, amplissimum prædium, vel regalis magnificentiæ palatium dono accipere, quàm mille aureis emere; nihilominus, si hoc pretio sibi offeratur, libentissimè tantillum pecuniæ pro illo impendit, maximúmque ibi lucrum se feciſſe arbitratur; sic, quamvis optabilior conditio esset, ad cæleſtem gloriam sinè prævia moriendi necessitate evehi; nihilominus, cùm non nisì hoc pretio obtinere illam liceat, quisquis vel semunciam rationis, bonæque mentis retinet, summa cum alacritate id genus nundinationis amplecti debet, sibique de eo gratulari, & multò quæstuosius censere, quàm si quadrantem pro Augusti Cæsaris imperio solviſſet: juxta D. Pauli exemplum, qui, quòd nullam præter Christum vitam agnoſceret, non emptionis, & sumptûs, sed lucri locò mortem habebat, (*Ad Philipp.* 1.) *Mihi*, inquiens, *vivere Christus est, & mori lucrum.* Sed enim verò fide opus est, vividáque illorum verborũ intelligentia, quæ idem Apoſtolus Theſſalonicenſibus ſcripſit, (*Ep.* 1. *c.* 4.) *Ut non contriſtarentur de dormientibus, ſicut & cæteri, qui ſpem non habent*: nempe, quòd soluti à corpore, *rapiemur obviàm Chriſto in aëra, & ſic ſemper cum Domino erimus.* O consolationem mirificam! ô verba, quæ vel to-

toxico aſpergere nectaris dulcedinem queant! *ſemper cum Domino eſſe:* quamdiu permanebit æternitas, vivere, & regnare cum DEO, ſimiles ipſi ipſo fruentes, unum quidpiam cum ipſo. Ità, ità profectò, ô mortales! bono, erecto, hilari animo eſtote. En quò perventuri moriendo ſitis: *Semper, ſemper, ſemper cum Domino eritis. Itaque conſolamini invicem in verbis iſtis.*

7. Neque verò excuſatum hìc quiſpiam ſe putet, quòd mortem non omnino quidem refugiat, ſed dilatam ſolummodo aliquantiſper velit. Velle ſiquidem eam tardiùs obire, magìs ſecundùm aliquam conſiderationem à ratione alienum, & ſecum pugnans videtur; quàm eâ nunquam velle defungi. Magìs, inquam, à ratione alienum: cùm per hujuſmodi dilationem diutiùs careamus ampliſſimis futuræ vitæ bonis, nec idcirco vel declinemus, vel minuamus mortis moleſtias, quæ, ſi graves ſunt hodie, nihilo utique leviores cras erunt. Magìs verò ſecum pugnans: quia, qui ità affectus animo eſt, in ferendo de morte judicio ſibimet contradicit: ſimul nempe illam exiſtimans majus malum, quàm bonum; alioquin non eam hodie refugeret; ſimúlque majus bonum, quàm malum; alioquin cras non ad-

admitteret. Paucis: mors ſecundùm nativas ſuas qualitates non alia hodie, alia verò cras, aut perendie, ſed unius, & ejuſdem modi quovis tempore eſt. Vel ergo abſolutè, & omnibus penſitatis appetendam exiſtimat, & quare nunc averſatur? vel contrà fugiendam, & quare paratus eſt in futurum libenter admittere? Reſpondet fortaſſe, minùs triſtem in ſenecta mortem accidere, quando non nisi paucos, eóſque fatiſcentes, & parùm vitales annos ſubducit; quàm in juventute, cùm ipſum vitæ florem præcidit: nec propterea diffidentis à ſe ipſo notam mereri, qui in altera harum ætatum eam deprecatur, in altera æquo animo recipit. Præterquam quòd, cùm via quidem ad maximam felicitatem mors ſit, ſed via admodum dura, & inceſſu aſpera; nullam eſſe affectuum diſcordiam, ſi reſpectu felicitatis per eam conſequendæ ametur; & nihilominus nativæ aſperitatis ſuæ causâ illius comperendinationes quærantur. Cùm hunc paſſim eſſe hominum morem videamus, circa res cæteroqui neceſſarias, ſed ſuâpte naturâ odioſas, & moleſtas: quæ & neceſſariæ certo voluntatis decreto eligi, & ùt ingenio ſuo triſtes diutiſſimè differri ſolent: utì exemplo eſſe poteſt magni æris alieni ſolutio, aut membri putre-

trescentis amputatio. Frustrà id omnino reponet; neutra quippe rationum prædictarum ad defensionem illius facit. Non prima: nam qui juventutis respectu, non nisi eâ peractâ mori vellet, palàm ostendit, ad hujusmodi voluntatem non se impelli à mortis timore, de quo solo hìc disputamus, sed à nimio præsentis vitæ amore: satius nempe existimans, vicenos, tricenósve floridioris ævi sui annos in terris, quàm in cælo traducere. Quod quàm abnormis vecordiæ sit, capite superiori sat vidimus. Sed neque altera ipsi ratio suffragatur: eatenus siquidem absolutè volita rerum necessariarum executio non imprudenter, & citra voluntatis inconstantiam differri potest; quatenus vel ejus dilatio nihil detrimenti affert, ùt cùm quis cunctatur, quantùm potest, onerosæ promissionis fidem exolvere; vel spes aliqua affulget, posse finem quæsitum suaviori alia ratione obtineri: ùt, cùm æger præscriptam à chirurgo ulceris sectionem prorogare indies pergit, expectans videlicet, num fortè ulcus absque illo sæviori remedio, vel per se ipsum, vel per invocatam cælestis alicujus Patroni opem sanetur. Nam alioqui, si certissimè constet, rem adeò necessariam esse, ut ad eã seu sponte, seu coactè deveniendũ ali-

quando sit; neque rursus eam procrastinare sinè gravi incommodo liceat, nemo sanè est, quin perspiciat, inconsultè actum ab eo iri, qui dilatam inposterum vellet: præsertim verò, si molestia, quam affert, instar nihili præ fructu ex ea proventuro esset: veluti accideret, si quispiam inter continuos podagræ, aut calculi cruciatus vitam morti similem ducens, poto absynthii quincunce liberare se protinus à doloribus suis posset: qui profectò tantùm abesset à salubris illius amaritiei hausti in crastinum transferendo, ut nihil ei longius vel minima tam præsentis remedii dilatione videretur. Atqui hæ omnes circumstantiæ in re nostra mirè conveniunt. Nam & mortis amaritudo seriùs, ocyùs ab unoquoque hominum est exsorbenda, & illius dilatio nihil nobis aliud præstat, nisi ut toto illo tempore futuræ vitæ gaudiis careamus; & eorum jucunditas, quidquid in moriendo ingrati, odiosíque est, multò longiùs excedit, quàm liberatio à calculi, vel podagræ cruciatibus, quidquid in absynthii sorbitiuncula austeri est, jucunditate sua excederet. Quamobrem colligi ex dictis jure optimo potest, eum, qui præ ultimi excessûs formidine, nunquam mori optet; fœdè procul dubio hallucinari, dum

pro

pro graviori malo breviſſimi illius tranſitûs difficultatem, quàm æternam ultimi finis ſui privationem habet: ſed hìc tamen conſiſtere, neque per novam delirationem eò progredi, ut in falſo hoc iudicio ſibimet contradicat: at, eum, qui ex eadem formidine mori quàm tardiſſimè cupiat; hunc & ſimiliter hallucinari, utpote qui triſtius eſſe arbitratur, aliquantò citiùs mortem oppetere, quàm toto dilationis illius tempore ab ultimo fine ſuo abeſſe, & huic inſuper hallucinationi ſtultitiam diſſenſionis à ſe ipſo adjungere: exiſtimando videlicet, prout ſuprà obſervavimus, appeti dignũ, quod eodem tempore fugiendum, & recuſandum exiſtimat. Nisì quòd, cùm impoſſibile ſit, ut quiſquam, quæ contraria invicem ſunt, eodem tempore affirmet, aut velit; hujuſmodi judiciorum, & affectuum diſcordia nunquam revera in ullius hominis animo exiſtit: ſed, qui naturali, & nunquam non eadem mortis tetricitate perterritus eam nunc nollet oppetere; fieri neutiquam poteſt, ut cum illius hodiernæ metu, atque horrore præparationem ſimul animi ad eam cras, vel perendie, vel quovis alio tempore libenter excipiendam conjungat. Et, ſi fortè id de ſe affirmat, vel mentitur, vel quid affirmet, minimè intelli-

git. Quemadmodum enim non alia hodie, quàm alio quovis tempore mortis natura est; sic non aliud est pro præsenti, quàm pro alio quovis tempore eam odisse, & refugere.

8. Quamvis verò hactenus dicta satis demonstrent, quod initio proposui, mortem videlicet, esto naturaliter maximè horrida, & *ultimum terribilium sit*, desiderandam potiùs, quàm timendam illis esse, qui Christianis eam oculis, inque supernaturali fidei lumine, quasi viam ad incomprehensibilia futuræ vitæ gaudia intuentur; libet tamen progredi ulteriùs, & ex abundanti ostendere, eandem, etsi merè secundùm nativam suam conditionem spectetur, nequaquam adeò tetram, & formidabilem revera esse, ut à plurimis per vanam imaginationem concipitur; quod faciam, percurrendo singillatim, quæ objecta initio sunt illius naturaliter metuendæ argumenta. Et primò, si morbum attendamus, qui ejus quasi via, & quædam prægustatio est; non hic magis ad ipsam, quàm ad vitam attinet. Quare, si hoc nomine terribilis dicenda mors esset, nihilo minùs talis, imò plùs etiam appellari mereretur diuturnitas vitæ, utpote quæ non uni, sed pluribus morbis nos subjicit. Præsertim quòd non satis constat, extremum in-

inter morbos acerbiorem quocunque alio præcedentium esse, ínque avulsione animæ à corpore dolorem percipi, quantum in reliqua omni vita experiri nunquam contigerit: cùm permultos videamus sat placidè, & sinè convulsionibus, aliísque extraordinarii cruciatûs indiciis à vita migrare. Adde huc sensuum, animíque in moribundis torporem, quo fit, ut illius temporis dolor, esto per se acutissimus foret, iis tamen non admodum sensibilis sit: & postremò, cùm disjunctio animæ à corpore intrà momentum temporis fiat, dolor indè proveniens, qualiscunque demum sit, nequit esse, nisi momenti unius, parúmque idcirco terribilis dolor.

9. Neque ratio validior, cur horrori nobis esse, quasi summum malorum mors debeat, dura illa vis est, quam animæ infert, divellens nequidquam reluctantem à corpore fidissimo tanti temporis socio, & cui ipsa non arctiori naturæ, quàm amoris nexu penitissimè inhæret. Nam quibus, rogo, officiis corpus meretur, ut anima tam amanter ipsi inhæreat, tam violentè ab eo disjungatur? Num quia illam cogit, famulari sibi in terrenis suis usibus, omniúmque suorum accidentium, & malorum in partem venire? Num quia occa-

sionem ei præbet tot cupiditatum brutarum, ignobilium, & rectæ rationi adversantium? Num quia impedimentum, & moram ei affert, nè, qua opus est, libertate actiones spiritualis naturæ suæ proprias exerceat? Hi certè ordinarii sunt fructus, quos anima ex consortio corporis refert, quibúsque per disjunctionem ab eodem orbatur: fructus, uti manifestum cuique est, amarulenti adeò saporis, ut ego haud satis assequar, quomodo ipsa vel secundùm naturalem instinctum dolere potiùs, quàm lætari de discessu ab eo possit: quíd. vc habeat causæ illud existimandi socium potiùs, atque servum fidelem, quàm pro cõmuni sapientum sententia, hostem, proditorem, pondus, laqueum, carcerem, sepulchrum. Nónne in libro Sapientiæ legimus, (*c. 9.*) *Corpus, quod corrumpitur, aggravat animam, & deprimit terrena inhabitatio sensum multa cogitantem?* Præclarum enim verò beneficii genus, & dignum amoris vicem referre. Nónne audimus ab Apostolo, (*Ad Gal. c. 5.*) *Caro concupiscit adversùs spiritum, spiritus autem adversùs carnem. Hæc enim sibi invicem adversantur?* Amica profectò societas, quæque haud possit, nisi per vim, atque coactè dissolvi. Si nihil præterea duri, & graviter ferendi esset, quàm im-

immortalem, cæleſtémque ſpiritum cum lutea, & putri carne aſſiduè colligatum teneri; nónne unum id ſupplicium videretur intolerabile, atque illi ſimillimum, quo immanis Mezentius fertur olim fuiſſe uſus, quando (*Ap. Virg. L. 8. Æn.*) *Mortua quin etiam jungebat corpora vivis, componens manibúſque manus, atque oribus ora*, (*tormenti genus*) *& ſanie, tabóque fluentes complexu in miſero longa ſic morte necabat?* Poſtremò, quinam fieri poteſt, ut juxta naturalis rationis inſtinctum ſit amor animæ erga ſuum corpus; cùm videamus, quantò quævis anima excellentiori indole eſt, ſuæque ſpiritualis naturæ magìs memor, tantò eandem ſupra corpus magìs eminere, minorémque illius curam gerere? Unde ſapientum vita à Platone (*In Phæd.*) mortis meditatio, ſeu imitatio, & exercitium moriendi appellata eſt: quippe cùm mortuorum more ipſi vivant, mente, animóque ſejuncti à corpore, nec de illo plùs ſoliciti, quàm ſi extra illud moriendo evolâſſent.

10. At quid dicemus de luctuoſis effectibus, qui à morte, ceu funeſta ſuæ horriditatis veſtigia, relinquuntur in corpore? An quidquam cogitari triſtius poteſt, quàm fore aliquando, ut noſtra hæc corpora adeò nunc aſ-

pectu decora, in suis motibus vivida, ad agendum strenua, quæque tanto nos studio tuemur, curamus, fovemus; vix ultimo spiritu emisso remaneant tetra, lurida, immota, omnis venustatis, omnis vigoris, omnis sensûs, atque usûs expertia: neque ideo ulla eorum jam cura, vel apud conjunctissimos domesticorum superstit, sed in tenebricosam, angustam, & fœtidam specum, tanquam supervacuum terræ onus projiciantur: ubi clausa, & ab hominum memoria in perpetuam oblivionem amandata, miserabile vermibus, & putredini pabulum præbeant? Ità profectò tristis, atque horrida præter modum est hujusmodi imago; sed mulierculis, sed pueris, sed vulgo imprudenti: hominibus scilicet à magna qualibet, esto inani rerum specie vehementer commoveri solitis, quíque corpus vitâ functum nesciunt à vivente discernere, & propterea, quidquid in hoc luctuosum, & miserabile esset, in illo etiam tale arbitrantur. Cæterùm cordati, & virilis animi homines, qualemcunque carnis suæ sensu jam carentis lanienam, & abjectionem nihili faciunt, nec, quid in hujusmodi statu illi eveniat, majori curæ habent, quàm quid callo fiat, ubi à corpore abscissum temere humi projecerint: gna-

ri

ri scilicet, cassо vitâ, & sensu corpori perinde esse dissolvi, ac solidum permanere: perinde in squalenti cavea, ac in regali aula collocari: perinde fastidio, & abominationi esse, ac obsequiis circumstantium coli: perinde tabo, & sanie, ac balsamo, unguentísque diffluere. Idque luculenter inprimis declaratum à Diogene est, (*Ap. Cicer. L. 1. Tusc.*) quando morti proximus familiares monuit, nè de sepultura sui corporis soliciti essent, sed in loca avia inhumatum abjicerent, appositо tantùm ad propulsandam vulturum importunitatem baculo. Cúmque illi reposuissent, frustrà ipsi baculum fore, quo nempe uti vitâ carens haud posset. Bene est ergo, subjecit: missam licet facere non sepulchri tantummodo, sed & baculi curam: vitâ siquidem carens ùt vultures arcere non potero, sic neque eorum morsus sentire.

11. Veniendo denique ad testificationes ex adverso productas, sive DEI sapientissimi judicis, qui, dum mortem pœnam esse nostri criminis voluit; eam pro malo se ducere ostendit, sive humani totius generis, in cujus æstimatione mali, & quidem gravissimi locum mors obtinet; circa primam respondeo, si pœna peccati mors est, nihilo esse pœnam mi-

nùs neceſſitatem victûs diurni ſudorum pretio parandi, elementorum, & cæterarum animantium injurias, appetitionum rationi perduellium tumultus, ſexcentáſque alias miſerias, quibus præſens hominum vita continenter urgetur. Quare ex eo, quòd pœna mors ſit, argui quidem poteſt, aliquod malum eam eſſe; at non etiam malum gravius noſtra hac mortali vita, tot aliis pœnis, atque ærumnis obnoxia. Præſertim verò, quòd iſti odioſo quidem, ſed communi pœnæ titulo, alium ipſa ſibi peculiarem, nec parvi inſtar boni cenſendum adjungit, univerſalis nimirum remedii, quod quibuſque aliis naturæ malis certiſſimum finem imponit. Quantùm verò ad communem hominum ſenſum, nego iis omnibus horrori mortem fuiſſe: cùm ex monumentis veterum conſtet ſapientiſſimos Ethnicorum expetendam eam potiùs, quàm fugiendam, & recuſandam duxiſſe. Cujuſmodi, ut plures alios prætéream, fuit Socrates, qui amicorum nonnullos de imminenti ſuo obitu ægros, ac lugentes intuitus importunam eorum mœſtitiam redarguit, monens: (*Plat. in Phœd.*) *Cum gratulatione, & applauſu eſſe ex hac vita migrandum:* & cujuſmodi omnis Brachmanum ſecta, qui, teſte Strabone, (*L.* 15.) do-

docebant, hominem, quamdiu in corpore agit, nondum propriè esse natum, sed instar rudis fœtûs paulatim ad exortum parari, qui tunc demum contingat, cùm ipse ex corporis conceptaculo, veluti ex quodam utero prodit in lucem rerum, quæ verè sunt, rerum nempe spiritualium, atque æternarum: nec denique hanc, quæ vulgò mors dicitur, esse aliud, quàm primum hominis ad veram vitam, nempe ad vitam immortalem ingressum. Quod si quispiam objiceret, memoratos sapientes id prædicâsse ad ostentationem potiùs miræ, & singularis doctrinæ, quàm ex animo, & quòd ità sentirent; possum eorum locò afferre barbaram illam Thraciæ gentem, (*Herod. L. 5.*) quæ suos in lucem prodeuntes flebilibus lamentis excipere, contrà verò eorundem funera hilari plausu, & festis lætitiæ significationibus celebrare consueverat; tum innumerabilem eorum turbam, qui, juxta vulgatissimum apud veteres Ethnicos, ex mali alicujus vel impatientia, vel metu mortem sibi ultro intulerunt; palàm facientes, quantùm abessent ab ea summi mali locò ducenda, in cujus sinum, tanquam in fidissimum quoddam asylum à vitæ malis, atque ærumnis se recipere properabant.

12. Ex

12. Ex hac tota disputatione colligi demum potest, quàm indigna res foret, si DEI famulus vitam diutiùs ducere optaret, præ ignavo timore transitum superandi, parùm adeò terribilem, ut & ipsi Ethnici homines eum contemptui habere potuerint. Cùm, etsi nihil illo horribilius in terris foret, adeò tamen expetenda, & omni pretio superior sit felicitas, ad quam per eum devenitur, ut, quisquis hanc dignè æstimat, nedum omnia illius terricula deberet flocci pendere; sed nihil etiam ardentiùs, quàm illius superandæ horam expetere, déque nulla re magìs, quàm de ejus distantia dolere. Præsertim quòd, qualiscunque tandem hic transitus sit, ineluctabili necessitate ab omnibus aliquando est peragendus: illiúsque dilatio nequaquam à prædicta necessitate nos eximit, sed illam nobis solummodo omnimodam beatitudinem differt, quam non nisi per eum assequi licet: quæ, quàm exiguo in pretio, & amore apud hominem sit, qui, nè citius hujusmodi transitum peragat, tardiùs potiri illâ vellet.

(†)

C A-

CAPUT XXII.

Neque divini judicii metũ juſtam eſſe cauſam, cur fidelibus DEI ſervis minùs grata eſſe mors debeat.

VEriſſima, & rationi apprime conſentanea eſſent, quæ dixiſti hactenus, (reſpondentem hìc audire mihi aliquem videor) ſi, quod extra controverſiam videris ponere, idem foret migrare è terris hominem, & cælum conſcendere, lucíque huic ſenſibili oculos claudere, & divinæ viſioni aperire. Si ſe ità res haberet: O mortem ſanè beatiſſimam! ô ſtultiſſimum, quicunque eam non ſuſpiraret. Atqui non ità contingit: mors enim non magìs cæli, quàm orci janua eſt, quin multò plures ad æterna ſupplicia, quàm ad æterna gaudia tranſmittit. Et, quemadmodum è carcere emitti non omnibus felix, fauſtúmque eſt, cùm indè egredientium multi quidem libertatem recuperent, ſed & multi ad patibulum ducantur; ſic neque mors, quamvìs animam è terreni corporis carcere educat, deſideranda potiùs, quàm timenda homini eſt, qui com-

per-

pertum non habet, quonam indè exiens profecturus sit, ad æternámne filiorum DEI libertatem, an ad æternas inimicorum DEI pœnas? Et tamen quotocuique compertum id est? Scimus quidem, majorem eorum numerum esse, quos secunda sors excipit: scimúsque itèm, nullum esse mortalium, qui non in magno versetur illius subeundæ discrimine: formidolosissimæ dimicationis causâ, quam in supremo vitæ exitu inituri omnes sumus cum dæmone, hoste tam valido, ut *non sit super terram potestas, quæ comparetur ei*: (*Job. 41.*) & hoste, qui gnarus illud sibi ultimum esse, ac decretorium nobiscũ certamen, ultimos quoque suarum virium, suæque artis conatus ad nostram perniciem ibi exeret: quasi coluber, qui peculiari ratione *insidiatur calcaneo nostro*, nempe, ùt interpretatur Cassianus, (*L. 4. c. 7.*) *exitui nostro.* Cui propterea quàm timendum est, nè imbecillitas nostra succumbat, & nunquam non maxima, & tantò tunc major, quantò minorem nobis, confusiorémque mentis usum mortis proximæ angores relinquent? *Væ terræ, & mari, quia descendit diabolus ad vos, habens iram magnam, sciens, quòd modicum tempus habet.* (*Apoc. c. 12.*) Neque hìc terrores desinunt: sed huic primo

Væ

Væ novum aliud, & quidem formidabilius accedit, lex nimirum omnibus dicta, comparendi vix obita morte ante tribunal Christi: Judicis toties à nobis offensi, justásque iracundiæ adversùs nos causas habentis: Judicis, qui vel minima quæque totius vitæ nostræ facta, dicta, & cogitata severissimum ad examen vocabit: Judicis, qui suâ tunc sepositâ infinitâ cæteroqui clementiâ ad exactæ normam justitiæ de unoquoque statuet, præsentia duntaxat reorum merita attendens, certúsque propterea inexorabili decreto in perpetuum damnare, quemcunque gravis culpæ conscium deprehenderit, esto is sanctissimam per sexagenos, & octogenos pridem annos vitam duxisset: Judicis tandem, è cujus sententia gravissimum pendet nostræ seu æternæ beatitudinis, seu æternæ infelicitatis negotium. *Nemo credit, nemo credit, nemo credit,* ter repetîsse fertur pii hominis anima, cùm post excessum è corpore veteri amico se intuendam dedisset: rogantíque, quidnam illud foret, quod à nemine crederetur, subjecit: *Quàm districtè DEUS judicet, & quàm severè puniat.* (*Spec. Ex. D. 9 Ex. 98.*) Quonam igitur pacto, nihil certi habentes de futuro rerum nostrarum exitu, desiderare potiùs, quàm time-

re

re tam difficilis pugnæ, támque ancipitis judicii tempus poterimus? Quomodo læti potiùs, & gestientes de illo cogitare, quàm ad memoriam illius contremiscere.

2. Præsertim quod ad confirmandos, exaggerandósque id genus terrores accedunt complurium exempla, qui opinione hominum sancti haud tales reperti sunt in severiore supremi Judicis trutina, sed vel revelata eorum damnatio est, vel salus in ambiguo relicta. Ceu inter alios ille apud Joannem Climacum eremi incola, qui, cùm quadraginta annis insigni cum vitæ austeritate, sanctimoniæque, & rerum admirabilium fama DEO serviisset; imminente jam obitu cernebatur, attonito vultu trepidos huc illuc oculos vertere, tartareo accusatori respondens, aliàs, mentiris sycophanta, nunquam id patravi; aliàs, fateor, me hoc admisisse, verùm tot jejuniis noxam elui; aliàs, hìc verò, quid reponam, non habeo. Secundùm quæ verba supremum spiritum, non sinè magno adstantium terrore exhalavit: *quod judicium*, (ceu nominatus modò sanctus Scriptor concludit) *quis terminus, quæ sententia, quis rationis ejus finis fuerit, penitùs incertum relinquens. Væ, væ. Ubi erat Ezechielis vox, quam illis objiceret, in*

qua-

quacunque hora ingemuerit peccator, ſalvus erit? Verè nihil hujuſmodi reſpondere potuit. (*Grad. 7.*) Speramus nos equidem abſque criminis ſaltèm capitalis reatu ad ſeverum illud tribunal profecturos: ſed neque contrarium impoſſibile eſt. Et, ſi fortè, quod avertat DEUS, eveniret; quid heu (mens ad teterrimam ſpeciem tota horrore percellitur) quid, inquam, nobis miſeris fiet? audituris ſcilicet ſupra nos cadere ab irati judicis ore, fulminis inſtar erumpens, irrevocabile illud: *Diſcedite à me maledicti*; eodémque ipſo temporis puncto in funeſtiſſimum æternæ mortis barathrum ſinè ulla vel ope, vel reſurgendi ſpe prolapſuris? Nec talis eventus hic eſt, ut vel mera illius poſſibilitas ad extremum incutiendum terrorem ſufficiat? Sanctiſſimi certè viri eum nunquam memoriâ repetebant, quin ſanguinem ſibi congelari, & cor tremulo motu palpitare ſentirent. Quiſnam inter ſuorum æquales temporum ſanctior, quàm Jobus, patientiæ prodigium, commendatúſque à DEO ipſo, (*c. 2.*) *Quòd non eſſet ei ſimilis in terra*? Qui tamen conſternatus, atque attonitus clamat: (*c. 31.*) *Quid faciam, cùm ſurrexerit ad judicandum Dominus? Et, cùm quæſierit, quid reſpondebo ei?* Quiſnam inter Iſraëlis Reges perfecti-

ctior Davide, *viro* (ut nihil ultrà addam) *secundùm cor DEI*? Qui nihilominus, minutissimam DEI in quibusque nostris actibus examinandis subtilitatem animo reputans, humili cum terrore eum deprecatur: (*Ps.* 142.) *Nè intres in judicium cum servo tuo, Domine, quia non justificabitur in conspectu tuo omnis vivens.* Cúmque istiusmodi heroës divinum judicium adeò expaveſcant, nos homunciones mille criminum rei, illius tempus votis solicitabimus dicentes: Propera ô mors! & divino quàm primùm tribunali nos siste, immutabilem accepturos, qualiscunque nostræ sortis in futura omni æternitate, sententiam?

3. Talis est ratiocinatio, quam nonnulli hìc constituunt: existimantes propterea, non modò non culpandos exiguæ fidei, & charitatis se esse, quòd à morte ad divinum tribunal citari vel nunquam, vel quàm tardissimè cupiant; sed è contrario temeritatis potiùs notam commerituros, si aliter affecti animo essent. Et quidem, si à nefariis, & sceleratis hominibus jactari hæc audirem, neutiquam inficiarer, justissimam esse illis causam mortem timendi: quin imò eos insuper stimularem ad illam vehementiùs timendam: utpote quæ, nisì ad meliorem frugem se recipiant, præ-

præcipites illos datura in ſempiternæ infelicitatis barathrum ſit, omni mortuos lætitiæ, & ſoli jam deinceps luctui, ac deſperationi victuros. Quanquam neque in ipſis probarem deſiderium vel nunquam, vel quàm tardiſſimè eam oppetendi: quippe quòd in eorum animo non tam ex mortis metu, quàm ex peccati amore originem ducit. Cùm enim mors iis tantùm funeſta, & horribilis ſit, quos peccati reos deprehendit; quando ipſi ex illius metu ſtatuerent, ſua crimina per pœnitentiam delere, nequaquam ea ipſis tunc funeſta, & horribilis, ſed qualem juſti experiuntur, fauſta potiùs, atque amabilis foret: nec proinde ſupereſſet jam ratio, cur illius dilationem magis, quàm celerem adventum optarent. Dum igitur eam, quàm tardiſſimè fieri poſſit, advenire cupiunt, manifeſtè hinc apparet, non habere eos voluntatem emergendi, nisi quàm tardiſſimè, è ſuorum criminum ſordibus: & conſequenter non timeri ab iis mortem nec quantùm, nec quomodo eſſet timenda. Non quantùm eſſet timenda: cùm ejus timor non ſufficiat ad illos à peccato avellendos, verùm magis hoc ament, quàm eam timeant. Sed neque, quomodo eſſet timenda. Cùm enim timor inſitus à natura homini ſit, non ut ani-

mum inutiliter cruciet, sed ut acri, molestóque suo sensu ad malorum, à quibus excitatus est, fugam impellat, verus, & prudens timendi modus est, adhibere omne studium ad malum, quod timetur, arcendum, arcendámque ità simul cum illo, quæ ex illius præsenti discrimine orta est, anxietatem, ac molestiam timoris, quod neutiquam ipsi faciunt: mortem quidem timentes, sed nihil interea soliciti de fugiendis peccatis, quæ sola eam terribilem faciunt: & quibus remotis nullam ultra haberent timendæ potiùs, quèm desiderandæ illius causam.

4. Ità, inquam, objicientibus talia flagitiosis, & nequam hominibus responderem: ultro iis permittens, imò etiam commendans, & suadens, ut mortem, quamdiu malè vivunt, timeant: sed timore fructuoso, & efficaci, à quo nempe impellantur ad meliùs deinceps vivendum, omnémque in hunc modum timendæ sibi potiùs, quàm desiderandæ mortis causam tollendam. *Cùm enim*, inquit Augustinus, *Judex vivorum, atque mortuorum expectatur è cælo, magnum terrorem incutit negligentibus, ut se ad diligentiam convertant, eúmque magis bene agendo desiderent, quàm malè agendo formident.* (*De Doct. Chr. L. 1. c. 15.*) Sed quoni-

niam sermo hìc mihi est cum hominibus spiritualem jam diu vitam professis, quíque nihil magìs, quàm lethalem culpam perhorrescunt, nihil student enixiùs, quàm in DEI amore, & animi puritate proficere; responsione hac omissa, duo his contra supradictos terrores propono, & demonstranda suscipio. Primum, nullam iis idoneam esse causam, cur mortem, & divinum tribunal secùs aspiciant, quàm ut viam ad regnum cæleste. Alterum, etsi aliquo inquietarentur circa æternam salutem suam metu, debere eos nihilominus mortis potiùs adventum, quàm dilationem optare. Et quantùm ad primam propositionem, statuo, tanquã fidei dogma certissimum, & à nemine in controversiam vocandũ, quisquis divinæ compos gratiæ è vita discedit, quotcunque, & quorumvis criminum reus antea fuerit, æternæ salutis sententiam in divino judicio referre: & proinde, quanta cuique est ratio credendi, moriturum se divinæ compotem gratiæ; tantam quoque rationem ei esse, cur credat, divinum judicium nihil sibi aliud, nisì viam ad æternam salutem futurum. Hoc igitur pacto, nónne suprà demonstravimus, hominem, qui plures jam annos divinæ charitati, & consuetudini operam dat,

quaſcunque etiam leviores DEI offenſas ſolicitè cavens, & ulteriùs in Chriſtianæ perfectionis curriculo progredi laborans; de divinæ in ſe gratiæ præſentia poſſe eſſe moraliter certum? Quídni igitur æquè certus eſſe idem queat, ſi à morte ad divinum nunc tribunal citetur, æternæ ſe ibi ſalutis relaturum ſententiam? Aut quídni certus de hoc, mortem non aliter intueri, quàm æternæ ſalutis januam poſſit? Aut quídni ùt talem eam intuens ægre ferre illius moram, & adventum optare quàm celerrimum debeat? Præſertim quòd, quandocunque illa inſtet, noviſſima ſuperſunt Sacramenta, quibus ad eam rite obeundam ſe muniat, novámque proin moralem ſibi adjungat certitudinem divinæ gratiæ in ſupremo è vita diſceſſu obtinendæ. Moralem certitudinem, dixi: cùm nulla ſit probabilis metuendi ratio, nè, qui tot jam annis ſanctiorem vitam profitetur, & intimæ cum DEO neceſſitudini vacat, rem tanti ad æternam ſalutem momenti, quanti exomologeſis ultima eſt, non legitimè, & cum neceſſariis conditionibus peragat, divinámque gratiam, etſi fortè illius expers fuiſſet ante ſuum è mortali vita diſceſſum recuperet.

5. Ne-

5. Neque obeſt, quòd hujuſmodi certitudo non excludat poſſibilitatem dubitandi, & timendi de eventu contrario. Aliàs quippe jam oſtendi in rebus, quæ majorem morali certitudinem naturâ ſuâ non recipiunt, hanc debere prudentibus viris ſufficere : adeò ut metaphyſicam contrarii poſſibilitatem minimè attendant, neque illius causâ inquietentur, juxta illud Ariſtotelis dictum : (*L.* I. *Eth. c.* 3.) *Eruditi eſt, in unaquaque re certitudinem quærere pro exigentia materiæ. Nam & Mathematicum ſuaſionibus utentem approbare, & ab Oratore demonſtrationes exigere, ſimile vitium videtur.* Unde fit, ut, quamvis nihil cuique hominum ſuâ vitâ ſit chariùs, neque alioquin impoſſibile factu ſit, terram nobis ſub pedibus repentino caſu quopiam dehiſcere; omnes tamen illi inſiſtunt, ſupérque ea deambulant, non minùs de prædicto caſu ſoliciti, ac ſi eum omnino impoſſibilem crederent. Et, ſi fors quiſpiam de metaphyſica illius poſſibilitate anxium, trepidúmque ſe oſtenderet; irriſui, & ludibrio omnibus, tanquam fatuè timidus foret. Namque affectus timoris, prout paulò antè obſervavimus, non alia de cauſa ingeneratus à natura noſtris animis eſt, nisi ut incitamento nobis eſſet ad graviora mala evitanda, nóſque

in tutum ab imminenti eorum vi ſubducendos. Quare, ubi ſecuritatem ab iis conſecuti jam ſumus, quantam hìc, aut illic conſequi licet, quemadmodum nihil ultra timori efficiendum tunc ſupereſt, nullíque uſui jam eſt, nisì ut animum ſupervacuis angoribus crucìet; ità non nisì imprudentis hominis eſt, velle illum etiam tum ſinè ullo fructu ad meram inquietudinem in animo ſuo retinere. Neque quiſquam objiciat, allatam modò regulam in rebus duntaxat temporariis valere: at non etiam in æternæ ſalutis negotio, negotio nimirum tanti ſupra quævis alia momenti, ut non modò pro inconſulta, fatuáque timiditate habendum non ſit, de illius vel remotiſſimis periculis trepidare; ſed in iis extra ſolicitudinem eſſe, ſtupor exiſtimari potiùs, acſtoliditas debeat. Nemo, inquam, id mihi objiciat: quamvìs enim fatear, de prædicto negotio majorem incomparabiliter, quàm de quovis alio eſſe nobis curam gerendam; addo tamen, hanc ipſam curam prudentiæ conſentaneam, & rationi eſſe debere. Qualis profectò non eſſet, ſi vel majorem circa illius exitum, quàm quæ haberi ab hominibus poteſt, certitudinem quæreret; vel, quia ſummam nanciſci, & omnimodam nequeat, nihil profu-

futuris terroribus animum perturbaret. Certè D. Ignatius Loyola, & S. Tereſia, quorum flagrantiſſima moriendi vota initio produxi, credi non poſſunt minorem, quàm par eſſet, curam de æternæ ſuæ ſalutis negotio geſſiſſe; neque alioqui traduntur certi omnino de illius proſpero exitu per divinam revelationem fuiſſe, adeò ut æternam ſuam damnationem prorſus impoſſibilem crederent. Et tamen mortis, diviníque judicii cogitatio uſque adeò illorum animos metaphyſica mali tam extremi poſſibilitate non perterrefaciebat, contriſtabátque, ut nullum aliud objectum vel jucundiùs ſecum retractarent, vel ardentiùs expeterent: hanc unam præcipuam infelicitatem ſuam exiſtimantes, quòd tempus tam optabile nimis tardè adveniret. Et quod S. Tereſiam attinet, ſatìs eſto ipſam audire in ſuæ vitæ commentario (*c.* 20.) palàm teſtantem ab incitatiſſimis, quibus ſubinde æſtuabat, moriendi, ádque DEI viſionem perveniendi deſideriis nequaquam ſibi permiſſum fuiſſe, ut interea temporis ſeu criminum ſuoum magìs recordaretur, quàm ſi nunquam ea commiſiſſet, ſeu de pœnis eorum causâ promeritis plùs cogitaret, quàm ſi hæ penitùs ſibi à DEO condonatæ fuiſſent. Unde colligitur, in re-

rum quoque æternarum, & supernaturalium sensu modum requiri, non utique circa æstimationem earum pretii, quæ nunquam potest esse non curta, & objecto suo impar; sed circa solicitudinem de illarum exitu, quæ plùs justo anxia esse potest: ideóque acquiescendum hìc etiam nobis esse in ea certitudine, quam solam assequi possumus, certitudine nimirum morali: contendendo quidem hanc ipsam semper augere, sed citra perturbationem, quæ post quævis incrementa major semper, majórque esse potest: adeò ut neque nostra securitas deses sit, neque diligentia inquies, sed juxta prudens Ciceronis temperamentum, & illa *omnia caveat*, & hæc *nil metuat*, (L. 11. *Ep. Fam. Ep.* 21.)

6. Parùm tamen prodesset quies à peccati præsentis timore; si causa adhuc supereset timendi de peccatis, in quæ vel post ultima Sacramenta jamjam morituri periclitamur incidere. Et supereſse illam quidem manifestum videtur ob acerrimas tum aliorum criminum, tum infidelitatis præsertim, impatientiæque tentationes, quibus hostis tartareus tunc, quàm cùm maximè oppugnare animas solet. Sed, si quis hæc discrimina, & eorum causâ mortem perhorresceret, non alia ego uti ratione opus

opus habeo, quàm ut ea illi repetam verba, quibus Ulyſſes Homericus Telemachum filium de hoſtium multitudine, & viribus trepidantem ad fiduciam erexit: *Cogita*, inquiens, *num Minerva cum Jove patre nobis ſufficiat, an alia advocanda ſint auxilia.* (*Odyſ. 16.*) Interrogo itaque hominem, poſsitne DEUS gratiæ ſuæ auxiliis contra quælibet inferni hoſtis tentationes ità nos roborare, ut ſalvi, atque victores è conflictu exeamus? Reſpondebis nîl dubitans, poſſe. Interrogo rurſum, credíſne, plùs cordi eſſe diabolo noſtram perniciem, quàm DEO noſtram ſalutem? Nimis profectò injurioſum amantiſſimæ Patris cæleſtis erga animas à ſe conditas, & ſanguine ſuo redemptas providentiæ eſſet, vel leviſſimè id ſuſpicari. Cùm, ùt certiſſimè conſtat, majorem ſinè ulla comparatione illius bonitatem, quàm malignitatem diaboli eſſe, & plura illum feciſſe, ac tolerâſſe, ut nos ſervaret, quàm hunc, ut nos perderet; ſic extra omne dubium eſt, quod indè Origenes colligit, (*Hom. 20. in Lib. Numer.*) *Majorem illi curam eſſe, ut nos ad veram pertrahat ſalutem, quàm diabolo, ut nos ad æternam damnationem impellat.* Si ergo hæc ità ſe habent, quínam ultra anxietati, & trepidationi ſupereſt locus? Cúrve ad

nos

nos perterrefaciendos plùs valere tartarei hoſtis vires debent, quàm ad animandos tantò validiora cæleſtis noſtri Patris ſubſidia? *Noli timere, plures enim nobiſcum ſunt, quàm cum illis*, dixit olim ſuo miniſtro Eliſeus, qui exterritus multitudine hoſtium, nec cæleſtem equitatum ſuæ defenſioni excubantem videns clamabat: *Heu, heu, heu, Domine mi! quid faciemus?* (L. 4. *Reg. c. 6.*) Et cur ipſe etiam non ſimiliter unumquemque alloquar, qui ſe moribundum, & minacibus undique dæmonum turmis circumvallatum, imaginatione ſua ſibi fingens, tremit, expalleſcit, conſternatur, & vel ante aggreſſionem certa penè clade perculſum ſe putat: perinde quaſi vel DEUS otioſus duntaxat ſpectator ſuæ tunc oppugnationis, ſuíque diſcriminis futurus ſit, vel quidquid eſt dæmonum plùs ad ſibi nocendum, quàm ipſe ad ſubveniendum valeret? Ah homo nullius animi, dignúſque idcirco à cæleſti Patre tuo deſeri, cujus potentiſſimis, paratiſſimíſque auxiliis ſtultè adeò, & contra omnem rationem diffidis. Et undenam iſthæc conſternatio tua eſt? Adeóne parùm cognitam poſt tot illius argumenta habes plùs quàm paternam ſupremi tui Conditoris, & Domini erga te providentiam? Itáne nondum didiciſti, à nullo

lo te hostium vel impugnari posse, nisì ille permittat, vel superari, si ille defendat? Itáne nihil ponderis, fideique apud te obtinent justissimæ illæ magni Ecclesiæ Doctoris Ambrosii voces, (*De Jos. c. 5.*) *Ibi plus est auxilii, ubi plus est periculi: quia* DEUS *adjutor est in opportunitatibus*; imò neque illæ magni Gentium Apostoli Pauli, quas tamen haud nescis ipsiusmet Spiritûs sancti esse voces, (1. *ad Cor. c. 10.*) *Fidelis* DEUS *est, qui non patietur vos tentari supra id, quod potestis, sed faciet etiam cum tentatione proventum*? Adamantino protectus clypeo hostilia quævis tela rideres. Circumdat te undique Omnipotens *scuto bonæ voluntatis suæ*, & parùm tibi tutus videris? Quantumcunque immanis, & cerbero sævior molossus aliquis foret, minimè illum timeres, si à fidissimo tibi amico ità teneretur devinctus, ut nè transversum quidem digitum, ultra quàm ille permittat, aspirare ad te posset. Vinctus dæmon retinetur arbitriis illius Domini, quo nullus mortalium amicorum tui est amantior, neque citra ejus permissionem vel latrare adversùm te potest: túque solo ejus aspectu penè exanimatus vociferaris: *Heu, heu, heu, quid faciemus*? Quid faciemus? Audi, quid debeas facere. Debes illius impo-

ten-

tentiam ridere, debes illi insultare, debes illius rabiem per ludibrium lacessere. Hæc sunt, quæ te facere oportet; hac securitate animi æquum est, ut inanes audias latratus, cassósque impetus, & conatus spectes illius belluæ immanissimæ quidem, sed ineluctabili divinæ virtutis catenâ constrictæ. Alioquin ostendes, haudquaquam in parentis, & amici loco eum te ducere, qui eam in potestate sua habet. *Ego non percipio*, scribit S. Teresia, *has formidines, dæmon, dæmon, ubi licet reponere,* DEUS, DEUS. *Si enim absque hujus permissu nè tantillùm quidem commoveri ille potest; unde nobis ratio timendi?* (*In vit. c.* 25.)

7. Quod si hæc tibi non sufficiunt ad animum justâ confidentiâ erigendum, sed pergis id honoris dæmoni tribuere, & hanc DEO injuriam facere, ut ejus præsidiis parùm te validum, tutúmque arbitreris; saltèm fatere, ab ignava duntaxat exilitate, & contractione animi ad ità sentiendum te impelli: neque aut tibi persuadeas, aut illi persuasurum te putes, tuas id genus dubitationes, & formidines cum Christianæ humilitatis officio, tanquam proprios illius actus congruere. Cùm nemini, vel tenuissimam prædictæ virtutis notitiam habenti, non perspicuum sit, quàm propriè

ad

ad eam pertineat, ut nihil ſpei homo in virtute ſua ponat; tam nihil prorſus ad eandem facere, quòd divinæ virtuti diffidat. Quid enim? parúmne humilem ſe prodebat Regius Vates, cùm caneret: (*Pſ.* 117.) *Dominus mihi adjutor, & ego deſpiciam inimicos meos;* & alibi adhuc confidentiùs, (*Pſ.* 22.) *Si ambulavero in medio umbræ mortis, non timebo mala, quoniam tu mecum es?* Nemo ſanè id putaverit. Tota quippe illius fiducia, & ſecuritas non propriis, ſed DEI unius innitebatur viribus: neque parùm exiſtimari humilis quiſquam poteſt, quòd in aliena, ſed quòd in propria ſua virtute confidat. Illius itaque exemplo firmiſſimè, & extra omne dubium apud nos ſtatuamus, imbecillitatem noſtram nullo modo per ſe unam poſſe hoſtis tartarei vim ſuſtinere; & hoc nobis ad humilitatem ſufficiet: ſed pro certo ſimul habeamus, quantacunque noſtra imbecillitas ſit, nihil poſſe eam obſtare, quo minùs DEO protegente contra quaslibet hoſtium oppugnationes invicti perſtemus; & hoc humilitati noſtræ robur, magnitudinémque animi adjunget: adeò ut, quàm indubitanter confidimus, divinam nobis bonitatem in nullo unquam diſcrimine defuturam; tam indubiam de periculoſiſſimis quibuſque certami-

minibus expectemus victoriam:& dæmonem, quem, si solis congrediendum nobis cum eo esset, formidaremus, quasi horrendum leonem; DEI auxiliis subnixi non pluris faciamus, quàm muscam, aut culicem. *Dominus illuminatio mea, & salus mea, quem timebo? Dominus protector vitæ meæ, à quo trepidabo? Si consistant adversùm me castra, non timebit cor meum: si exurgat adversùm me prælium, in hoc ego sperabo. Laudans invocabo Dominum, & ab inimicis meis salvus ero. Confringam illos, nec poterunt stare, cadent subtus pedes meos. Et comminuam eos ùt pulverem ante faciem venti, ùt lutum platearum delebo eos.* (*Ps. 26. & 17.*)

8. Sed enim verò, quàm commendata in sacris Paginis, rationíque consentanea, & efficax ad quodvis beneficium à DEO promerendum, firma hæc, atque immobilis paternæ illius opis fiducia sit, satìs jam alibi demonstratum est. Quare illò remittens, qui eam nondum fors in animo suo penitùs concepisset; pergam porrò argumenta quædam diluere, quæ contra hìc assertam famulorum DEI de felici vitæ exitu securitatem duci possunt, partim ex formidolosissima severitate, quam divino judicio tum hagiographi libri, tum sacri Doctores attribuunt; partim ex fe-

ra-

rali damnationis ſententia pronuntiata in eo adversùs plures, qui in communi apud homines ſanctitatis opinione ad extremum uſque ſpiritum vixerant; partim ex ſolicita, anxiáque trepidatione, cum qua ſanctorum virorum nonnulli toto penè vitæ ſuæ tempore præſtolati illud ſunt. Ut ergo à divini judicii ſeveritate ordiar, dico, poſſe hanc bifariam ſpectari: nimirum vel ſecundùm irrevocabilem æternæ mortis ſententiam certiſſimè ferendam de omnibus, qui gravis culpæ rei è vita migraverint, vel ſecundùm minutiſſimam rationem, & rigidiſſimam licèt temporariam ſatisfactionem, quæ de minimis etiam quibuslibet totius vitæ noxis ibi exigetur. Quantùm itaque ad primam partem, nego, divinum judicium ratione illius perhorreſcendum abſolutè eſſe, nisì gravium criminum conſciis, & qui nè in extremo quidem vitæ cardine à ſua reſipiſcant nequitia. Quantùm verò ad ſecundam fateor ipſis etiam DEI famulis, & amicis eſſe illud terribile: ſed tamen non ità, ut vel jucundam æternæ ſalutis expectationem iis auferat, vel hujus reſpectu non incomparabiliter magìs deſiderandum, amandúmque ab iiſdem ſit, quàm propter qualeſcunque temporariæ illius ſatisfactionis pœnas timendum.

9. Progrediendo jam ad alterum objectionis caput, reſpondeo: probitatem illorum, qui divino in judicio condemnati ſunt, eſto ſancti ab hominibus viderentur, adumbratam, & fictitiam fuiſſe, nec aliud nisi merum callidæ ſimulationis fucum, quo interiora conſcientiæ probra obtegebant: ut proinde mirum non ſit, ſi ſupremi judicis oculus, cui nuda, & aperta ſunt omnia, ſontes deprehenderit, illóque perculerit ſempiternæ damnationis fulmine, quod ipſimet agnoſcebant, ſuis jure flagitiis deberi. Cæterùm, ſi loquamur de hominibus ſolidè piis, & qui longo ante obitum tempore innocenter, ſanctéque vixerunt; ego ſanè ex his neminem me legiſſe uſquam memini, qui ob crimina vel ſibi ignota, vel noviſſimo in morbo commiſſa, damnatus ad inferos fuerit. Neque talis ullo modo exiſtimari poteſt memoratus ille ſuprà à D. Joanne Climaco vitæ ſolitariæ profeſſor. Vel enim peccata, quibus à tartareo accuſatore objectis fatebatur moriens ſe neſcire, quid reſponderet, haud erant lethalia, vel neſcire, quid iis reſponderet; ſignificabat, ſe haud poſſe neque inficiari, quòd ea perpetrâſſet, neque ullam peculiarem ſatisfactionem producere, qua omnem eorum nomine ſibi debitam pœnam

nam luisset, quibus duobus modis circa alia responderat. Cùm incredibile omnino videatur, illum, si sanctè adeò, ùt refertur, vixerat, aliquo se olim gravi crimine obstrinxisse, quod nunquam in Pœnitentiæ Sacramento vel expressè, si illud menti occurrebat, vel, si memoriâ exciderat, saltèm implicitè confessus, detestatúsque esset: & cujus veniam propterea, quod ad culpæ reatum pertinet, & æternam incolumitatem sat est, non obtinuisset. Præterea, quid quæso, impedimento ei erat, nè illa ipsa crimina, posteaquam à dæmone objecta sibi fuerant, protinus per confessionem, ac pœnitentiam expiaret? remedio nimirum, quod in ejusmodi casibus à quovis vel ordinariæ virtutis Christiano homine adhiberi solet, & adhibitum quæcunque peccata abolendi vim habet, juxta fallere nesciam Ezechielis, imò DEI ipsius promissionem, quam nimis injuriosè de D. Joanne Climaco sentiret, si quis ab eo revocatam in dubium arbitraretur, quando illud epiphonema addidit: *Væ, væ. Ubinam erat Ezechielis vox, quam illis objiceret: in quacunque hora ingemuerit peccator, salvus erit? Verè nihil horum respondere potuit.*

10. Postremò, quod ad sanctorum virorum exempla attinet, non sanè inficias ierim, ex eis aliquos, fortè quia tristioris ingenii, & naturâ ad timendum propensi erant, divini judicii diem solito cum metu expectâsse. Verùm jam aliàs demonstravi, rectè agendi normam certiùs à ratione, quàm ab exemplis etiam præstantium virorum peti. Adde, quòd, etiamsi hæc præcipuè intueri liberet: nulla æquiparatio numeri est inter paucos illos egregiæ sanctitatis viros, qui ad supremi Judicis tribunal pavidi, déque causæ suæ exitu anxii migrârunt; & tam multos alios DEI servos, qui horam eò proficiscendi non aliter, quàm ut amplissimarum mercedum, & immortalium coronarum tempus magna cum alacritate expectârunt. Quorum & nonnullos jam commemoravi, nec prætermittendum puto, quin alios itèm quosdam hìc pergam attexere: veluti Mariam à Cruce, usque adeò, dum ægrotaret, præ mortis expectatione hilarem, ut, si convaluisset, merus frustratæ tam dulcis spei dolor sat validus, ceu ipsa affirmabat, ad inferendam sibi mortem fuisset: (*In vit. S. Teresi. L. 2. c. 14.*) veluti Antoniam à S. Hyacintho, quæ rogata, cur effusè adeò jamjam moritura gestiret: nam cur non gestiam, re-

spon-

ſpondit, cùm DEUS è mortali hoc carcere ad immortalem ſuam gloriam me vocet? (*Le. Blanc. in Pſ.* 121. *art.* 1.) Veluti Theodoram Landiam, & Mariam Venetam, (*Id. Ibid.*) quarum prior, vultu ad riſum compoſito, intérque has voces: *Cum Chriſto meo & fui, & ſum, & ero*, exultantem ſpiritum Conditori ſuo reddidit; altera præ vicinæ mortis gaudio *ad cælum*, exclamavit, *ad cælum.* Adde his Fulviam Sergardiam matronam Senenſem, genere, & pietate, ſed magis pietate illuſtrem: (*Rho. Hiſt. Virt. L.* 2. *c.* 3.) quæ, accepto mortis proximæ nuntio, muſicos acciri ad ſe juſſit, ut feſtivo modulatu concelebrarent novi, & melioris ſui natalis ſolennia. Adde præclarum; Illud Romanæ purpuræ decus, Cæſarem Baronium, qui cùm noviſſimæ pro fauſto ipſius morientis exitu recitarentur preces, hilari voce, age, inquit, *ecce, nunc tempus exultationis, & lætitiæ, moriamur.* (*Le Blanc. ſuprà.*) Adde duos alios itèm Cardinales, nempe Alexandrum Olivam ex Auguſtiniano Ordine, & Philippum Bavarum Ratisbonenſem Epiſcopum: (*Rho. ſuprà.*) ex quibus ille interrogatus paulò antè mortem, num quo angeretur timore? *Et quid ego timeam*, reſpondit, *qui hinc ad nuptias eo?* Hic verò de imminente ſi-

bi obitu certior factus, eja, dicit, quid moramur ad melioris vitæ usuram migrare? tum aggressus canere Davidicum illud carmen: *Dominus illuminatio, & salus mea, quem timebo?* Inter ea verba: *Unam petii à Domino, hanc requiram, ut inhabitem in domo Domini*, lætus animam, quasi eò abire festinantem emisit. Adde Josephum Scamaccam nostræ Societatis Sacerdotem: (*Id. Ibid.*) qui, cùm moribundus repeteret: *Lætatus sum in his, quæ dicta sunt mihi: in domum Domini ibimus*; quæsitúmque ex eo esset, ecquid cum certa salutis suæ spe moreretur; Quid ais, ô bone? admirabundo vultu exposuit: *Numquid ego Mahometo servivi, ut nunc de Domini mei bonitate dubitem?* Tam novum, & insolens visum illi est, servorum DEI salutem in dubium vocari. Quid dicam de S. Laurentio Justiniano? (*Severan. in Mort. Pret.*) qui domesticos circa suum moribundi lectum lacrymantes intuitus, *Abite hinc*, dixit, *cum vestris lacrymis. Tempus lætitiæ est, non lacrymarum.* Quid de S. Hugone Lincolnienfi Episcopo? (*Id. Ib.*) qui, cùm de instantis sui obitûs die loqueretur, dixisétque ei aliquis, illum fore judicii sui diem; *Non rectè sentis*, subjecit, *non enim judicii, sed gratiæ, & misericordiæ dies erit, quo defungar.* Quid de Ele-

Electo Seraphici Patris S. Franciſci non degeneri filio ? (*Id. lb.*) qui paulò antè diſceſſum è vita contenta adeò, ſublatáque voce decantavit illa Chriſti Domini verba: *Aſcendo ad Patrem meum*; ut, quotquot domi erant fratres, tam inſolito clamore excitati, ad illius cellam accurrerint. Quid de Juliano Faventino ex ſacra Prædicatorum familia, (*Id. lb.*) quem, cùm Præſes cœnobii de extrema imminente ſibi hora commonuiſſet, cœpit vultu, manibus, totóque corpore plaudentis ſigna edere, & ſuam adſtantibus impertiri lætitiam, dicens: *Bonum nuntium audivi fratres. Gaudete mecum, quia multâ ſuperabundo lætitiâ.* Quid de Richardo Trinchelio Sacerdote Anglo ? (*Rho. Hiſt. Virt. L. 1. c. 9.*) qui audito adeſſe ſibi ultimum diem, in feſtivas illas regalis Pſalmographi voces erupit: *Hæc dies, quam fecit Dominus: exultemus, & lætemur in ea.*

11. Sed nullus eſſet finis, ſi cæleſtes hujuſmodi cygnos ſuprema voce dulciùs modulantes vellem omnes ſingillatim audiendos producere. Satiùs itaque erit pro loci hujus clauſula primævos recentis Eccleſiæ alumnos, illuſtre omnibus poſteris cùm ſanctè vivendi, tum hilariter moriendi exemplum afferre: quibus poſt exactam in famulatu DEI vitam

usque adeò nîl formidolosi, & ancipitis mors in se aspiciendum præbebat, adeóque amabilis non sub Patris duntaxat, sed vel sub Judicis nomine apparebat DEUS, ut, teste Dionysio Areopagita, ad æternitatem hinc discederent, animo, & vultu hominis, qui ab exilio ad patriam, à laboribus ad requiem, à tempestatibus ad portum, à pugnæ discriminibus ad triumphum, & ad vitam à morte transeat. (*De Hier. Eccl. c.* 7.) *Veras* DEI *promissiones intuentes cum firma spe, divinóque gaudio ad mortis terminum, tanquam ad sacrorum finem certaminum tendunt, quòd certò sciant, sua omnia in tuto fore: viámque ad immortalitatem suam è propinquo spectantes, divina munera collaudant, sanctáque voluptate adimplentur, non jam amplius metuentes perverti.* Nec dissimilis de illorum excessu cognatorum erat, amicorúmque superstitum sensus; cùm, ùt idem Dionysius pergit describere, pro eo, ut deflerent vitâ functum, illius gratularentur felicitati: *Beatum ipsum, ùt revera est, prædicant, quòd ad optatum bravium pervenerit: authoríque victoriæ cantica gratiarum solvunt, sibi quoque similem sortem optantes.* Quos gratulationis, lætitiæque affectus non minùs graphicè exprimit Joannes Chrysostomus in ævi sui Monachis, quoties illorum aliquis

quis è præsenti ad futuram vitam migraret, his eos verbis describens: *Cæterùm mortem illi non ducunt, nec existimant mortem. Cum hymnis prosequuntur abeuntes, eámque rem non elationem funeris, sed pompam, & præmissionem vocant. Denique, ubi quisquam nuntiatus fuerit mortuus, magna oritur exultatio, ingénsque voluptas omnium. Imò nè mortuum quidem aliquis appellare præsumit, sed consummatum. Indè gratiarum actio sequitur, & gloria, ingénsque lætitia singulis orantibus se hoc fine donari, sic exire certamine, à laboribus, sudoribúsque quiescere, & Christum videre.* (*Hom. 14. in Ep. 1. ad Tim.*)

12. Jam verò congruentius rationi esse, ut spiritualis vitæ, intimæque cum DEO consuetudinis professores ità læto, & cupienti, quàm ægro, & trepidanti animo suum obitum spectent, pronum cuivis intellectu est. Tum quia, qui perfectæ cum DEO conjunctioni studet, justam, ùt vidimus, causam non habet expaveścendi, sed desiderandi accessum ad illius judiciarium tribunal, prudentérque facit, si illud desideret potiùs, quàm timeat: tum quia, cùm tanta animæ perfectio, quanta erga DEUM charitas est; quemadmodum majoris erga DEUM charitatis, sic & majoris perfectionis argumentum est, cum fiducia po-

tiùs, & hilaritate, quàm cum triſtitia, & formidine adventum illius præſtolari, juxta illam B. Joannis ſententiam, (*Ep. 1. c. 4.*) *In hoc perfecta eſt charitas DEI nobiſcum, ut fiduciam habeamus in die judicii.* Qua ſententia, & ratione utitur D. Auguſtinus ad fiduciam hujuſmodi in auditoribus ſuis excitandam, dicens: (*Tr. 9. in Ep. Joa.*) *Quiſquis fiduciam habet in die judicii, perfecta eſt in illo charitas. Quid eſt habere fiduciam in die judicii? Non timere, nè veniat dies judicii. Ergo fratres date operam intus agere vobiſcum, ut deſideretis diem judicii. Aliter non probatur perfecta charitas, niſi cùm cœperit dies illa deſiderari.* Alibi quoque nonnullorum excuſationem refellit, qui oſtendebant, ideo ſe dilationem mortis cupere, ut plus temporis ad proficiendum haberent: cùm nôſſe cæteroqui deberent, *ipſum profectum eorum in eo eſſe, ut mori velint*: ſuam hoc pacto argumentationem concludens: *ſi ergo verum loqui volunt; non dicant, ideo mori nolo, ut proficiam; ſed ideò mori nolo, quia parùm profeci. Itaque mori nolle fidelibus non conſilium eſt, ut proficiant, ſed indicium, quòd parùm profecerint. Proinde, quod nolunt, ut perfecti ſint, velint, & perfecti ſunt.* (*In Lib. Quæſt. ex Mat.*) Præterquam quod, cùm DEUS non alia nos de cauſa

sa creaverit, nisi ut cælestis sui regni æternùm consortes essemus, & ad illius possessionem nobis promerendam homo fieri, & mortem acerbissimam pati ultro voluerit, nec non obviam, facilémque omnibus ejusdem assequendi rationem reddiderit, ac demum exhortatus nos fuerit ad beatissimam hujusmodi sortem è paternis suis manibus absque metu expectandam: *Nolite*, inquiens, *timere pusillus grex, quia complacuit Patri vestro dare vobis regnum*; (*Luc.* 12.) qui post tot securitatis pignora magis timet, nè indè excludatur, quàm se admissum eò iri confidit, divinúmque tribunal non aliter, quàm ut illud Cassii Prætoris Romani, (*Val. Max. L. 3. c. 7.*) dictum severitatis suæ causâ *scopulum reorum*, cum horrore aspicit, injuriam videtur profusissimæ cælestis sui Patris benignitati facere: habétq; causam timendi pœnam sanctæ olim Lidvinæ Confessario irrogatam: (*Ap. Sangiur. p. 4. c. 7. Sect. 3.*) quem legimus, in piaculari carcere diutiùs detentum fuisse, quòd moriens divinam magis severitatem pertimuisset, quàm confisus misericordiæ, & bonitati esset. Saltèm persuadere sibi potest, non perinde suis terroribus se gratificari DEO, ac gratificentur, *qui diligunt adventum ejus*, séque illi prompto, & hi-

la-

lari animo sistunt, non aliam expectantes à Judice tam benevolo, quàm vitæ, salutísque sententiam. Ad cujus rei, & dictorum hactenus confirmationem utile erit audire, quid ipsemet B. Mathildi olim dixerit, quando his eam verbis affatus: *Certa fide crede, quòd ego te post mortem suscipiam, sicut Pater Filium suum charissimum: quódque nullus unquam pater tam fideliter cum unico nato suo hæreditatem divisit; sicut ego omnia bona mea, & me ipsum tibi communicabo*; nè prædicta oratio ad ipsam tantummodo videretur spectare, generatim subjecit: *Quicunque hoc de bonitate mea firmiter, & humili cum charitate crediderit, beatus erit.* (*Blos. Mon. Spir. c.* 11.)

13. Si ergo & sat validas firmæ hujus, hilarísque fiduciæ concipiendæ habemus causas, & perfectioris charitatis ea specimen est, & DEUS illam peculiariter cordi habet, ac nobis commendat; cur, quæso, ipsi contrarios diffidentiæ, & timiditatis sensus fovere in nobis velimus: tanquam si plus momenti ad nos exterrendos haberent, nescio, quæ ex vano conceptæ pusilli nostri animi species, quàm ad confirmandos tot, támque eximia divinæ erga nos benevolentiæ argumenta? *Quid tibi promisit DEUS, ô homo mortalis?* (ait D. Augu-

stí-

ſtinus) *quia victurus es in æternum. Non credis? Crede, crede. Plus eſt jam quod fecit, quàm quod promiſit. Quid fecit? Mortuus eſt pro te. Quid promiſit? Ut vivas cum illo. Incredibilius eſt, quòd mortuus eſt æternus, quàm ut in æternum vivat mortalis. Jam, quod incredibilius eſt, tenemus. Si propter hominem mortuus eſt* DEUS, *non eſt victurus homo cum* DEO? *Aut verò pro minimo habet* DEUS *hominem, propter quem mori voluit Unicum ſuum? Attendamus ad indicium dilectionis, & promiſſionis* DEI. *Tales arrhas accepimus. Tenemus mortem Chriſti. Tenemus ſanguinem Chriſti. Promiſſum reddi dubitas, qui tale pignus tenes?* (*In Pſ. 148. & Serm. 6. de Verb. Ap.*) O amoris, & bonitatis pignora admiranda, inæſtimabilia, quodvis pretium tranſgreſſa! Et quid tandem ad ſecuritatem nobis ſufficiet, ſi hic amor non ſufficit? Quídve boni ab eo non ſperabimus, qui adeò ſupra omnem ſpem nos dilexit? *Numquid tanta amoris vis non valebit cor humanum, infirmitatibus prægravatum expergefacere, atque à puſillanimitate ſpiritûs liberare? Numquid poterit vel minimum mœroris veſtigium in mente remanere poſt tantarum conſiderationem gratiarum?* æquiſſima Laurentii Juſtiniani interrogatio eſt. (*De Diſc. & Perf. c. 16.*) Ad liberandam Eſther â timore, nè mortis ab Aſſuero damna-

re-

retur, sat fuit, hunc se illius fratrem palàm tulisse, dicendo: (*Esth. c. 5.*) *Quid habes Esther? ego sum frater tuus. Noli metuere, non morieris!* Quidni ad nos quoque à metu solvendos, nè æternæ mortis rei in supremo judicio fiamus, sufficiat Christum Judicem professum de discipulis suis, adeóque & de nobis esse, (*Matt. c. 12.*) *Ecce fratres mei?* Præsertim quòd super communia fraternæ, paternæque erga omne genus humanum voluntatis suæ documenta, alia itèm plura edidit ad nos privatim spectantia: cujusmodi sunt, peculiari nos vocatione ad penitiorem famulatum suum acciviſse: immunes tot annis à mortiferi criminis conscientia servâsse: arcana inter orandum divini sui congressûs jucunditate perfundere: & ad intimam secum, quasi amicorum, & liberorum familiaritatem admittere. Unde possumus apud nosmet ipsos statuere, qui adeò singulari benevolentia dignatus nos est, non eo esse animo, ut velit à conspectu suo æternùm proscribere: argumentantes cum Samsonis matre, (*Judic. 13.*) *Si Dominus nos vellet occidere, de manibus nostris holocaustum non suscepisset.* Ah non bene conveniunt hæc vitæ immortalis pignora cum æternæ mortis sententia. Quid opus erat studiosè adeò promo-

moviſſe incolumitatis noſtræ negotium, ſi illud deſtinabat abſque complemento relinquere? *DEI perfecta ſunt opera*, in Deuteronomio legimus: (*c.* 32.) & B. Joannes Euangeliſta teſtatur, eum, *cùm dilexiſſet ſuos, qui erant in mundo, in finem dilexiſſe eos.* (13.) Quando ità nobiſcum egit, ùt agere cum Electis conſuevit; timendum non eſt, nè in animo habeat, nos damnare cum reprobis. *Quomodo deceret me, ut bene cepta tecum non optimo fine complerem?* ipſemet S. Gertrudi aliquando inquit, cùm ſolicitè ab ea rogaretur, nè in ſupremo vitæ exitu ſibi deeſſet. (*Inſin. L. 5. c. 28.*) Quæ cùm ità ſe habeant, quidnam ſervis DEI ſupereſt, niſi ùt juxta D. Auguſtini monitum, (*Serm. 176. de Temp. t. 10.*) *Cùm jam tanta perceperint, per ea, quæ cognoverunt præſtita, diſcant ſperare promiſſa, & DEI ſui præteritam, præſentémque bonitatem, quaſi futurorum teneant cautionem?* nimirum, ut freti tot ab eo acceptis quà communibus, quà propriis æternæ ſalutis pignoribus non aliter illius judicium expectent, quàm ut illius promiſſionum complementum, & ſuum ad cæleſtem illius gloriam ingreſſum? *Quis hìc anxietatis, & ſolicitudinis locus eſt?* (libet cum D. Cypriano concludere) *Quis inter hæc trepidus, & mœſtus, niſi cui*

ſpes,

spes, & fides deest? Ejus est enim mortem timere, qui ad Christum nolit ire. Ejus est ad Christum nolle ire, qui se non credat incipere cum Christo regnare. Si justus es, & fide vivis, si verè in DEUM *credis; cur non cum Christo futurus, & de Domini pollicitatione securus, quod ad Dominum vocaris, amplecteris? Mori tamen timeat, sed qui ex aqua, & spiritu non renatus, gehennæ ignibus mancipatur. Mori timeat, qui ad secundam mortem de hac morte transibit. Mori timeat, cui hoc mora longiore confertur, ut cruciatus ejus differatur.* (*De Mortal.*)

14. Et hæc quidem dicta sint circa id, quod sub initio hujus capitis primo loco exposui, mortem videlicet hominibus sanctiorem vitam professis amœnum esse potiùs, & delectabile, quàm funestum, & terribile objectum. Sed quoniam horum etiam nonnullis, vel quod perfectam illam charitatem, *quæ foras mittit timorem*, nondum possideant; vel quòd anguśti naturaliter, & subtimidi animi sint; haud facilè evenit, nullo metu angi circa rem tanti momenti, quanti est æterna animæ salus; probandum jam deinceps horum gratiâ suscipio, quod secundo itidem loco subjeci: nempe, quamvis non omni ambiguitate, & trepidatione circa sententiam de se in di-

divino judicio ferendam vacui sint; æquum tamen, & consentaneum rationi esse, ut quàm celerrimum à præsenti ævo ad æternitatem trajectum desiderent. Neque verò magni negotii res est, hujusce propositionis veritatem palàm ostendere. Si enim nihil aliud in divino judicio disceptaretur, nisi damnandus, nécne homo ad inferos sit? dubitari certè non potest, quin vel minimus de prædictæ disceptationis exitu timor sat idoneam cuique causam præberet, illud perhorrescendi judicium, optandique, ut vel nunquam, vel quàm tardissimè sua ibi causa ageretur. At non ità se res habet, sed totius ibi controversiæ cardo in eo vertitur, num scilicet damnandus homo sit ad æterna inferorum supplicia; an contra evocandus ad æterna Cælitûm gaudia. Quocirca, cùm fideles DEI servi multò probabiliùs hanc summi boni, quàm summi illam mali sententiam expectare ab eo possint; multò etiam justiorem habent causam, cur læti, & cupientes, quàm cur mœsti, invitíque ad illius tendant tribunal: &, si propter qualemcunque tristioris sententiæ possibilitatem apparere ibi nollent, timidiores se mali, quàm boni amantes ostenderent: utpote qui ad illius remotum discrimen vitandum parati essent,

quantumcunq; firmæ hujus ſpei nuntiũ remittere, affectu ſanè ignaviſſimo,& à communi hominum uſu abhorrente: qui, licèt in navigationibus, in mercaturis, in prælìis, aliiſque id genus negotiis multò plùs anceps ſubeant rei, aut vitæ amittendæ, quàm ſpirituales viri in divino judicio damnationis diſcrimen, ob incertam tamen boni adipiſcendi ſpem quævis ibi occurrentia pericula audacter contemnunt, séque ultro iis committere haud dubitant. Certè, ſi ingens miſeria eſt æternis apud inferos flammis torqueri; non parvam felicitatem quiſquam dixerit, Deum in cælo intueri, DEO frui, cum DEO æternùm regnare. Quin imò, ſi res juſta lance expendatur, tantò ampliùs hìc boni, quàm illic mali eſt, quantò nativa ſupremi Judicis bonitas ad mercedes eſt, quàm ad pœnas reddendas propenſior: adeò ut non deſint graves Theologi, (*Pallav. de Act. hum.* L. 1. n. 46.) qui unius beati beatitudinem ſimul ſumptæ omnium ad inferos damnatorum miſeriæ præponderare affirmaverint. Si ergo, ubi etiam par boni, quod ſperatur, & mali, quod metuitur, magnitudo eſſet, imprudenter nihilominus ageret, qui, cùm ſit penè certus primi obtinendi, nec nisi leviter de ſubeundo alte-

tero dubitet; præ hujus odio, & timore tentare illius aleam refugeret; arguat hinc quilibet, quantò imprudentius sit, tali pacto agere, ubi bonum, quod abdicatur, tantò amplius malo est, quod timetur.

15. Et confirmatur adhuc validiùs argumenti propositi vis. Quia, si quævis metaphysica, & remota sempiternæ salutis ambiguitas rationabile nobis incitamentum aversandæ mortis præberet; non imprudenter agere existimandus esset, qui, quantùm in se est, nunquam mori vellet. Nam, si incertum est hodie, quænam mortuo obventura in æternitate sors sit; eadem ambiguitas crastino item die, eadémque rursus tertio, & nullo non deinceps alio futuri totius temporis die permanebit. Quamobrem, si hodierna ambiguitas satis causæ præberet, cur mori hodie nollemus; similis cujusque alterius futuri temporis ambiguitas sufficiens nobis causa esset, ut nullo unquam tempore mori vellemus. At, quidnam, rogo, aliud esset, mori nunquam velle, quàm æternæ beatitudini omnino nuntium remittere? & socordis illius servi verbis DEO dicere: *Timeo te, quia homo austerus es*: Domine, tam usitatum, & frequens tibi est animas damnare, támque laborioſum, & ar-

duum imbecillitati humanæ effeciſti damnationem effugere, ut ego ad vitandum ſempiternæ illius miſeriæ diſcrimen contentus ultro ſim, & melioris ſortis locò habeam, tua in perpetuum ſocietate, ac cæleſti gloria carere. Verbis enim verò, & ab omni rationis ſpecie alieniſſimis, ſed & adeò divinæ bonitati injurioſis, ut abſque horroris ſenſu commemorare illa nequeam. Quæ tamen æquivalenter, & *in actu*, ùt ajunt, *exercito*, promit, quicunque ex DEI famulis invitus, reluctánſque, & quaſi à lictoribus tractus ad tribunal illius proficiſcitur, decretoriam accepturus æternæ ſuæ ſortis ſententiam: non animadvertens, ſi juſta hæc eſſent ſui animi ſenſa optabilius cuique homini futurum, non exiſtere, quàm exiſtere: nec proinde habituros nos cauſam, agendi grates DEO, quòd creati ab eo ſimus: cùm in ea hypotheſi majus nobis beneficium feciſſet, æternùm nos relinquendo in nihilo, quàm ad vitam educendo, ubi tam graviter periclitamur, nè in ſtatum nihilo deteriorem prolabamur. Ah *ſentiamus de* DEO *in bonitate*: conſiderantes, non eum eſſe immanem tyrannum, vel captioſum judicem, qui gaudeat nos culpæ reos deprehendere, ut poſſit damnare: quíque ritu impii Caligulæ,

(*Suet.*

(*Suet. in Cal. c. 41.*) non nisì obscurè suas nobis leges, quæque necessaria sunt ad salutem, proponat, & alias hujusmodi insidiosas artes adhibeat, tanquam tot tendiculas, quibus capti, in æterni exitii foveam inscii ruamus: sed contrà omnino esse amantissimũ Patrem, qui non alia de causa nos in lucem eduxit, nisi ut suæ nos participes beatitudinis faceret, nihílque optat magìs, quàm ut omnes tanti boni compotes simus, nullámque ad suum tribunal afferamus capitalem noxam, quæ illo indignos nos reddat. Quamobrem, ubi ab hujusmodi noxis animam expurgaverimus, (quod & spirituali viro facillimum semper est, & jam pridem præstitum ab eo credi potest) *adeamus cum fiducia ad thronum gratiæ*, quo nomine appellari à justis meretur tribunal DEI, nostri haud minùs patris, quàm judicis, imò, ùt addit S. Ambrosius, (*In Or. 2. præp. ad Mis.*) ità nostri judicis, ut noster simul advocatus sit: &, quando nobis videmur satìs comparati ad salutarem promerendam sententiam, nè dubitemus, quin hac ipse dignaturus nos sit: utpote qui nihil pro ea à quopiam requirit, nisì quod faciendum esse ab omnibus palàm edixit.

16. Addo postremùm, etiam sepositа hac dulci fiducia, & quasi certitudine æternæ salutis, charitatem, & reverentiam erga cælestem Dominum, si in nobis perfecta esset, suffecturam, ut, si minùs gestienti, at æquo saltèm, promptóque animo ad illius proficiscamur tribunal: parati, quidquid ipsi pro tot nostris contra eum maleficiis debemus, bona fide persolvere, &, qualemcunque de nobis sententiam pro æquitate sua tulerit, submisso capite excipere: adorando illam, & si æternæ mortis sententia esset: neque solùm non audendo quidquam contra hiscere, verùm etiam plenissima cum approbatione ipsi subscribendo, *justus es Domine, & rectum judicium tuum*: B. Angelæ Fulginatis exemplo, quæ, cùm retulisset, ostensam sibi à DEO perquam mirabiliter suorum judiciorum absolutissimam æquitatem fuisse, subjungit: (*In vit. Vis.* 5.) *Ex eo tempore tanta securitate, & quiete animi fruor, ut, si certissimè scirem, damnandam me ad inferos esse, nullo pacto dolere de hoc possem, neque ideo minùs, quàm antea orationi, & aliis divini cultûs officiis vacarem. Neque enim DEI bonitatem in beatis cælitibus magìs, quàm in animabus orco addictis perspicio.* Ità profectò, statuat de nobis, quæcunque vult summus ille, & re-

rectissimus Judex. In omnibus æquè erit bonus, in omnibus æquè amabilis, in omnibus æquè laudandus. *Etiamsi occiderit me, in ipso sperabo.* (*Job. c.* 13.)

CAPUT XXIV.

Respondetur illis, qui dicunt, non desiderari à se mortem, vel quòd pœnas post illam à piis quoque animabus solvendas formident; vel quòd in præsens ad eam satis parati non sint; vel ut opus aliquod permagni ad divinam gloriam momenti absolvant; vel ut plus temporis ad nova cumulanda meritorum lucra habeant.

HÆ postremæ sunt causæ, quæ spiritualibus viris supereſse adhuc possunt, nè suum è præsenti vita ad æternam discessum desiderent: sed causæ nullius ponderis ad homines, qui ardenter DEUM amant, & beatam illius visionem alio quovis bono potiorem habeant à tam justo desiderio avocandos. Idque adeò propositum mihi est, hoc in capite ostendere:

quò nimirum charitatis divinæ ignis, noſtro jam in corde excitatus, amotis, quæ retardare illum poſſent, obſtaculis ad ſummum ſuum bonum, & unicam quietis ſuæ metam per flagrantiſſima vota continenter aſſurgat.

2. Parvam igitur, imò nullam id efficiendi vim habere debet pœnarum in piaculari carcere poſt mortem luendarum timor, eſto has in totum evadere pauciſſimis contingat. Tum quia, qui nihil impenſiùs Deo amat, nullum in pœnali illo ergaſtulo horribliorem cruciatum agnoſcit, quàm privationem viſionis divinæ, qui cruciatus tantò prolixiori tempore ſuſtinendus illi eſt, quantò præſentem vitam longiùs producit: tum quia hominis ſtolidè meticuloſi eſt, mali alicujus neceſſariò ſubeundi moram quærere, ubi toto hujus tempore malum aliud dilato non levius pati cogatur. Ut ſi quis exempli gratiâ ab intolerandis, & continuis calculi doloribus ad ſuſtinendam quaſi malum levius chirurgicam ſectionem compulſus, hanc poſtmodum doloris in ea experiendi metu prorogare indies pergeret: inconſultè ille quidem omnium judicio; utpote qui ſectionis dolorem procraſtinando haud evitat, ſed, quem hodie ſubiiſſet, cras eundem, vel perendie cogetur ſubire, abſ-

absque ullo alio timidæ procrastinationis suæ lucro, nisi quòd toto illius tempore interiores morbi laniatus sibi produxerit. Cujus vecordiam procul dubio imitatur, quisquis posthumos lustralium flammarum cruciatus ità exhorrescit, ut mori propterea tardiùs velit: non advertens, si flammæ illæ cruciandi vim hodie habent, non minorem futuro quovis die, & anno habituras, neque aliud se illarum morâ lucrari, nisi ut toto hujus tempore cælesti felicitate, & gloria careat: bono incomparabiliter majori, & magis optando, quàm mala, & perhorrescenda sit quævis pœna sensibilis. *Si nunquam bene: si autem aliquando, cur non modò?* ajebat de morte sacer ille Præsul, jure à D. Augustino in sua hac sententia laudatus. (*Severan. Mort. Pret. August.*)

3. Quod si fortè aliquis reponat, optari à se longius vivendi spatium, ut divinæ interim justitiæ pro admissis criminibus satis faciat, nullásque habeat in piaculari igne pro iis pœnas luendas; percontor ex hoc, undenam certus sit, vetera potiùs se nomina eo temporis spatio piis operibus expuncturum, quàm nova rursus peccando iis adjecturum? Certè vel *justus*, teste Spiritu sancto, (*Prov.* 24.) *septies cadet*: &, si verè D. Augustinus scripsit, (*De*

Civ. L. 21. c. 14.) *Totam hominis vitam tentationem esse*; verè itèm dicendus erit scripsisse Guigo Carthusianus, (*cap. 5.*) *Longam tentationem petere, qui longam vitam petit*: neque mihi aliud jam supererit, quàm cum D. Bernardo concludere: *Cur ergo tantopere vitam istam desideramus, in qua, quantò amplius vivimus, tantò plùs peccamus? Quantò est vita longior, tantò culpa numerosior.* (*Med. c. 2.*) Si tamen adhuc persuasum habet, longiùs vivendo, plenam se DEO satisfactionem pro quibusque exhibiturum culpis; moneo illum saltèm, ut destinatæ huic satisfactioni certum aliquod, putà tot mensium, vel unius anni tempus constituat: incipiátque jam nunc protinus vivere instar hominis, nihil aliud in omni vitæ actu spectantis, nisi ut è mortali hac ad immortalem vitam usquequaque expiatus, atque integer commigret: minimas etiam culpas, quoad ejus fieri potest, declinans, conniténsque, quidquid satisfactionis DEO debet, orationibus, eleemosynis, voluntariis afflictationibus corporis, atque aliis piis operibus quàm primùm persolvere: & pro certissimo habens, solicitum, strenuúmque hominem plus intrà unum mensem, quàm ignavum, ac desidem pluribus annis efficere. Quam in rem non par-

parvo illi usui erit, si crebrò, & ardenter instauret desideria perveniendi quàm primùm ad claram DEI in cælo visionem. Hæc siquidem torpere illum interim non sinent, sed quasi calcar lateri infixum continenter urgebunt, ut properet, quàm perfectissima culparum omnium purgatione ei fini assequendo sese habilem fingere. Paucis: posthuma purgantium flammarum pœna non diuturnitate, sed sanctitate vivendi evitatur, quíque eam timent, non ad illam optandam, sed ad quærendam hanc debet suo metu incitare.

4. Progrediendo jam ad illorum rationem, qui ægre ferrent in præsens mori, eò quòd minùs bene, atque idoneè comparatos ad rem tanti momenti se agnoscant; dico primùm, adductam hanc ab iis causam indignam prorsus esse homine spirituali, & vero DEI famulo: qui nimirum, veluti scit, se in terris viventem procul à cælesti suo Domino agere; ità diu debet, noctúque excubare, lumbos præcinctus, & *similis homini expectanti Dominum suum*, ut, quacunque horâ hic *venerit, & pulsaverit januam*, (nulla quippe est, qua non possit illius adventus contingere) *confestim aperiat ei.* Qualis fuit pius ille Cœnobita, qui à Medico monitus, ut se ad imminentem è vi-

vita discessum pararet; ex quo, inquit, religiosæ vitæ nomen dedi, nihil egi aliud, quàm ut me ad illum pararem. (*Ap. Rodr. p. 1. tr. 8. c. 19.*) Et qualis itèm alter, cui cùm suus Præses dixisset, frater, actum de vita tua est: age, peccatorum confessionem tanquam moriturus institue; ad cælum extulit manus, subjiciens, DEO laudes sint: à triginta eóque plùs annis confessionem quotidie ante rem divinam, quasi eâ peractâ illico moriturus obii. Quare non alia re opus nunc habeo, nisi ut eandem consueto more obeam, quasi essem rem divinam facturus. (*Ib. tr. 2. c. 5.*)

5. Deinde, quænam, amabò, hæc tandem præparatio est, quam vobis deesse causamini, & cujus adhibendæ gratiâ longiorem vitam optatis? Non arbitror sanè, reditum in amicitiam DEI illam esse. Cùm sanctiorem vitam professi vel nunquam carere amicitiâ DEI soleant; vel si fortè per culpam lethalem eâ exciderint, nihil morentur, amissam recuperare: tanquam bonum ità necessarium, ut ejus privatio nè ad punctum quidem temporis ferenda in animo sit, & adeò paratu facile, ut non longiori, quàm unius momenti spatio acquiri à volentibus queat. Illud itaque responsuros potiùs existimo: desiderari nempe

pe aliquod ante mortem temporis ſpatium, quo à præſentium occupationum impedimentis liberi majori cum quiete animi divinæ conſuetudini, rerum æternarum meditationi, aliiſque pietatis officiis vacare poſſitis: & vitâ ad hunc modum uno, alteróve anno non niſi inter ſanctas, & cæleſtes curas tractâ paratiores ad æternitatem migrare. Sed enim verò compertum vobis eſſe deberet occupationes externas, quamvis nonnihil naturâ ſuâ mentem impediant, & à quietiori rerum cæleſtium contemplatione avocent; ſi tamen vel ad hominis ſtatum, & munus neceſſariò pertineant, vel ex obedientia, aut prudenti charitate ſuſcipiantur; nequaquam interioris vitæ ſtudiis, animíque puritati, & affectuum moderationi impedimento eſſe, ut nulla homini, niſi poſt impetratam ab iis miſſionem ad ſanctè, hilaritérque moriendum idonea præparatio eſſe poſſit. Quod unum igitur poſſum vobis concedere, hoc eſt, ut jam nunc protinus non expectato præſentium occupationum fine certum aliquod definiatis, unius putà anni, vel nonnullorum menſium tempus, quo comparaturi vos meliùs ad mortem ſtudeatis, non penitùs vel plùs æquo in externas functiones mentem effundere, ſed cum ne-

necessaria earum cura assiduam, quantùm fieri potest, DEI præsentis memoriam, attentionémque ad vestrum spiritualem profectum conjungere: optantes interea, ut elapso hoc tempore, nè adesse ulteriùs cunctetur felix hora vestri ad immortalitatem discessûs. Nam non illico aggredi destinatam ad obitum præparationem, sed incertum aliud tempus, & ab externis occupationibus vacuum inchoandæ illius gratiâ opperiri; vel post certum tempus illi assignatum, jámque elapsum eo adhuc contentum non esse, sed novos præterea exactiores paratus, & novas longiores moras exposcere hominis sese ultrò fallentis res esset. Esset quidem primò ex prædictis duobus modis agere. Viventibus quippe, ùt vos vivitis, in hominum medio nunquam possunt occupationes deesse: sed impositò, imò etiam nondum impositò præsentibus fine, aliæ, & aliæ, & forsitam inquietiores succedent. Atque ità tempus semper opperientes, quo commodiùs, & liberiùs ad supremũ iter vos parare possitis, nunquam inciperetis vos ad illud parare. Sed & se ipsum falleret, qui alteram agendi viam sectaretur, ità ut nullo ad mortem sui paratu contentus esset, neque obire illam vellet, nisì posteaquam vita ante ip-

ipsam traducta ei penitùs satìs feciſſet. Quantumcunque enim sanctè hanc traduxerit, multas tamen in ea labes, atque culpas inveniet, quæ occasionem sibi præbeant, eam minùs probandi, censendíque alia temporis prorogatione opus sibi esse ad seſe diligentiùs, & prout decet, parandum. Certè sancti illi homines, quos quàm primùm moriendi cupientiſſimos fuiſſe accepimus, nequaquam se ipsis, suáque ad eum diem vivendi ratione contenti erant: neque verò mortem flagrantibus adeò votis in singulas horas accersiviſſent, si nemini expetendam arbitrati essent, nisì qui perfectè vivendo se ad eam priùs comparâſſet. Imò ob hoc ipsum, quòd sibi videbantur nimis pravè, ac negligenter vivere; gestiebant quantocyùs è vita adeò imperfecta, & mendosa discedere. Quapropter, qui semper vellet diutiùs vivere, eò quòd nullo adhuc tempore vitam omnino sanctam, quasi neceſſariam ad sanctè moriendum præparationem duxerit; causas vitam expetendi indè sumit, unde illum incitari potiùs ad mortem efflagitandam par esset. Cùm, quantò minùs in terris perfectam totius animæ cum DEO conjunctionem se assequi videt, tantò ardentiùs suspirare felicem illam horam deberet, quæ

quæ ipsum à nexibus corporis, & terrenarum rerum impedimentis liberum cum suo æterno principio, ac beatissimo fine penitùs junget. Concludamus itaque, necessariam ad feliciter moriendum præparationem non alibi, quàm in præsenti animæ cum DEO amicitia esse positam, conditione nimirum sanctioris vitæ professoribus haud solitâ abesse. Quòd si aliquis communi huic, & necessario paratui alium quoque exactiorem, & sanctorum hominum proprium cupit adjungere; næ ille sibi optimè consulit: dummodo id confestim exequi aggrediatur, & confestim simul mortem desiderare incipiat: certò sibi persuadens hoc ipsum ejus desiderium optimum esse ad eam se parandi modum: juxta D. Augustini sententiam, quam præcedenti capite attuli, neque abs re puto hìc repetere: *Frustrà dicunt quidam, se mori nolle, ut proficiant: cùm ipse profectus eorum in eo sit, ut mori velint. Proinde, quod nolunt, ut perfecti sint, velint, & perfecti sunt.*

6. Respondendum tertiis jam est, iis videlicet, qui cum opus aliquod præ manibus habent, unde non parvam DEO gloriam, & proximis utilitatem extituram sperant; prorogari sibi vitam vellent, quoad illud perfe-

ce-

cerint: parati tunc cum sancto Simeone dicere: *Nunc dimittis servum tuum Domine secundùm verbum tuum in pace.* Qua in re videntur sibi nedum nullam ex Christianæ Ethicæ legibus præterire; verùm etiam pereximium amoris erga DEUM specimen dare: cùm divinæ illius gloriæ incrementa bonorum suorum maximo, æternæ nimirum beatitudini præferant. His igitur primùm respondeo, proprium esse hominum, qui Christiana humilitate, & sui cognitione imbuti altiùs sunt, non ità se publicæ rei necessarios credere, ut si quid in commune bonum præstare seu lingua, seu calamo, seu industria, & authoritate possunt; nequeat illud idem à pluribus aliis, & quidem cumulatiùs præstari: nec verò contingere, ut nimia nostri æstimatio, innatúsque nostrarum destinationum amor repræsentet nobis, quæ meditamur, vel aggressi sumus opera, tanquam res maximi ad publicam utilitatem momenti: quorum tamen fructus ab alio, ea sinceriùs, & citra amoris proprii præjudicium spectante valde incertus, tenuísque censebitur, nec talis, qui pluribus aliis modis suppleri, & compensari nequeat.

7. Addo novæ responsionis locò, non debere eũ, qui Deum amat, id tantùm intueri,

quod pro illius gloria se effecturum sperat; sed ea etiam, quæ solet quotidie contra ejusdem gloriam patrare. Si enim prima consideratio incitamento illi est ad longiorem vitam optandam; non minùs illi altera citæ mortis cupiendæ incitamentum præbebit. Ceu multis revera illud præbuit DEI insignibus famulis: qui reputantes animo, quidquid in obsequium cælestis Domini agerent, instar nihili esse præ tot culpis, & defectibus, unde illi offensionis materiam assiduè suppeditabant; irati adversùs se ipsos, & hanc præsentis conditionis pravitatem coram illo exclamabant: *Domine, si sic vivitur, & in talibus vita spiritûs mei, corripies me, & vivificabis me.* Et quod vitæ genus, Domine, hoc est vitiis undique, & actibus tibi exosis refertum? Ah illam, miseratus, præcide! vitâ quippe defungi, in qua te summum bonum, & unicum nostrorum cordium amorem toties offendimus, haud mori nobis erit, sed meliùs renasci. Quos inter peculiari memoria dignus videtur Marcellinus Albergottus, nostræ Societatis Sacerdos: utpote qui indè etiam motus maximè est, ut pestifera lue infectis deservire, adamato veriùs, quàm contempto sui capitis periculo expeteret: occasionem nempe hinc habiturus ac-

accelerandæ sibi non modò absque culpa, verùm etiam cum laude, & merito mortis: quemadmodum hæc illius facultatem à suo Præside per literas flagitantis verba declarant: *Quantùm ad commodum indè meum videor posse dicere cum S. Ignatio Martyre: Ego scio, quid mihi expediat. Nescio, an quidquam sæpius desideraverim in omni vita, quàm mori, nè DEUM ampliùs offendam. Ignis, crux, bestiæ veniant, & quidquid tormentorum est in hoc mundo, & altero, ut fiam impeccabilis. Mi pater amantissime! quantum boni præstare mihi potes unica voce: ità! DEUS inspiret P.V. quod inspiravit mihi. Si spiritus, & sponsa dicunt: veni, & qui audit, dicat, veni, Amen.* (*Tanner. in Soc. Eur. El. 130.*)

8. Præterea, qui divinæ gloriæ amplificandæ studio prorogari sibi vitam desiderat, reminiscì deberet, in eo positam esse DEI gloriam, ut sui illum famuli cognoscant, venerentur, atque ament: ideóque, cùm fieri nequeat, ut tam perfectè DEUM cognoscamus, veneremur, atque amemus in præsenti vita mortali, & terrena, quàm in altera æterna, & cælesti; neque itèm fieri posse, ut in terris viventes quibuscunque nostris operibus tantum illi tribuamus gloriæ, quantum tribuemus eum palàm in cælo videntes. Quocir-

ca tantùm abeſt divinæ gloriæ ſtudium à ſuppeditanda nobis cauſa longioris moræ in terris poſcendæ, ut incitamentum potiùs præbeat, quàm celerrimi hinc diſceſsûs optandi: quò nempe ad beatiſſimam illam regionem migremus, in qua una perfectæ gloriæ vectigal ſupremo Regnatori perſolvitur. *Placebo Domino*, (hoc eſt abſoluta, integráque ſervitute ſatisfaciam) inquit Propheta. (*Pſ. 114.*) At ubinam? *in regione vivorum*, ſubjungit, hoc eſt in cæleſti patria, ubi per antonomaſiam, quia perfectiſſimè, & immortaliter vivitur. Sed erroris occaſio eſt, quòd non advertatur ſuam à DEO gloriam in animarum noſtrarum bono eſſe poſitam: adeò ut perfectam ipſi gloriam nos reddere, & perfectè beatos ex ipſo eſſe, una eadémque res ſit. Id enim nonnulli minùs attendentes falsò ſibi effingunt noſtram in terris vitam ſtatum eſſe DEO propriè ſerviendi, eundémque in cælo ſtatum Deo merè fruendi. Cùm revera nemo perfectiùs, & magìs propriè DEO ſerviat, quàm qui in cæleſti felicitate DEO fruitur.

9. Verùm audio nonnneminem ſubjicientem, majorem proventuram eſſe DEO gloriam, ſi ipſe aliquot annis ſeriùs cælum petat ad eum ibi perfectè cognoſcendum, atque amandum,

dum, sed simul cum altero quopiam, quem interim ad fidem, vel ad meliorem frugem converterit, quíque ibi secum, & ipse per totam æternitatem DEUM perfectè cognoscat, & amet, quàm si eò citiùs solus tamen contendat: cùm instar nihili sit paucorum illa annorum gloria, quam DEUS à se citiùs moriente in cælo acciperet præ innumerabilium sæculorum gloria, quam ab altero per se diutiùs viventem conversò ibidem accipiet: nihílque obstare, quin dilationem eligere sui ad æternam beatitudinem transitûs, procurandæ interim æternæ animarum salutis, & consequenter majoris divinæ gloriæ causâ possit: prout factum re ipsa est tum à D. Paulo, quando *optabat esse anathema à Christo pro fratribus suis*; (*Ad Rom.* 9.) tum ab aliis eximiæ sanctitatis viris, quos accepimus, obsequii divini, & proximorum salutis gratiâ, diuturniorem in præsentis vitæ exilio moram non recusâsse. Audio, inquam, rationem hujusmodi, promtúmque mihi esset, illius vim infringere, statutâ ex adverso magni Suarii doctrinâ, ubi is definit: amanti DEUM convenire, ut majorem, quæ ex suis actibus DEO proventura sit, gloriam, minori semper anteferat: at non pariter, ut majorem, quæ ab alio exhiberi Deo

possit, præ minori à se ipso eidem exhibenda eligat. Nam alioqui fas itèm alicui esset, in hypothesi quapiam, unde novum crimen abesset, ex majoris divinæ gloriæ studio cælesti se beatitudine abdicare in perpetuum, quò duobus, aut tribus aliis eâ potiri sui locò liceret. *Respondetur:* (en Doctoris prædicti verba) *Charitatem non magis diligere id, quod est objectivè major gloria, sed id, quod est quasi effectivè. Id est, id magis amat, quo magis glorificat DEUM ipse amans, non quicunque alius.* (*De Char. Disp. 9. Sect. 1. n. 3.*) Et ad citatum D. Pauli locum quod attinet, respondere sat probabiliter præeuntibus Sanctis, Ambrosio, Hieronymo, Thoma, & aliis Doctoribus, (*Vide Suar 1b. n. 4.*) possem, non eam ibi esse Apostoli mentem, ut dicat, se in præsens optare disjunctionem à Christo pro æterna Judæorum salute; sed ut significet potiùs, eorum se amicitiam, & societatem, priusquam ad Orthodoxam fidem converteretur, Christi amicitia, & societate potiorem duxisse. *Dicendum*, (ità D. Thomas) *quòd secundùm unam glossæ expositionem hoc Apostolus non optabat, quando erat in statu gratiæ, sed hoc optaverat, quando erat in statu infelicitatis. Unde in hoc non est imitandus.* (*2. 2. qu. 27. a. 8. ad 1.*)

10. Quia

10. Quia tamen neq; inficiari possumus, insignes quosdam DEI famulos ità animatos revera fuisse, ut optarent, *anathema esse à Christo*, beata videlicet illius visione ad aliquod tempus carere, quò æternæ aliorum saluti consulerent; & citata paulò antè Suarii doctrina videtur exceptioni esse obnoxia, ubi, ceu in casu mihi suprà objecto, gloria, quam nos collaturi DEO sumus, ab illa, quam eidem conferre alius posset, sinè ulla proportione exceditur; haud gravatè concedo, posse unumquemque ex DEI servis longiorem in terris ab eo absentiam ultro eligere, ubi speret hinc eventurum, ut illius gloriæ meliùs velificetur, nempe ut unam, pluréfve animas eum mox in cælo per totam æternitatem laudaturas, & perfectè amaturas lucretur. Sed quid tandem hinc sequitur? Num non posse, qui id elegerit, cum absoluta voluntate diutiùs aliquantò in terris vivendi permolestum vitæ illius productioris tædium, & perquam ardens dilatæ mortis desiderium conjungere? Nequaquam profectò: veluti neque ex eo, quòd institorum aliquis præ imminentis naufragii timore ad navim suarum mercium projectione alleviandam inducitur, sequi videmus, quin cum summa voluntatis repugnantia id exequatur, ínque ipso eas projiciendi

actu vehementissimum, esto inefficax, eas-dem retinendi votum animo foveat. Hinc exemplum licet sumas rationis, qua tu quoque in præsenti re utaris. Conservationem mercium post vitæ, & salutis curam ille habet. Anticipationem tu quoque cælestis tuæ beatitudinis, æternæ animarum saluti, & ampliori, quæ proventura indè est, divinæ gloriæ post-habeas. Sed, quemadmodum ille ad eligendum pretiosi auxilii genus, nisi priùs rite explorata, & perspecta illius necessitate haud descendit, neque, posteaquam illud elegit, adhibuítque, consueto erga merces projectas amore affici desinit, sed præ illarum desiderio suspirat, eásque quòd amiserit, se miserum clamitat, & nimis carò sibi stetisse naufragii evasionem queritur; haud secùs & tu, nec sinè admodum probabili, & penè certa necessitate inducas animum, ut prorogari mortale exilium tuum velis; neque ubi prorogationem hujusmodi conducere ad divini honoris incrementum videris, considerare omittas beatitudinis immensitatem, qua te interim fraudat: sed tecum reputes, si inæstimabilis thesaurus DEI gloria est, inæstimabile etiam bonum visionem DEI esse: cúmque gaudio, quòd illam amplifices, mœrorem conjunge, quòd tamdiu carituras hac sis: summopere id-

idcirco desiderans, ut celeri exitu concludatur, quod sub manu habes negotium, libérque, & curis omnibus expeditus, proficiscì quàm primùm possis, ad DEUM in cælesti sua regia perfectiori cultu honorandum. In summa, exemplo D. Pauli toleres potiùs, quàm plena voluntate eligas, in terris diutiùs morari, tanquam rem necessariam potiùs, quàm suâpte meliorem naturâ. Siquidem *dissolvi, & esse cum Christo, multò melius, permanere autem in carne, necessarium.* (*Ad Philipp.* 1.) Et si alii patienter mortem excipiunt, tu ex numero illorum sis, quos D. Augustinus ait vitam patienter producere. (*Tr. 9. in Ep. Joa.*) *Sunt homines, qui cum patientia moriuntur: sunt autem quidam perfecti, qui cum patientia vivunt. Vide Apostolum patienter viventem, id est cum patientia hìc non amantem vitam, sed tolerantem. Dissolvi, inquit, & esse cum Christo, magìs optimum, manere autem in carne, necessarium propter vos.* Unde palàm omnibus fiat, si ex divinæ gloriæ studio perdurare in terrestri hoc exilio adhuc sustines; nihilo plùs, quàm necesse est, non aliter scilicet, quàm corporis præsentia, externáque operatione te hìc perdurare: cæterùm animo, spiritu, cogitationibus, ac desideriis in sola unicè amabili, & unicè tibi adamata cælesti patria interim vivere.

11. Qua responsione demonstratum simul jam est ad minuendum in anima DEI amante mortis desiderium, nihil prorsus neque ultimam ex commemoratis initio optandæ longioris vitæ rationibus, augendorum videlicet meritorum studium valere: rationem certè alioquin justissimam, quamvis illa impellente usque ad extremum universalis judicii diem protelare vitam vellemus. Etenim, quantumcunque gravis jactura sit, per totum id tempus beato DEI aspectu carere; lucrum tamen eâ longè æstimabilius videtur meritorum multiplicatio, quæ quotidianis accessionibus nova, & majora cumulari interim possunt; cùm, qui hoc pacto cælesti beatitudine ad aliquod tempus caret, eadem cumulatiore per totam æternitatem fruiturus sit: quod perinde est, ac bonum temporale æterno commutatum velle. Quapropter neque dici potest, qui idcirco longiorem in terris vitam desiderat, alteram justo minùs amare, quæ hac defunctis in cælo promittitur: quemadmodũ dici non potest, pecuniã minùs amare, qui eam potiùs laborat mercaturis, & fœnebri quæstu augere, quàm festinet in præsentes usus expendere; differens nunc ejus fructum, ut suo tempore ampliorem percipiat.

Ap-

Approbo itaque, ut, quiſquis vult, optet hac de cauſa mortale ſuum exilium produci, dummodo, ut paulò antè dicebam, ad cæleſtem ſimul ſuam patriam flagrantibus votis anhelare nè omittat: crebrò ſecum reputans, quàm inæſtimabili bono carendum ſibi interim ſit, neque aliud habens tam acerbæ privationis ſolatium, quàm convertere identidem mentis oculos ad fortunatiſſimum illud tempus, cùm tandem perfunctus labore, ſuam amplificandi futuram beatitudinem, ea jam parata, & præſenti æternùm fruetur. Ità ſanè dico, cum ſolicita hac, anxiáque, & impatienti quodammodo patientia, tolerari ab eo debet fructuoſa quidem, ſed tamen duriſſima mortalis vitæ productio. Nam ſi nullo cæteroqui afficiatur illius tædio, neque violentam, & gravem ſentiat, ſed pergat in terris omnimoda cum animi ſecuritate, tanquam in naturali ſuo fine, atque centro quietus morari; manifeſtò hinc licebit arguere, electam ab eo futuræ dilationem vitæ eſſe, non augendæ, velut jactitat, illius beatitudinis causâ, ſed quia (ùt ſæpe evenit) nimio animi affectu præſentis vitæ bonis adhæret: neque aut DEUM, nisì valde frigidè amat; aut immenſam eo fruendi felicitatem, nisì parvo admodum æſtimat.

Quem-

Quemadmodum ergo Apicius quiſpiam, vel alius ſimilis helluo ex ipſo gulæ inſtinctu poteſt veſcendi tempus differre, ut, quantò acriori cum eſurie menſæ accumbet, tantò indè voluptatis plus hauriat: ſed nihilominus moram illam, etſi ultro à ſe electam, perdifficilem, moleſtámque experitur, & illius finem avidè expectat, & numerat ſubinde horas uſque ad prandium ſuperſtites, hæque ipſi ſolito tardiores videntur; non aliter, qui Deum ſuper omnia amans, nec quidquam propterea enixiùs cupiens, quàm videre eum, *ſicuti eſt*, nihilominus, ut perfectiorem illius viſionem ſibi mereatur, contentus eſt aliquantò ſeriùs ad eum videndum admitti; fieri profectò nequit, quin gravem, durámque illam experiatur, tametſi voluntariam dilationem, & gliſcere indies ſentiat tam dulcis pabuli famem. Unde ad calculos identidem revocat amaræ illius abſtinentiæ dies, & quamcunque ejus horam anno longiorem putat, séque non poſſe ampliùs durare, ingemit, & magnam vim interdum ſibi inferre opus habet, nè priſtinam electionem retractet.

)(o)(

CA-

CAPUT XXV.

De gaudio, quod anima DEUM amans ex infinita perfectione, & beatitudine illius percipit.

AMor, utì perſonam amatam, quaſi alterum ſe amanti repræſentat; ſic efficit, ut hic bona illius omnia ſua eſſe credat, déque iis non ſecùs, ac de propriis gaudeat. Videre id licet in matre unici filii, quæ nihil habens in terris ſua prole charius, nullam etiam gaudendi invenit ampliorem materiam, quàm illius ſecundos eventus: quòd nempe integra valetudine utatur, quòd egregiæ indolis ſpecimen præbeat, quòd in literis ſupra æquales proficiat, quòd in peculiari æſtimatione, & gratia tum apud ſodales, tum apud principem ſit, quódque ulteriorum ad honores, & dignitates primarias progreſſuum haud dubiam ſpem faciat. Næ, híſque ſimiles filii prærogativæ, quis referat, quantum lætitiæ tenero piæ parentis cordi afferant? Tanta voluptate illam complent, ut, quamvìs non leves interim habeat ſive à morbis, ſive ab aliis infortuniis tri-

triſtitiæ cauſas, plùs tamen de filii proſperitate exultet, quàm de ſuis angatur ærumnis: dicens ſecum in adverſo quovis caſu, ſaltèm meus filius meliori ſorte fruitur: nîl habet dolendum, lætus vivit, & felix. Hoc unum ſatis mihi eſt, ut animum à mœrore allevem, &, ſi minùs in me ipſa, in eo ſaltèm fortunatam me putem. Quales fuêre olim Patriarchæ Jacobi ſenſus, cùm audiens filium ſuum Joſeph vivere, & inſtar alterius Pharaonis regnare in Ægypto, *Revixit ſpiritus ejus, & ait, ſufficit mihi, ſi Joſeph filius meus vivit*: & paulò pòſt eundem in tam eminentis fortunæ faſtigio ſuiſmet oculis cernens profeſſus eſt, nihil ſibi jam ſupereſſe ultrà in terris optandum, *Jam lætus moriar, quia vidi faciem tuam, & ſuperſtitem te relinquo.* (*Gen.* 45. & 46.)

2. Fac igitur, amari ab aliquo ſuum Patrem cæleſtem, quantùm hic Patriarcha amavit, vel mater illa amat ſuum filium; quis non videt, quàm uberem, immensámque habeat gaudendi materiam, dum ſecum reputat, ſuo illi Parenti nihil omnino poſſibilis gloriæ excellentiæ, perfectionis, & felicitatis deeſſe: nihil ſive in magnitudine, ſive in ſcientia, ſive in operandi virtute, nedum ipſi par, ſed minùs quàm infinitè inferius ipſo eſſe: omnia en-

entia creata, ſumma, ima, media illius Dominio ſubeſſe, omnia ab illius arbitrio pendere, omnia, quidquid poſſunt, quidquid habent, quidquid ſunt, ipſi acceptum referre: ipſum verò unum nemini eſſe obnoxium, nemine opus habere, à nemine vel atomum boni poſſe accipere, cùm totam bonorum plenitudinem per ſe ipſum neceſſariò habeat in infinita ſua eſſentia, tanquam in univerſali, unicóque illius fonte collectam? Et quî unquam fieri poterit, ut incomparabilis adeò amatiſſimi ab eo ſui Genitoris felicitas ineffabili voluptate illius cor non afficiat, non omnem in eo ſenſum mœroris, & cujuſvis ſui mali memoriam penitùs deleat, non eum uſquequaque expleat, ſatiet, ac beet? Certè, ſi quodvis perſonæ adamatæ bonum vim habet delectandi amantem, tantò magìs hunc delectet, neceſſe eſt, quantò ipſum eſt majus. Quapropter, cùm bona, quæ DEUS in ſe ipſo poſſidet, quibuslibet creatis bonis infinito intervallo antecellant; quicunque illum amat, dum adeò divitem, adeò potentem, adeò uſquequaque perfectum iutuetur; lætitiam deberet indè haurire incomparabiliter majorem, quàm ex cujuſquam mortalis amici bonis percipere queat: imò tam immenſa illius

bea-

beatitudo deberet eum amantes in totum beatos efficere. Quod si tales re ipsa non efficit, duo in causa sunt defectus, exiguitas nempe amoris, & cognitionis obscuritas. Alioquin, si pro eo, ac meretur incomparabilis illius amabilitas, longè eum plùs amarent quovis alio à se amato, & amabili objecto, claréque simul perspicerent, quàm immenso intervallo ejus felicitas omnem aliorum, qui amari à se possunt, felicitatem transcendat; fieri utique non posset, quin ex hac oblectationem caperent, illius immensitati respondentem, incomparabiliter scilicet quavis alia majorem. Prout revera omnibus cæli incolis evenit: qui propterea, quòd summopere Deum ament, & palàm intueantur, quàm sit idem supra modum omnem beatus; gaudium indè concipiunt, quod penè ad infinitatem accedit, neque à nobis vel intellectu dignè concipi potest, nedum fando explicari: ut proinde, si eorum quispiam mediis orci flammis, salva tamen DEI visione immergeretur, non idcirco & inter ipsas esse desineret, aut minùs quàm extra ipsas esset, quantùm pertinet ad hujus nominis essentiam, beatus. Usque adeò immensitas gaudii, quo plenum undique animum habet, omnem indè prohiberet atrocis-

cissimi illius, sed nimiò minoris cruciatûs tristitiam. Nè multa: ut, quidquid de iis dici posset, compendio eloquar; *Intraverunt in gaudium Domini:* Infinita beatitudo, & infinitum gaudium DEI eorum est beatitudo, atque gaudium: neque sempiternum illud *Alleluja*, quo eos jucunditatis, lætitiæque suæ plenitudinem exprimentes, aliam B. Joannes audivit potiorem materiam, quàm incomprehensibiles Domini sui prærogativas habet: *Et audivi quasi vocem turbæ magnæ, dicentium: Alleluja. Quoniam regnavit Dominus DEUS noster omnipotens. Gaudeamus, & exultemus, & demus gloriam ei.* (*Apoc. 19.*)

3. Hinc adeò, ut tam proprium divini amoris affectum nostro in corde excitemus, excitemúsque quàm maximè vividum, respondentem objecti magnitudini, illíque similem, qui in beatis cæli spiritibus viget; curandum nobis est omni ope, atque studio, quàm ardentissimum DEI amorem, quámque exactissimam infinitæ illius perfectionis, atque beatitudinis notitiam concipere. Cùm enim naturale cuivis gaudio sit, mensuram suæ magnitudinis non ex bono duntaxat, quod possidetur, sed ex illius etiam cognitione, & amore illud possidentis desumere; quantò DEI

amor fuerit in nobis ardentior, quantóque perſpectiorem illius bonorum immenſitatem habuerimus, tantò de eadem gaudere nobis pleniùs licebit. Et quando prædictæ duæ gaudii conditiones ad eum uſque gradum in nobis pervenient, ad quem præſtantes ſanctimoniæ viri pertingere ſolent, nihil erit noſtra in terris vita beatæ Cælitûm vitæ ſimilius. Nulli quippe adverſorum caſuum incurſus tantam nos contriſtandi vim habebunt; quin ad exhilarandos, & gaudio complendos multò plùs valeant infinita illa bona, quæ à DEO poſſideri certa fide cognoſcimus: poterítque noſtrûm quilibet inter quaſvis ærumnas, & calamitates cum Habacuc Propheta lætabundus canere: (*c. 3.*) *Ficus non florebit, & non erit germen in vineis. Mentietur opus olivæ, & arva non afferent cibum. Abſcindetur de ovili pecus, & non erit armentum in præſepibus. Ego autem in Domino gaudebo, & exultabo in Deo* JESU *meo.* Negat mihi paupertas neceſſaria ad quotidianos, & communes vitæ uſus ſubſidia. Neget! DEO meo ad pleniſſimam opulentiam, & felicitatem nîl deeſt, aut deeſſe unquam poteſt. Quidquid penè conſilii ineam, ſiniſtros ſortitur eventus. Leve malum, nec maximo carens ſolatio. Omnipotenti

DEI

DEI mei arbitrio nulla vis impedimento est, quò minùs certissimo tramite finem suũ consequatur. Pertinacibus morbis conflictor: Quid tum? At perfectissima interim DEI mei beatitudo extra omnem ictum, & aleam mali est. Si in me ipso ægritudinis, in eo voluptatis materiam, & oh quantò ampliorem reperio! Eveniat, quidquid potest adversi: ruat cælum, labet tellus, misceantur sus déque omnia: *Ego in Domino gaudebo, & exultabo in DEO JEsu meo.* In summa: objicientes fortuitis, & naturalibus nostris malis contraria cælestis nostri Patris bona, cernentésque, quàm nulla proportione alia aliis respondeant, exuperanti horum dulcedine exiguam obruemus illorum amaritiem, & nostram vi amoris facientes ipsius beatitudinem, priùs etiam, quàm intremus in cælum, *intrabimus in gaudium Domini*: vivendo, quantùm in lacrymabili hoc exilio fas est, extra omnem tristitiam contenti exultantes beatorum Cælitûm similes: & experiendo, quàm verè Laurentius Justinianus dixerit: *Hæc est inchoatio beatæ vitæ, gaudere in te, de te.* (*In Lign. Vit. de Char.* c. 10.) O exercitationem miræ dulcedinis, & sanè dignissimam, ut, quisquis, non dico DEUM, sed vel se ipsum amat, tam sedulam ipsi

operam navet, quàm cupidus beatitatis ſuæ eſt, cujus guſtum hoc pacto in terris anticipare fas eſt.

4. Accedendo itaque ad illius praxim, perpendemus primò cauſas, quæ nos ad DEUM ſuper omnia amandum impellunt, nempe hinc admirandam, & prorſus ineffabilem illius erga nos charitatem, tot adeóque ſingularibus, quæ tum in naturæ, tum in gratiæ ordine nobis contulit beneficiis teſtatam; indè verò incomprehenſibilem pulchritudinem, & reliqua humanum captum excedentia, de quibus in prima hujus operis parte actum eſt, decora: excitantes nos geminis hiſce ſtimulis ad eum impenſiſſimè amandum, & in concepto ejuſdem amore exprimendo, ac vehementiùs inflammando aliquamdiu perſiſtentes. Secundò animadvertemus, quàm hæc decora illũ, & nobis amabilem, & in ſe ipſo etiam beatum efficiant, præſertim æternitas, bonorũ omnium neceſſaria poſſeſſio, immutabilitas, ſapientia, omnipotentia, & creatæ totius univerſitatis dominium. Si enim & finita dictarum perfectionum participatio felicem nobis hominem facit; quàm incomparabiliter major debebit illius nobis beatitudo videri, qui eas omnes, & ſecundùm totam amplitudinem in ſum-

simpliciſſima ſua eſſentia neceſſariò complectitur? Tertiò hinc arguemus, quàm ingens à nobis percipi gaudium ex tam immenſa illius perfectione, & felicitate par ſit, ratiocinando hoc pacto nobiſcum: quantùm ego gauderem, ſi dimidia, ſi decima, imò ſi vel milleſima hujuſce felicitatis pars poſſideretur ab homine mihi amiciſſimo? Quantùm, ſi eadem illius portio mihi ipſi poſſidenda obveniſſet? Quantò igitur magis me lætari æquum eſt, cùm illa non ſecundùm aliquam ſui partem, ſed tota poſſideatur, & poſſeſſa ſemper fuerit, nec unquam poſſidenda non ſit à cæleſti Domino, quem amicis omnibus, imò & me ipſo chariorem habeo? Quartò demum in feſtivas expreſſiones juſtiſſimi hujus gaudii erumpemus: congratulantes tum nobiſmet ipſis, tum cæteris rebus creatis, tum ipſimet noſtro, & earum omnium Conditori de incomprehenſibili illius beatitudine, & gloria.

5. Et quantùm quidem ad nos ipſos poterimus hoc, vel ſimili pacto intimos animi ſenſus depromere. O meam verè feliciſſimam ſortem! & quid mihi optandum jam ſupereſt, cùm DEUM meum videam, ſuprà quàm deſiderare unquam poſſem glorioſum, excellentem, beatum? Aut quid tam jucundum, tám-

que explendo meo cordi sufficiens consequi possum, ut non multò jucundior, eique explendo aptior sit infinita ipsius summi, & unici amoris mei beatitudo? Eximiæ, fateor, felicitatis locò mihi erit in cælesti gloria illo frui. Sed quantò majorem felicitatem meam puto, quòd ille æternùm se ipso fruatur. Eja igitur, prodite obviàm, quotquot estis, calamitates, ærumnæ, infortunia. Non timet, nè ullis vestris incursibus ruat, cùm tam immobili nitatur fundamento, mei cordis lætitia. Eripite, si libet, census, & prædia, eripite valetudinem, eripite libertatem, eripite hominum æstimationem, & gratiam, & quidquid præterea obtineri in terris potest bonorum. Rideo id genus jacturas, nullam vim habent minuendi vel tantillò meum gaudium. Omnia nimiùm quantùm compensantur à felicitate infinita, qua DEUS fruitur. *Gaudens gaudebo in Domino: & exultabit anima mea in* DEO *meo.* (*Isai.* 61.) Si etiam compertum haberem, æternis inferorum suppliciis citra DEI offensam damnatum me iri; parùm abest, quin dicam, fore, ut damnationem hanc molestè non feram, nec illius causâ contentus, & hilaris vivere desinam, cùm mihi ad leniendam sufficiat omnem meæ illius summæ licèt miseriæ acer-

acerbitatem dulcis hæc cogitatio: si ego æternùm cruciabor, DEUS quem plùs me diligo, per totam retro æternitatem fuit, pérque totam porrò æternitatem erit beatissimus. O DEI beatitudo! jam per amorem mea, objectum longè inter omnia, quæ occurrere mihi possunt, lætissimum, tu es mihi cælum, tu votorum quies, tu centrum animi, tu summum meum bonum. In te una omnia invenio, tu totam reples cordis mei capacitatem, ut nullus ibi locus humanæ alteri lætitiæ, ac voluptati supersit. Eveniat mihi ergo, quidquid prosperi, atque optabilis evenire in terris homini potest. Effundat in meum sinum, quidquid habet censuum, fortuna. Conveniant in me catervatim decora omnia, unde quis conspicuus in terris fuerit: potentia Augusti Cæsaris, gloria militaris Alexandri Macedonis, robur Samsonis, ingenium Aristotelis, eloquentia Demosthenis, scientia Salomonis. Indignum existimabo vel attendere ejusmodi bona præ infinitè majoribus, quæ collecta in te aspicio. Sacrilegii instar putabo, *non proponere* te summam omnium bonorum *in principio lætitiæ meæ*: imò posse lætari, præterquam de te, déque iis, quæ ad te pertinent, & feliciorem me credere ob terreni cujusquam bo-

ni additamentum, quàm ratione unius tui sim. *Domine mi, qui Rex noster es solus, tu scis, quòd abominer signum superbiæ, & gloriæ meæ, quod est super caput meum, & nunquam lætata sit ancilla tua, nisi in te Domine.* (*Vide c.* 14. *Esth.*)

6. Hinc verso ad res creatas sermone iis quoque gratulari pergemus, easdémque in nostræ exultationis partem vocabimus. Euge res creatæ, cæli, elementa, plantæ, animalia, homines universi, *annuntio vobis gaudium magnum.* Supremus noster procreator, & Dominus infinitè est perfectus, contentus, beatus. Nulla re indiget, imo tantâ bonorum copiâ circumfluit, ut iis possit citra ullam felicitatis, opulentiæque suæ diminutionem innummerabiles alios mundos ditare. Quid ergo cessatis? *Venite, exultemus Domino, jubilemus DEO salutari nostro. Quoniam DEUS magnus Dominus & Rex magnus super omnes Deos.* Gestiamus omnes, tripudiemus, plaudamus, concinamus hymnos lætitiæ. *Omnes gentes plaudite manibus: jubilate DEO in voce exultationis. Psallite DEO nostro psallite: psallite Regi nostro, psallite.* Proscribatur undique è rerum universitate omnis mœror. Nusquam audiatur vox querula, nusquam tristis facies occurrat. Sed in omnium oculis risus emicet: omnium

è

è labris hilaritas resonet. Infinita DEI nostri opulentia, & felicitas non ipsi uni duntaxat, sed & nobis omnibus ad plenum satiandis par est: ceu solis jubar non ipsum tantummodo reddit lucidum, sed & nostrum simul hemisphærium illuminat. At quid video, audióque? Video nonnullos vultu nubilo, & fronte dejecta, in suspiria, in querelas, in ploratus erumpere. Et undenam iste luctus? Quæ nova calamitas, quísve accidit tam horribilis casus, ut perturbari indè possitis, cùm alioquin certissimè constet, salvam, intactámque, & qualis semper fuit, permanere Dei vestri beatitudinem? Quæsiti diu honoris spe excidi: turpe crimen non sinè gravi famæ detrimento affictum insonti est: magni momenti litem iniquo judicio perdidi. O causas! quæ sinè pudore afferri, & sinè stomacho accipi nequeant. Itáne ergo tantulæ istæ honoris evanidi, & facultatum terrenarum jacturæ ad vos mœrore percellendos plùs valeant, quàm ad consolandos immensa vestri Conditoris opulentia, gloria, & majestas? Cúmque vehementiùs commoveamini tenuissimis quibusdam vestris malis, quàm infinitis quibuscunque illius bonis; jactare poteritis plùs illum à vobis, quàm vos ipsos amari? Ah non

bene conveniunt, imò nimiùm quantùm hæc duo invicem pugnant, amare toto animo aliquem, & vix ullo felicitatis illius sensu affici. Age, reflectamus hinc oculos, quò digniora nos invitant spectacula. En alios, qui exporrecta, & hilari fronte gestiunt, plaudunt, triumphant, beatos se vocitant. Hi, hi enim verò sapiunt: hi cælestem suum Patrem, quo par est, amore prosequuntur, de infinita illius beatitudine, & gloria secum ità exultantes. Heu! quid loquor? Imò hi minùs adhùc eum diligunt: cùm illius prorsus immemores non aliam charitatis suæ materiem, causámque habeant, nisi prosperos rerum terrenarum successus: hic ascensum ad altiorem dignitatis gradum, ille quæstuosam negotiationem, alius pinguis hæreditatis obventionem, aliíque alia ejusdem generis lucra. Ah sensus plùs nimiò à germana, & perfecta charitate abhorrentes. De hisce reculis adeò exultare, quòd ad se pertineant, nihílque interim voluptatis percipere de inæstimabilibus bonis, quæ divinam beatitatem constituunt: perinde quasi, quæ ad DEUM spectant, extranea, & aliena ei esse possint, qui amoris vi in unum quid cum ipso coaluit? Eja, hos etiam relinquamus, vertamúrque aliò quæsitum, qui justis-

si-

simæ hujus de incomparabilibus communis Domini prærogativis lætitiæ socios, atque adjutores nobis se præbeant. At quem invenire usquam possimus ad id præstandum nobis aptiorem. O immortales cæli Spiritus! qui jam *intrâstis in gaudium Domini*: in illud scilicet immensissimum gaudium, quo amato à vobis super omnia vestro Domino fruimini, quódque, cùm illius gaudium sit, nequit vestrum simul non esse. Vos maximè proprias divini affectûs formas nobis tradite. Vos insonate nostris auribus æterna illa cantica, quibus assiduè ipsum exprimitis. Vos Seraphico vestro amore supplete reliquum illud ulterioris flagrantiæ, quò carneis, terrenisque nostris cordibus pertingere haud licet.

7. Postremò, revocantes nostra gaudia ad primarium, æternúmque fontem. O DEUS! dicere poterimus, infinitè amabilis, imò mera, & infinita amabilitas, quantus voluptatis torrens in me exundat, dum te intueor tam potentem, tam glorioſum, tam divitem, tam beatum, augustissimum universitatis Rectorem, immensum omnis perfectionis pelagus, exaggeratissimam bonorum omnium summam? Quantùm mihi cor laxatur in pectore, dum mecum reputo, nihil posse tibi unquam fe-

felicitatis deesse: nullo te ente creato, &creata quævis entia te omnino indigere: unum te pleniſſimè tibi ipſi, & creatis rebus univerſis ſufficere: nihil poſſe ſive à mea, ſive à creata quavis mente concipi tam auguſtum, tam excellens, tam perfectum, tam grande, tam pulchrum; quin inſtar umbræ, inſtar atomi, inſtar nihili ſit ad tuum maximum, pulcherrimum, excellentiſſimum, & perfectiſſimum Eſſe? Quantum lætitiæ, & jucunditatis indè haurio, quòd, cùm tu neceſſariò, pérque tuam eſſentiam ſis omne bonum poſſibile; non ego duntaxat, ſed & quidquid præterea hominum, Angelorúmque eſt, ſervi prorſus tibi inutiles ſimus, utpote omnino impotes, non dicam tibi ſuperaddere, ſed vel deſiderare minimum quodvis intimæ perfectionis, gloriæque incrementum. Laudetur æterno omni ævo, & linguis omnium tam incomprehenſibilis excellentiæ author: túque æternùm linguis omnium lauderis, qui eam totam, utpote prima, & univerſalis omnium cauſa, non nisi à te ipſo habes. Immortales tibi gratias debeo, cùm pro eſſe hoc humano, quod per merè gratuitam bonitatem largitus mihi es, tum pro aliis præſtantiſſimis tot muneribus, quæ illi deinceps inexhauſta charitate perre-

xi-

xisti adjicere. Sed longè plus gratiarum debere me agnosco, fateórque, pro infinito, divinóque isto Esse, quod, si ità loqui fas est, tibi dedisti. *Gratias agimus tibi propter magnam gloriam tuam.* Hoc majori gaudio me cumulat, arctiúsque tibi obstringit, quàm quidquid munerum vel accipi, vel accipere à liberalitate tua possum. Non alia de causa te palàm videre in cælesti tua Regia desidero, quàm ut perspectiorem habeam infinitam beatitudinem tuam, pleniúsque de illa & mihi gaudeam, & tibi congratuler. Dilata mei animi sinum, quò fiat tam immensi affectûs capacior, & quodvis deinde aliud bonum mihi aufer: satis quippe ero de te, & in te uno beatus.

8. Hosce, aut similes sacræ sensus lætitiæ ab anima DEI amante iterari subinde par erit, tum fusiùs, & ex professo, dum meditationi ordinariæ vacat, tum raptim, atque obiter, dum diurnos inter actus ad DEUM erigit mentem. Sed maximè opportunum excitandis iis tempus fuerit, cùm ob casum aliquem suis rebus, & votis contrariũ, importuno mœrore se corripi sentit: ità ut malis, unde conflictatur, bona tunc objiciat tantò majora, quibus DEUS in essentia sua fruitur, gaudioque ex his redundante tristem illorum sensum vel re-

retundat, vel omnino etiam extinguat: quemadmodum in permagno nectaris vase duæ, tréfve absynthii guttæ suam amaritiem amittunt. Atque hæc profectò certissima est ars, serenam, & hilarem turbulentissimis quibusque temporibus, vitam ducendi: ars à D. Paulo Philippensibus tradita, dum iis scripsit: *Gaudete in Domino semper.* (*c.* 4.) Ubi, ùt animadvertit Chrysostomus, (*Hom.* 18. *ad Pop.*) *non simpliciter dixit, gaudete semper:* (id enim in vita hac ærumnosa impossibile visum esset) *sed addidit voluptatis causam, cùm dixerit: Gaudete in Domino semper. In Domino gaudens ex accidente nullo voluptate hac excidere potest. Alia quippe, in quibus gaudemus, mutabilia sunt, & transitu facilia.* Quapropter maximopere admirandum videtur, quòd, cùm homines lætitiæ avidissimi sint, neque eam alibi usquam ità plenam reperire, ùt in DEO, possint; ubique tamen potiùs, quàm in ipso illam quærant: confugientes, ubi quid molesti acciderit, ad solatia terrena, quæ neque in promptu semper sunt, nec medendo eorum dolori sufficiunt: sinè ulla interim recordatione illius summi, & communis boni: cujus immensam felicitatem si attenderent, amorisque vi efficerent sibi propriam; ex inexhausto illo fon-

fonte uberrimam poſſent in animos ſuos derivare ſinceriſſimi gaudii dulcedinem, ſuaviſſimóque illius guſtu ſenſum omnem adverſorum caſuum, & mœroris indè orti abolere.

9. Audiant, qui ejuſmodi ſunt, conſolationem à Seneca miſſam Polybio, fratris mortem lugenti: pudeátque, quòd infinita DEI beatitudo, atque gloria minùs valeat ad eos in quibuſque ærumnis ſolandos, quàm illo Philoſopho authore deberet terreni Principis potentia, & majeſtas valere ad quemcunque ex familiarium ipſius animis abſtergendum mœrorem. *Adjice nunc*, (ità Scriptor citatus) *quòd, cùm ſemper prædices, chariorem tibi tuo ſpiritu Cæſarem eſſe; fas tibi non eſt, ſalvo Cæſare de fortuna queri. Hoc incolumi, ſalvi tibi ſunt tui: nihil perdidiſti. Non tantùm ſiccos oculos tuos eſſe, ſed & lætos oportet. In hoc tibi omnia ſunt, hic pro omnibus eſt. Adversùs felicitatem tuam parùm gratus es, ſi quidquam hoc ſalvo tibi flere permittis.* O verba, quàm vaniloquo, & meram per aſſentationem ſcripta Liberto Claudii, ſtupidiſſimi Cæſaris; tam digna, ut quivis DEI ſervus ea ſibi inculcet: ceu illud etiam monitum, quod idem Seneca ibi attexit: quodque pro præſentis materiæ clauſula, & coronide cuilibet Chriſtianorum ob res adverſas mœ-

ſto

sto hìc subjicio, monens duntaxat, ut, ubi nominari audit Cæsarem, DEUM mente concipiat. *Attolle te, &, quoties lacrymæ suboriuntur oculis tuis, toties illos in Cæsarem dirige. Siccabuntur maximi, & clarissimi contemplatione numinis. Fulgor ejus illos, ut nihil aliud possint aspicere, præstringet, in se hærentes detinebit. Hic tibi cogitandus est, hic contra fortunam advocandus. Quamdiu numen tuum intueberis, nullum tristitia ad te inveniet accessum. Omnia in te Cæsar tenebit.* (*De Consol. ad Pol. c.* 26. *&* 31.)

CAPUT XXVI.

De incensa cupidine animæ DEUM amantis, ut suo Domino perfectè ab omnibus serviatur, & acri dolore ob injurias, quæ peccando eidem fiunt.

IN perfectissima DEI essentia nullam amor desiderii, aut doloris, sed purissimi tantùm gaudii materiam reperit. Cùm enim objectum desiderii sit bonum absens, & doloris malum præsens; quemadmodum nihil in Deo boni deest, nîl mali adest; sic nullam in ipso amans

amans anima desiderandi, aut dolendi reperit causam, sed omnia, quæ ibi intuetur, lætitiæ incitamentum ei sunt, nec nisi ad gaudendum eam provocant. At secùs se res habet in externa DEI gloria. Hæc siquidem, cùm neque unquam ei reddi ab hominibus possit, infinitè illius meritis minor; neque ab horum plerisque vel pro exiguo suarum virium modo reddatur, latissimum aperit campum tum desideriis eam in orbe terrarum usque, & usque ampliorem videndi; tum dolori de indignissimo prorsus neglectu, quo tam multi debitum hoc supremo Domino vectigal vel omnino pendere abnuunt, vel non nisi minima ex parte persolvunt. Quapropter idem ille amor, qui fideles DEI servos impellit ad exultandum de necessaria, immensáque illius beatitate in se ipso; incitamento quoque illis est tum desiderandi, ut cælestis suus Dominus ab omnibus quàm perfectissimè cognoscatur, observetur, diligatur; tum dolendi, quòd plurimi sinè ulla ipsius notitia, vel cura locò amoris, & cultûs, quem deberent ei reddere, nîl dubitent, quotidianis eum contumeliis per summum contemptum, ac proterviam lacessere. Neque hujusmodi affectus solius divini amoris sunt proprii. Qui-

cunque amat, fieri non potest, quin circa personam à se amatam eos sentiat, ac proinde tanquam suum spectet, quo illa afficitur, seu honorem, seu probrum. Atque hinc est illud studium, quo populi erga Principem suum bene affecti nituntur in præclara eum opinione apud exteros ponere: nec non indignatio, qua exardescunt, ubi eundem ludibrio haberi, & contemptim nominari audiunt. Hinc pia illa cujusque filii patrem amantis solicitudo, non modò ut ipsemet, qua par est, reverentiâ eum prosequatur, sed ut ab aliis quoque observari, & in honore esse apud omnes videat. Hinc demum sensus ii sunt, quos unusquisque nostrûm in se ipso experitur, tum voluptatis de charorum nobis capitum gloria, tum ægritudinis ob eorundem injurias: &, nè plura addam, hic amoris instinctus una ex causis fuit, quæ idololatriam induxêre in orbem terrarum: dum cupidi ad supremum gloriæ fastigium evehere seu filii suorum parentum, seu populi suorum Principum nomen; parùm habuerunt humanis eos honoribus colere, nisi etiam in Deorum album referrent, & publicè in templis adorandos proponerent.

2. Quam-

2. Quamvìs verò commune universis amoribus sit tale studium, nullus tamen ex aliis amoribus in eo ulteriùs processit, quàm amor divinus: non transiliendo ille quidem commentitiis titulis, & indebitis cultibus honoris legitimi modum; (quid enim esse ultra modum in honorando illo possit, cujus dignitas summos quosque honores infinita intercapedine excedit?) sed excitando jam desiderii, jam doloris affectus, quorum vim nullus assequi amor terrenus quovis suo conatu potuerit. Nam, ut à desideriis ordiamur, quisnam, rogo, inter homines tam solicitè expetiit, quæsivítque alterius adamati à se hominis gloriam; quàm enixè, instantérque laboratum est à fidelibus DEI servis, ut ubique terrarum cælestis sui Domini notitiam, amorem, & cultum proferrent? Hoc illud fuit studium, quod eos sæpe extra se quodammodo rapiebat, impellens, ut non modò universum genus humanum, sed & ipsas res sensu carentes, cælos, aquas, ventos, tempestates, sylvas, montésque provocarent ad communis Domini laudes, jam paræneticо Ananiæ, Azariæ, & Misaëlis hymno: *Benedicite omnia opera Domini Domino, laudate, & superexaltate eum in sæcula*; jam Davidicis vocibus: *Laudate eum*

sol, & luna, laudate eum omnes stellæ, & lumen. Laudate eum cæli cælorum, & aquæ omnes, quæ super cælos sunt, laudent nomen Domini: ignis, grando, nix, glacies, spiritus procellarum, montes, & omnes colles, ligna fructifera, & omnes cedri. (*Ps. 148.*) Hoc cujusvis sui commodi, imò & necessariæ refectionis, & aliarum rerum, quibus ad sui sustentationem apprimè natura indiget, curam iis, memoriámque subducebat, quoties alicujus animæ suâ operâ ad illius obsequium perducendæ se daret occasio. Hoc dies, & noctes occupatos habebat in pervestigandis, adhibendísque omne genus instrumentis, atque artibus, quibus possent vel prohibere ejus offensas, vel amplificare ejus cultum. Hoc per montium abrupta, per invias solitudines, pérque immensa maris æquora ad ultimas mundi oras trahebat, ut sanctissimi illius nominis cognitionem eò secum inferrent: nihil ab alacritate sua retardatos seu laboribus sanè gravissimis, quos tam longi cursûs individuos habebant comites, seu extremis periculis, à quibus ad singulos penè passus intercludi sibi iter videbant, seu diriſsimæ, ac multiplicis mortis terroribus, quam ad itineris metam appulsis assiduè minabatur efferata, & veri indocilis barbararum gentium immanitas.

tas. Hoc, postquam eos ab omni rerum sensibilium cura, & voluptate abstraxerat, ab ipsa etiam secreta DEI contemplatione, unica scilicet eorum requie, & terrena quodammodo beatitudine revellebat: efficiens, ut solicitè potiùs laborare pro illius gloria, quàm tranquillè frui illo vellent. Hæc denique occupatio fuit, cujus gratiâ se natos, factósque arbitrabantur: hoc præcipuum mortalis eorum exilii solamen: hic scopus, quò omnes eorum curæ, cogitationes, industriæ, laboréque collimabant: omnibus nempe viis, & modis eniti, ut, quantùm per ipsos fieri poterat, DEI notitia, obsequium, & amor magìs semper, magísque inter homines glisceret; ùt inprimis exemplo esse potest inclytus meus Pater B. Ignatius Loyola usque adeò tota mente, *ad majus DEI obsequium, ad majorem DEI gloriam intentus*, & propriæ instar tesseræ habens hujusmodi verba, ùt in constitutionibus, quas nostro Ordini scripsit, ea centies octogies octies sit legere. (*Nol. Comp. Vit. c. 19.*)

3. Quid porrò de illorum angore, & tristitia dicemus, si animadverterent, quàm exigua orbis pars DEUM rite agnoscat, quámque paucos in hac ipsa reperire sit, qui debi-

ta cum sedulitate, & observantia illi serviant: quàm multos è contrario, qui eum penitùs negligant, vilissimo cuivis bono posthabeant, &, quoties cæca animi libido suaserit, indignissimè offendant? Quisnam satìs valeat exprimere, quos indignationis, dolorísque æstus talis species in eorum animis excitaret: jam spiritum eis intercludens, ità ut nequirent loqui; jam exclamare usque ad cælum contra tantam perversitatem hominum cogens? En exempli gratiâ Mosen, virum cæteroqui *mitissimum super omnes homines, qui morabantur in terra*: (*Numer. 12.*) qui nihilominus visa detestabili injuria, quam populus DEO fecerat, illius locò vituli effigiem adorans, temperare sibi non potuit, quin sacro furoris œstro actus, ipsâsmet divinæ legis tabulas, tam indigno violatas facinore, abjecerit, confregerítque: (*Exod. 32.*) *Iratúsque valde, projecit de manu tabulas, & confregit eas ad radicem montis.* En Sacerdotem Heli, qui accepto de interfectis duobus filiis nuntio, audiénsque, Arcam DEI in potestatem hostium venisse, non aliter quàm lethali ictu confossus ad terram dejicitur: (*1. Reg. c. 4.*) *Cúmque ille nominásset Arcam Dei, cecidit de sella retrorsum, & fractis cervicibus mortuus est.* En sanctum Regem David, qui ægri-

tu-

tudine animi ex DEI offensis concepta, quasi tabe quadam penitùs se absumi, conficíque profitetur. *Zelus domûs tuæ comedit me, & opprobria exprobrantium tibi ceciderunt super me. Vidi prævaricantes, & tabescebam.* (*Ps. 68. & 118.*) En Eliam, qui *zelo zelatus pro Domino DEO exercituum,* quadringentos quinquaginta sacrilegos vates, digniores vitulis, & arietibus victimas, læso illius honori immolat. (*3. Reg. c.* 18.) En Esdram, qui, auditis populi sui adversùs divinam Legem sceleribus, præ doloris impetu vestes dilacerat, nec barbæ, & capillis parcit. (L. 1. *c.* 9.) *Cúmque audîssem sermonem istum, scidi pallium meum, & tunicam, & evelli capillos capitis mei, & barbæ, & sedi mœrens.* En postremò Ignatium Loyolam, qui, considerare aggressus horribiles tartarei carceris pœnas, ignem nempe illum, qui semper devorat, nec unquam absumit, & vermis inoccidui perpetuas rosiones, & stridorem dentium, & dæmonum immanitatem, & quidquid præterea sævi, ac perpessu asperi ille *tormentorum locus* ferali sinu suo claudit; nihil à se ibi reperiri atrocius testatur, nihil intolerabilius, nihil, quod plus horroris sibi incuteret, & plus cruciamenti allaturum, doloríque esset, quàm execrationes, & maledicta,

quibus sacrosanctum DEI Nomen eo loci configitur. (*Nolas. in Comp. Vit. c.* 19.)

4. Ah! cùm anima penitùs DEI amore succensa effrænem intuetur licentiam, qua illius leges palàm, & ubique violantur: cùm audit adeò irreverenter proferri, imò sacrilegis etiam vocibus lacerari illius augustissimũ Nomen; enim verò hujusmodi visus, auditúsque *fit*, ut Jeremiæ verbis utar, *fit in corde ejus, quasi ignis exæstuans, clausúsque in ossibus ejus: & deficit ferre non sustinens.* (*Vide c.* 20.) Ah! illa durare ultrà nequit. Transfigi quodammodo, & convelli sibi cor sentit. Vellet procurrere obturatum suis manibus ora illa blasphema. Vellet surda esse, atque cæca ad fœdissimas illas voces, ac species. Vellet toto effuso sanguine, & spiritu indignissimam illam peccandi licentiam compescere. Neque verò omittit, quandocunque res ferat, DEI causam suscipere, temerariis illius contemptoribus ex adverso se objicere, &, quantùm potest, conari, ut eos ad officium, & meliorem vitam reducat, *instans opportunè, importunè, arguens, obsecrans, increpans.* Sed cùm videat, non posse se vel præsentem ubique adesse, vel, quidquid conetur, obtinere: próque una DEI offensa, quam inhibuerit, innume-

ras

ras passim alias nullo obice satis retinente patrari; odisse vitam incipit, & vellet quàm primùm ex orbe tam iniquo abire: Mathathiæ Sacerdoti similis, quando, impatiens spectare ultrà sacrilegas superstitiones, à Rege Antiocho in DEI populum, ac templum invectas, mortem quasi unicum inconsolabilis suæ mœstitiæ remedium poscebat. *Væ mihi! ùt quid natus sum videre contritionem civitatis sanctæ? Ecce sancta nostra, & pulchritudo nostra, & claritas nostra desolata est, & coinquinaverunt ea gentes. Quò ergo nobis adhuc vivere?* (*L. 1. Mach. c. 2.*) Et cur agere diutiùs in his terris velim, ubi nullo in pretio est meus amor: ubi nihil penè aliud, nisi ejus contumelias, & offensas intueor? Ah mi Domine! itáne semper te visurus sum adeò contemptum, & vilissimis rerum creatarum postpositum? Et quid dignum vitæ nomine habet, inter tam invisa, & feralia objecta versari? Ah neutiquam vita, sed quædam mihi potiùs orci species videtur. *Tædet me vitæ meæ propter filias Heth.* (*Genes. c. 27.*) Nimis grave, & intolerandum, ô Domine! est morari tamdiu inter Hetheas hasce animas, inter progeniem adeò pravè insitam, adeò omnis erga te officii immemorem. Quandoquidem nullus malorum finis, nulla remedii

ſpes apparet; aufer me tandem è regione, à qua ego auferre perverſitatem ejus nequeo. Mors ſiquidem claudens mihi oculos, nè tuas ultrà injurias morte ipſa mihi acerbiores videdeam, erit te amanti vita quavis jucundior. *Melius, melius eſt nos mori, quàm videre malagentis noſtræ, & Sanctorum. Et nunc Domine! tolle, quæſo, animam meam: quia melior eſt mihi mors, quàm vita.* (L. 1. *Mach. c. 3. Jon. c. 4.*)

5. En itaque idoneam menſuram, qua unuſquiſque poſſit, quantum, & quouſque DEUM amet, dignoſcere. Examinet, quales in ſuo animo hi affectus ſint: &, ſi languidos fortè, ac remiſſos invenerit, talem quoque & ſimiliter languidum, remiſsúmque eſſe divinum ibi amorem pro certo habeat. Nam quomodo verè, ardentérque DEUM amare exiſtimandus ſit, qui ſolidos dies exigit, nihil prorſus cogitans de divinæ gloriæ incrementis, neque ullum circa ea vel tenuis deſiderii actum concipiens? Qui præ ignavo timore non utique nè immanes tyrannos in ſuum caput irritet, ſed nè aliquem ſuorum ſodalium moleſtiâ afficiat, vel importuni, & nimiùm religioſi hominis notam apud circumſtantes ſubeat; diſſimulat, nè hiſcere quidem contrà audens, quidquid ſe præſente adversùs DEI

legem, honorémque seu dicatur, seu fiat? Qui postremò de minima quavis sui honoris læsiuncula vehementissimè commoveri, & indignari solitus, tranquillo contrà, immotóque prorsus animo spectat graviſſimas injurias, quibus assiduè divina violatur majestas? Hoccíne est DEUM amare quasi alterum se, juxta leges veræ amicitiæ; imò plùs etiam, quàm se ipsum amare, juxta instinctum, ac leges charitatis Theologicæ? Ah longè aliter se gerit, qui penitùs, próque suo merito tantum Dominum amat. Ille, quoties occasio, vel prohibendæ ab eo injuriæ, vel lucrandæ alicujus animæ, vel alicujus operis pro ejus gloria suscipiendi se obtulerit; eam continuò utraque manu arripit, nihil secum deliberans, neque ullo pacto expendens, arduáne, an facTu facilis, anceps, an tuta privatis suis rationibus incommoda, an opportuna res sit. Ille, ubi læsus DEI honor sic postulat, nullo cujusquam seu gratiæ amittendæ, seu iræ contra se lacessendæ retardatur timore, quin, ceu magnus Christi Præcursor, disertũ, securúmque *non licet tibi*, auribus peccantium ingeminet. Ille suas ducit, quæ DEO inferuntur, injurias, suúmque adversarium, quicunque illi adversatur: neque, ut breviter dicam, divi-

vi-

vinas rationes à propriis ſecernit, nisi quòd multò majore illarum afficitur, quàm harum curâ, atque ſenſu. Et jure optimo quidem, ſi enim ſupremus ille Dominus in tantum ſervos ſuos amat, ut offendi ſe putet, quoties illi offenduntur, unde & Saulo eorum inſectatori dixit: *Quid me perſequeris?* & filiis Iſraël teſtatus eſt: *Qui vos tetigerit, tangit pupillam oculi mei:* (*Zachar. 2.*) manifeſtè hinc apparet, quàm conſentaneum rationi ſit, nè illius ſervi injurias ipſi factas, tanquam ad ſe minimè pertinentes, ſecuri tranſmittant; imò ut iis tantò etiam plùs commoveantur, quàm propriis; quantò & plùs ſe ipſis amare illum debent; & infinitè majus illi ineſſe, quàm ſibi honoris ab omnibus deferendi meritum vident.

6. Si ergo amari à nobis DEUM profitemur, quantùm & communia amicitiæ, & propria charitatis Theologicæ jura præſcribunt; haudquaquam negligendi nobis ſunt affectus intimè cum illius amore conjuncti, ſed exercendi modis omnibus, ac præcipuè hiſce quatuor, quorum praxim ſubjicio. Primus fuerit excire frequenter in animo tum quotidianæ meditationis tempore, tum aliàs per diem vehementes, ac vividos ſenſus jam deſiderii, ut DEUS ab omni humano genere, quan-

quantùm par est, honoretur, diligatúrque; jam doloris de tam communi inter homines illius irreverentia, & neglectu; unde incitabimur ad eum enixè obsecrandum, ut divinæ suæ gloriæ iis, quos opportuniores esse novit, modis consultum velit, & quidquid est hominum, ad sui cognitionem, amorémque efficaciter trahat: profitentes, id nos ab eo petere in singularis, maximique muneris loco, pro quo longè obstrictiores illi simus, quàm pro quovis alio beneficio privatim ad nos pertinente; cùm pluris nostra utilitate amplificationem illius gloriæ æstimemus. Quarum precationum usus familiarior nobis evadet, si, quoties ab eo flagitamus, ut suam cognitionem, suúmque amorem in nobis augeat; idem munus pro humano simul genere universo flagitare assuescamus.

7. Secunda eorundem affectuum praxis in eo consistet, ut nuntiato eventu aliquo, qui ad DEI gloriam conducat, exultemus, tanquam de singulari nostro emolumento, ejúsque authores peculiari amore complectamur, & plurimùm iis propterea nos existimemus debere: contrà verò, dum audimus referri, vel in historiis legimus sceleratum aliquod, & exosum DEO facinus, cohorrescamus, & mœ-

mœrore, nauseáque afficiamur : nunquam subridentes, dum ejusmodi facta narrantur, etiamsi jocularis aliqua ibi circumstantia, & lepidum parergon interveniret: cùm abominatio divinæ offensæ penitùs vehementi sensu occupare nos debeat, ut amœniores illas species advertere, iisque commoveri nequeamus. Quo in genere fidelis Christi Sponsa Maria Victoria Furnaria eò usque traditur processisse, (*Rho. Hist. Virt. L.* 1. *c.* 1.) ut, si fortè audiret, patratum esse aliquid sceleris, lugubri emisso suspirio repentè, quasi telo icta, seu veneno afflata humi corruerit. Quare hoc effectu observato cavebant Virgines sociæ, nè invisas id genus narrationes illius auribus unquam obtruderent. Eandémque cautionem, expediet, ut nos quoque adhibeamus erga nos ipsos : abstinentes nimirum à lectione cæteroqui non necessaria, nec utili librorum, in quibus cædes, injustitiæ, crudelitates, libidines, aliáque hujusmodi flagitia, indignissimæ scilicet DEI offensæ traduntur : nec modò ipsi non instituamus de abominandis, funestísque adeò objectis sermonem, verùm etiam conemur ab aliis fortè institutum ad meliorem, & gratiorem materiam traducere : eorum exemplo, qui, cùm meticulosi, & delicatioris animi

mi sint, perturbari admodum solent, si de ulcerum, & cadaverum fœditate, seu de nocturnis spectris, ac lemuribus verba fieri audiunt: nec commemorationem illam ferre auribus possunt, aut progredi patiuntur, sed confestim præcidere, & avertere modis omnibus studeant. Qua occasione continere me nequeo, quin justum animi mei sensum depromam contra nonnullorum perversitatem, qui accusaturi apud Sacerdotem Pœnitentiæ ministrum suam in loquendo obscœnitatem ridenti penè ore lætos se habuisse dicunt, déque amœnis, & jucundis rebus sermones. O loquendi rationem, non minùs præposteram, quàm si quis tenebras lucem vocaret! Res amœnæ, & jucundæ sacrilegi contra DEUM ausus? Læti sermones, qui circa diram adeò, execrabilémque materiam versantur? Enim verò, quisquis cæleſtem suum Patrem vel mediocriter cognoscit, ac diligit, memorans secum, quàm immanis injuria peccando illi fiat, usque adeò perhorrescere, ac detestari peccatum deberet, ut nè obscuram quidem illius mentionem fieri toleraret, juxta vetus institutum Persarum, apud quos, si Herodoto credimus, *nefas erat quidquam dicere, quod nefas esset facere.* (*Lib.* 1.)

8. At-

8. Atque hinc tertius consequitur exercitationis propositæ modus, ardens scilicet studium prohibendi, quantùm fieri potest, divinæ Majestatis offensas : quale in D. Paulo fuisse accepimus, tum ubique, tum præsertim Athenis, ubi continere se non poterat, sed *incitabatur spiritus ejus in eo, videns idololatriæ deditam civitatem*, (*Act. 17.*) cupiénsque quantocyùs cum inveteratis ibi superstitionibus manus conserere. Hæc igitur maximè assidua nostri pectoris cura hoc præcipuum esse munus debebit, pro DEI honore, atque gloria internecinum cum peccato illius hoste bellum gerere, detestabili ejus malitiæ ubique adversari, illúdque, quantùm in nobis est, ex orbe terrarum universo funditus extirpare : adeò ut nihil artis, industriæ, & conatûs, quod ad finem hunc faciat, prætermittamus, neque unquam in tam nobili urgendo proposito defatigemur : sed cum S. Ignatio Loyola totius vitæ nostræ labores quàm largissimè existimemus repensos, si eorum omnium sumptu vel unicam DEI offensam prohibuisse contigerit. (*Nolas. in Comp. V. S. Ign. c. 19.*) Quò spectat libertas objurgandi gravibus verbis cùm publica quævis delicta, tum ea inprimis, quæ apertiùs, & peculiari magìs ratione honorem DEI vio-

violant: cujusmodi est inter alia sacrosancto ejus nomine ad perjuria, & commoti, furentísque animi expressiones abuti. Nimis quippe indignum, & turpe esset, si, cùm tenebrarum filii palàm, & sinè ulla dissimulatione impiis dictis, atque factis DEUM ausint lacessere; ejus servi, & familiares non eadem libertate illis obviarent, sed timido, atque inerti silentio publicas ejus injurias transmitterent. Mutus naturâ erat Crœsi Regis filius, videns tamen occupata à Persis hostibus regia urbe, unum ex iis in Patris caput, quòd eum Regem esse nesciret, districto ense irruere; præ amoris impetu tantam linguæ vim fecit, ut abruptis illius retinaculis disertè exclamârit: Abstine miles, Regem Crœsum feris. (*Val. Max. L. 5. c. 4.*) Illustre DEI servis, atque filiis exemplum, non parcendi linguæ, & voci, ubi cælestem suum Patrem nefario insultu appeti viderint. Sed neque alia hoc ipso in genere desunt exempla: quorum è numero dignus videtur nominatim referri, & ad imitandum proponi Georgius Alvarus nostræ Societatis Sacerdos: *Operarius*, ut D. Pauli phrasi utar, (2. *ad Tim. c.* 2.) verè *inconfusibilis*, & in quem videbatur transîsse ille humano altior Apostolicæ fortitudinis spiritus, Ezechieli o-

lim Prophetæ à DEO infusus, quando illum Oratorem, nuntiúmque suum destinavit ad filios Israël, dicens: (*c. 3.*) *Ecce dedi faciem tuam valentiorem faciebus eorum, & frontem tuam duriorem frontibus eorum. Ut adamantem, & ùt silicem dedi faciem tuam. Nè timeas eos, neque metuas à facie eorum.* Tanta erat animi exaggeratio, agendíque libertas, & oris, ac vocis constantia, qua ubivis locorum, & apud cujuslibet conditionis homines tuebatur DEI causam, impios, & perduelles ad ejus obsequium non tam pelliciens, quàm cogens. Hinc si quos fortè in triviis dejerantes, aut execrantes audiret; jubebat eodem in vestigio genua flectere, & humum exoscular, eáque cum authoritate, ut nemo ferè obsequi detrectaret. Nec minùs securo, & confidenti animo, si in aleatorum circulos incidisset, medium se inferens, exigebat sibi tradi chartas lusorias, quibus damnosè adeò tempus, & pecuniam, nec rarò DEI quoque gratiam perdebant, ablatisque illis spoliis nequitiæ, lætus indè, & ovans abibat. Quin etiam ex obviis quempiam, tametsi cæterà sibi ignotum compellare interdum solebat: Heus, bone, inquiens, tempus est, ut reconcilieris cum DEO. Age, actutum me sequere, confessionem

onem tuam excepturum. Nec mora, ſecum hominem pertrahens, & adSacramentum rite ſuſcipiendũ componens poſt exomologeſim accuratè obitam, à peccatis ſolutum, & ad illa deinceps vitanda bene animatum dimittebat. Sed ſingulare, nec reticendum cum aliis, quæ brevitatis gratiâ prætermitto, eſt, quod illi cum Sacerdote opulento in Bœtica accidit. Probroſo hunc pellicatu non ſinè gravi ſui ordinis infamia, & urbis offenſione irretitum pluries jam vir Apoſtolicus de nefaria illa conſuetudine reſcindenda admonuerat. Sed animadvertens, molliora hæc media parùm ſuccedere, non ultrà precariò, ſed vi tandem agere ſtatuit. Domum itaque hominis nihil tale expectantis aliquando ingreſſus, nec paſſus ſe à famulis retineri, in ipſum irrupit conclave, ubi is tunc ſimul cum amica menſæ accumbebat. Quos ambos, cùm repentè ibi apparens gravi, & ſevera oratione increpâſſet, pro poteſtate pluſquam privati hominis imperavit mulieri, ut confeſtim aſſurgens è domo illa faceſſeret, ubi citra DEI injuriam morari haud poterat. Nec, quamvis Dominus, & familia ex adverſo fremerent, ac vim etiam pararent, inflectere viri conſtantiam valuerunt; quin urgere propoſitum, & ea-

dem jussa DEI nomine ingeminare nîl territus pergeret: quoad defixis stupore omnibus, nec obsistere ultrà ausis attonitam, & trementem fœminam præ se agens discessit. (*P. 5. Hist. Soc. L. 5. & Tanner in Soc. Eur. Elog. 40.*) Tantum & fiduciæ ad quidvis audendum, & efficacitatis ad obtinenda, quæcunque audeat, homini est, qui ardenter DEUM amat, majorémque ejus gloriam solicitè expetit. Contrà quàm accidere quibusdam aliis solet cautis, & prudentibus, ùt sibi esse ipsi videntur, sed revera ignavis, ac timidis, qui à stulta mundi sapientia excæcati, neque illa charitate succensi, quæ *foras mittit timorem*, vix quidquam pro DEI gloria operantur, quia nihil periculosi aggrediendum putant: non intelligentes, magnam virium hominis partem ad res arduas perficiendas in generosa earum aggressione consistere: tantóque DEI ministrum ab improbis plùs timeri; quantò ipse eos minùs timet, tantò patientiùs, & majori cum reverentia audiri, quantò plus sibi libertatis, confidentiæque ad reprehendendos eos sumit.

9. Quarto demum modo exercebimus idem divinæ amplioris gloriæ studium, si in familiaribus colloquiis, & quotidiana cum ho-

hominibus consuetudine, eos, qui nobiscum agunt, ad DEI æstimationem, reverentiam, & amorem excitare conemur: sæpe, & vivido cum animi sensu memorantes incomparabilem divinæ illius naturæ excellentiam, & merita planè infinita, ut ab omnibus ei serviatur, omnes eum summo in pretio habeant, & toto corde ament. Quemadmodum faciendum nobis præcipit Regius Propheta, (*Ps.* 95.) *Annuntiate inter gentes gloriam ejus, in omnibus populis mirabilia ejus:* & quemadmodum inter plurimos alios traduntur fecisse duo insignes DEI famuli: alter nempe senior Tobias, qui, cùm captivus apud Niniven degeret, divini honoris cura incitante, nè scilicet populares sui DEUM, ejúsque legem obliviscerentur; (*Tob. c. 1.*) *Pergebat ad omnes, qui erant in captivitate, & monita salutis dabat eis*; alter verò (ut recentius exemplum adducam) doctissimus superioris ævi Theologus Thomas Sanchez, in cujus mortui schedis præter complures alias virtutis leges ab eo sibi vivente præscriptas, hæc itèm reperta est: *Dabo operam, ut in omni conversatione mea de* DEO *aliquid loquar: neque hoc tantùm cum domesticis, sed etiam cum externis, ut ii aliquid de divinis à me acceptum domum referant.* (*Crom. L. 2. de*

Stud. Perf. c. 32.) Verùm has, similésque alias praxes suus unicuique erga DEUM amor meliùs suggerit, qui si desit, parvo usui est externa institutio: ast ubi in anima viget, eam cessare non patitur, sed acutissimi stimuli instar ad quasvis divinæ gloriæ procurandæ artes, & solerter inveniendas, & strenuè usurpandas impellit.

CAPUT XXVII.

De summo dolore, quo anima DEI amatrix conficitur, dum sua adversùs eum malefacta recogitat.

AT quid dicemus de sensu, quem amor divinus in anima excitare consuevit, cùm in memoriam ei revocat, quàm indignè ipsa quoque cum cælesti suo Domino egerit: impudentissimam nimirum audaciam, quo toties illius leges violarit, ab illius imperio defecit, illius amicitiæ nuntium remisit, eum flocci fecit, & vel infimo cuivis bono posthabuit? Quantum horroris, hæc secum reputans, concipit? Quantum sibi ipsi de tam incredibi-

li

li temeritate sua irascitur? Quantum obstupescit, quòd ità omne jus, & fas oblivisci, ità prorsus desciscere à bona mente, & ratione potuerit? Quo angore cor sibi præfocari, qua verecundia os confundi experitur? Quis ejus pœnitentiam, ejus lacrymas, ejus gemitus sat possit exprimere? Hic certè est dolor, omnem alium exuperans: hoc malum, præ quo aliud quodvis ei lusus videtur. Si aliquem lamentari, & lugere ob rei familiaris, vel terreni alterius boni jacturam videat; ah querelas, luctúsque, ait, rationis expertes! Tantillúmne igitur mali tantam afferre animo ægritudinem valeat? Mihi, mihi isthæc lamenta, mihi istos luctus relinqui par est, cui tantò justiùs conveniunt. Nescit, quò solatii causâ se vertat. Quascunque res creatas aspexerit, omnes illi videntur adversùm se iratæ, omnes sui conspectum aversari, omnes ultionem de se poscere, omnes sua sibi exprobrare flagitia, infestis vocibus clamitantes: en portentum malitiæ! en cæli, terræque odium! en communi omnium Domino perfidam, contumelioſam, rebellem! Quid plura? DEUS ipse, qui aliàs unica erat ipsius gaudii materies, unicum ærumnarum, ac mœrorum solamen; objectum nunc est, quod

plùs omnibus cæteris, imò unum ex omnibus eam discruciat, *replet amaritudinibus, inebriat absynthio, circumdat felle, & labore, ponit desolatam, tota die mœrore confectam.* (*Thr. Jer. c. 1. & 3.*) In summa, hæc recordatio cordi ejus est, quasi ignis, illud absumens, quasi mucro illud transverberans, quasi malleus assiduis illud, & gravissimis ictibus conterens.

2. Et revera nimis, quàm justa illi ratio est sic dolendi: imò quantumcunque intendatur, & fiat *magna, velut mare, contritio ejus*; nunquam esse talis poterit, quin sinè ulla comparatione majorem mereatur vel unica DEI offensa. Cùm enim ratio exigat, ut tantò vehementior sit admissorum criminum dolor, quantò major est eorundem improbitas, & tantò hæc semper major sit; quantò amplior illius, contra quem committuntur, dignitas est; planissimè apparet, neque crimini secundùm malitiam infinito ullum parem esse, qui finitus sit dolor; neque minorem infinita esse posse malitiam criminis, quo Dominus infinitæ dignitatis offenditur. At nónne talis est DEUS, quem peccando nos offendimus? Metiamur, age, quantùm curto, ac debili nostro intellectui fas est, singulare, admirandúmque illius esse: Esse sinè causa, à qua procrea-

creatum sit: sinè principio, in quo cœperit: sinè termino, in quo possit desinere. Esse, quod spirituali, & indivisa sua magnitudine creata quævis spatia transgreditur, in simplicissima sua unitate possibilia quævis bona instar unius colligit: necessaria, & nunquam non præsenti sua scientia, quidquid veri est, supercomprehendit: Esse prorsus nescium sive incrementi, quia possidet, quæcunque desiderari possunt; sive diminutionis, quia nihil possidet, quod non idem omnino secum sit: Esse non modò optimum, sed & ipsamet bonitas: non modò pulcherrimum, sed & ipsamet pulchritudo: non modò perfectissimum, sed & ipsamet omnifaria perfectio: Esse, quod primum principium, ac supremus omnium extra se existentium est finis, omniáque illa tam plenè, & absolutè subjecta sibi habet, ut sinè ipsius nutu subsistere, ac moveri penitùs nequeant; Esse postremò, omnem adeò mensuram, & normam excedens, ut tota hæc mundi moles ex tam multis, támque eximiis, & variis naturis coagmentata, non plùs, quàm infinita pars illius magnitudinis, non plùs, quàm exilis, rudísque umbra illius perfectionis, & pulchritudinis sit: longè minor præ illo, & contemptior, quàm præ ipsa existi-

mari pulveris granum, vel atomus queat: unde ipsam in obsequium, horrorémque illius omnino dissolvi multò minus quid foret, quàm pro universæ ipsius emolumento atomum, vel pulviſculum destrui. Quidnam, quæso, de tanto Domino dicimus? Quidnam de incomparabili adeò majestate nobis videtur? Ulláne tam profunda veneratio, ulláne tam humilis servitus exhiberi à nobis ei potest, quin jure optimo illi debeatur, imò etiam longissimè infra illius meritum sit? Nihil sanè præ infinitate hujus esset, omne nostrum ævum, quavis alia occupatione dimissa, in eo jugiter à manè usque ad vesperum adorando consumere, nihil vitam pro eo millies profundere, nihil honoris ejus gratiâ usquequaque absumi, & in nihilum redigi.

3. Adde jam huic infinito excellentiæ merito alterum, longè quoque humana omni æstimatione superius, incomparabilem scilicet illius bonitatem, quæ ex ultroneo communicandi se instinctu amoris significationes erga nos edidit prorsus inauditas, à nullo unquam homine alteri exhibitas, quásque non modò nunquam nobis veniſſet in mentem ab eo postulare; sed neque credidissemus possibiles. Siquidem, ut omittam in præsens nati-

tivum noſtrum Eſſe, liberalitate penitùs gratuita ab eo nobis donatum, neque ſemel duntaxat donatum, ſed toties, quot ſunt momenta, in quibus conſervare, hoc eſt rurſus, atque rurſus nobis impertiri illud pergit: ut hoc, inquam, excellentiſſimum quidem, ſed naturale beneficium ſileam, dignatus eſt præterea nos humiles terræ filios è ſervili noſtra conditione ad eminentiſſimam ſuorum amicorum dignitatem evehere, in filios adoptare. ínque ſui regni, ſuæ gloriæ, & ſuæ beatitudinis hæreditatem adſciſcere. Imò, ut tam ſingularium ſuorum munerũ poſſeſſionem primi parentis ſcelere amiſſam nobis recuperaret; non dubitavit, tantus ille DEUS noſtram mortalitatem induere, quod noſtri gratiâ humanum corpus aſſumpſerat, ineffabili ratione nobis edendum præbere, ínque crucis patibulo ignominioſiſſimam juxta, & diriſſimam pro ſalute noſtra necem ſubire: Charitatis prodigia, quæ ſi maximam mererentur admirationem, nullámque non à nobis grati animi vicem exigerent, vel à mortali quavis perſona erga nos edita; quàm ſupra omnem admirationem videri debent, & quantò majorem mutui amoris, atque officii exigendi vim habent ab infinitæ magnitudinis, potentiæ, &

ma-

majestatis authore patrata? En igitur qualis, & quantâ dignus reverentia, tum propter exuperantissimam incomprehensibilis suæ essentiæ altitudinem, tum propter immensam prodigiosissimi sui amoris, & ineffabilis beneficentiæ suæ largitatem sit DEUS. Et tamen hunc naturâ adeò sublimem, tantæque erga nos benignitatis Dominum, cui æterna obligatione in extremum quodque obsequium eramus devincti, nec ulla erat servitus, ulla veneratio, ullum honoris, observantiæque, & cultûs vectigal, quo vel minimam ipsius meritorum, nostræque ipsi debitæ subjectionis partem adæquare possemus; nos lutei homunciones, infimíque ejus servuli contra omnia officii, æquitatis, fidei, naturæque jura ausi sumus irritare, offendere, contumeliis afficere: neque id fortuito, pérque imprudentiam, sed omnino advertentes, cúmque certo, ac deliberato voluntatis proposito: neque semel tantùm, aut bis, sed toties, ut numerum supputando inire non liceat. Quis, rogo, usquam alibi portentosam adeò, incredibilémque malitiam audivit? Aut quis summam ejus perversitatem satìs mente assequi, & detestari pro merito queat? Nemo certè hominum, quando eorum itèm nemo est, qui in-

infinitam DEI indè offenſi dignitatem ſatìs intelligat. Quemadmodum hæc humanam omnem æſtimationem tranſcendit; ſic omni etiam noſtrarum mentium æſtimatione ſuperior, nec ulli pro merito ſuo deteſtabilis divinæ offenſæ indignitas eſt.

4. At ſi graviſſima DEI offenſi dignitatem ſpectantibus noſtrorum criminum apparet malitia; ſaltèm ſpectata injuriæ qualitate exiſtimari poterit. Minimè verò, quin potiùs nova hinc accedit ad intuendam ipſius gravitatem ratio, manifeſtus nimirum, & indigniſſimus DEI contemptus, qui in quovis lethali crimine includitur. Cùm, quiſquis eorum quodpiam committit, præterquam quod juſtiſſimas ſupremi Dominì leges, neglecta illius authoritate, indignatione, & vindicandi potentia tranſgreditur; oſtendat flocci ſe illius amicitiam facere, nihil ſcilicet penſi habens hac excidere, dummodo ſuæ cupiditati indulgeat, & vili quapiam re terrena fruatur. Quod eſt ipſum infinitum bonum, rerúmque omnium Conditorem illi rei poſthabere, & implicitè, atque æquivalenter dicere: video, Domine, à tua me amicitia, gratiáque dejectum iri, ſi huic cupiditati meæ obſequar. Sed parùm id refert: ſatiùs duco, ge-

genium explere, quàm à te in amicorum numero haberi. Si tuum istud munus nequit cum peccato componi, habeas sanè tibi illud, aliisque impertiendum servato. Nam, quantùm ad me attinet, non tanti illud æstimo, ut ejus causâ abstinendum mihi à peccati voluptatibus putem. Nemo certè non videt, quàm enormis, divinæque majestati injurius contemptus hujusmodi sit. Sed, quò adhuc clarior illius indignitas fiat, potentissimum esse Regem fingamus, nec imperii magis gloriâ, quàm formæ elegantiâ, morum suavitate, aliisque cùm corporis, tum animi prærogativis spectabilem, qui rusticanam puellam sibi matrimonio jungat, regalique diademate insigniat, à cunctis aulæ proceribus coli instar sui jubeat, nullisque non amoris intimi officiis prosequatur. Quid verò illam? Illam in gradu felicitatis constitutam, ad quem se aspiraturam nè per somnium quidem imaginata unquam fuisset, utpote ampliſſimi imperii reginam, & sponso conjunctam, quo nobiliorem alium, magisque vel amabilem, vel sui amantem reperire nusquam toto orbe terrarum posset; (mirum dictu!) adjicere oculos ad infimum quempiam è stabuli regii agasonibus, homuncionem omni ex parte abjectissimum,

mum, pannosum, illuvie obsitum, graveolentem, fœdis coopertum ulceribus, juxtáque mentis fatuitate, & stupore, ac vultûs, corporísque totius deformitate insignem, quem nemo propterea, nedum sua familiaritate, & amicitia dignetur, sed nec intueri obiter citra nauseam, & fastidium queat: ad hoc, inquam, vilissimum caput adjicere oculos, tantóque illius amore corripi, ut augusti sui sponsi, omniúmque illius decorum, & suæ ob ejus connubium tam sublimis fortunæ in totum oblita, pactam ipsi conjugalis thori fidem abrumpat, suas ipsum sibi habere res jubeat, & cum despicatissimo illo, séque digno amasio fugam capessat, malens cum hoc in squalentis gurgustii sordibus, quàm in regalis suæ aulæ magnificentia, & splendore vitam exigere. Quæro jam, si hujusmodi facinus, quod extra omnem veri similitudinem ad insolentissimæ, & incredibilis rei exemplum commenti sumus, patrari re ipsa contingeret, nónne pro inaudito quodam perfidiæ portento haberetur? Nonne omnes sponsam illam ob flagitium tam immane execrarentur, & inter ultima humanæ improbitatis exempla reponendam censerent? Nónne Rex sponsus præter omnem modum, & morem se ab

ea

ea læsum clamaret ? Nónne justissimas excandescendi de tanto ejus scelere causas haberet? Quid enim ? Itáne benignitati meæ respondetur ? Itáne mea dignitas, & persona pro nihilo ducitur ? En cui posthabeor ? En præ quo deseror ? Quis unquam id futurum, non dicam credere, sed vel suspicari potuisset ? Ah detestabile ingrati animi, & infidelitatis monstrum ! Cùm sexcentas eligere mihi possem multò digniores sponsas amoris exemplo, quod orbem universum sui admiratione complevit, te ignobilem ruris alumnam iis omnibus prætuli, éque gentilitii tui luti humilitate ad mei thalami, solíque consortium evexi : adeò ut omnes tuam admirarentur sortem, téque fortunatissimam fæminarum vocarent. Tu autem pro eo ut idem sentires, tantámque, & meam erga te benevolentiam, & tuam indè felicitatem admireris ; me fastidio habes, me refugis, me postponis : & cuinam, proh DEUM immortalem ! Alteríne cuipiam Regi ? Alicuíne ex primariis mei regni proceribus ? Pudor est vel cogitare, nedum proloqui. Postponis me mortalium postremo, stabuli purgamento, vulgi propudio, vilitatis, & turpitudinis fœtui. Ah nulla est indignatio, nulla ultio, atque pœna tan-

tanto facinori par. His ille tunc verbis conceptos animo iræ, ac doloris sensus declararet: neque ullus profectò esset, quin cum eo faceret, quin justissimè illum ità commoveri, & uxorem, à qua læsus tam turpiter fuerat, mille mortibus dignam censeret. Atqui talis res nostra est, nisi quod infinitè magis infra DEUM est qualecunque bonum creatum, quod nos peccando illi anteferimus; quàm infra potentissimum, nobilissimúmque illum Regem esset mediastinus à fœdifraga uxore ei prælatus. Quare, si gravissimam illi injuriam hæc faceret, posthabendo illum tali æmulo; quantò gravior, intolerabiliórque illa est dicenda, quam peccans DEO facit, dum eum creato bono postponit, nîl dubitans, dummodo hoc fruatur, initum cum eo amicitiæ fœdus violare, ipsíque summo, & infinito bonorum omnium bono nuntium remittere? *Quis audivit talia horribilia, quæ fecit nimis virgo Israël? Obstupescite cæli super hoc, & portæ ejus desolamini vehementer. Numquid parva est fornicatio tua? in quo mundabo cor tuum, ait Dominus DEUS.* (*Jer. c. 18. & 2. Ezech. c. 16.*)

5. Nîl esse videtur, quò ulteriùs progredi injuriæ hujus gravitas queat. Et tamen circumstantiæ loci, temporis, instrumentorum,

& causarum totidem novi ponderis quasi infinitates ei superaddunt, ut, si possibile id foret, plùs etiam, quàm infinitè execrabilem reddant. Nam ordiendo considerationem à loco: ubinam peccans ità offendit suum Dominum? Nempe sub ipsismet illius oculis impudentia profectò, & temeritate omnino intolerabili, nec ab ullo homine præseferri solita in agendo contra sui principis leges. Has enim si quis violare in mente habeat, locum semper quærit, in quo cerni ab eo minimè possit, neque tam protervi unquam animi est, ut coram ipso id facere audeat: cùm tamen peccans, esto compertissimum habeat, ubivis se locorum à DEO ibi præsente observari, & videri; nîl vereatur contra illius jussa sub ipso illius conspectu agere. Quid deinde? quonam tempore id facit? Nimirum eo ipso, quo DEUS paterna benignitate, & providentia sustentare illum pergit, nè in nihilum recidat: tanquam si filius, dum parens sibi blanditur, séque amplexatur, & pectori amanter adstringit, illius vultum conspueret. Perge porrò, quibus instrumentis ad facinus ejusmodi utitur? Quibus tandem, nisi oculis, manibus, linguâ, intellectu, voluntate, opibus, valetudine? At hosce oculos, has manus, hanc lin-

linguam, hunc intellectum, hanc voluntatem, has opes, hanc valetudinem, undenam, nisi ex gratuito DEI munere habet? Et parum prægravari largitoris tam benevoli injurias hinc dixerimus, quòd per ſuamet dona ipſi fiant? Quidnam nobis videretur de milite, cui Rex gemmatum magni pretii enſem in monumentum ſui amoris dediſſet, ſi hunc ille vix acceptum in donantis jugulum verteret? Nónne illum abominaremur, ceu novum quoddam plùs quàm barbaræ, imò & plùs quàm ferinæ immanitatis prodigium? Itáne ergo beneficiis abuti? Itáne obligationi ſuæ ſatisfacere? ſi vulnera pro muneribus placebat reddere, alio ſaltèm enſe uſus eſſet. Nimis inhumanum eſt amorem odio rependere: quantò inhumanius miniſtram odii facere ipſammet materiem amoris? Sed enim pejus adhuc aliquid, magiſque deteſtandum in noſtra re occurrit. Peccans ſiquidem in DEI offenſam convertit non facultates tantùm animæ, & corporis ab illius liberalitate acceptas; ſed ipſam quoque DEI ſecum agentis virtutem, cujus auxilio operatur, & ſinè qua operari nîl poſſet: cogens eum ità concurrere pro ſua parte ad eas ipſas actiones, quibus offenditur; ceu ſi memoratus ſuprà miles do-

natum à Rege sibi ensem illius dexteræ insereret, & hanc ità armatam violento impulsu contra ejusdem jugulum ageret : adeò ut is non suo tantùm ferro, sed sua etiam manu cogeretur sibi vulnus infligere. De qua immanitate, nunquam contra homines usurpari solita, sed adversùs se toties instaurata, quoties peccatur, merito apud Isaiam queritur DEUS, amarè exprobrans impio, (*c.* 43.) *Servire me fecisti in peccatis tuis, præbuisti mihi laborem in iniquitatibus tuis.* Postremò, quænam sunt causæ, cur offenditur DEUS ? Num graviſſimi alicujus mali, putà subeundæ mortis timor ; vel oblata acquirendi regni amplissimi spes ? Si etiam tam valida eum offendendi incitamenta essent, infinita nihilominus offensæ illius indignitas foret. Cùm enim nullum bonum creatum tanti pretii esse possit, quin à DEO infinitè excedatur, nullum quoque ipsi potest absque infinita ipsius injuria præferri. Quidnam ergo dicendum erit, quando (ceu plerumque usuvenit) bona ei præferuntur, non solùm præ ipso infinitæ magnitudinis bono, sed præ aliis etiam finibus,& mortalibus bonis exigua, plebeja, infimi pretii, paucorum nempe numorum quæstus, imaginarii honoris vapor, vulgaris homuncu-

culi gratia, turpis, ſupervacua, & temporis momento evaneſcens voluptas: adeò ut nullo non die iterare poſſit, quas per Ezechielem graviſſimas olim fudit querelas, (*c.* 13.) *Violabant me propter pugillum hordei, & fragmen panis.* O magne! ô ſumme! ô infinite univerſitatis totius Dominator! huccíne igitur inæſtimabilem tuorum meritorum, excelſiſſimæq; Majeſtatis tuæ contemptus progreditur, ut nîl penſi homines habeant te tantum DEUM vel leviſſimis, ac viliſſimis quibuſque de cauſis offendere? Et ferunt id Angeli? Nec in fulmina cælum abit contra tantæ authores injuriæ? Nec rerum omnium creatarum univerſitas in tui honoris indignè adeò violati ultionem conjurat? Quid exhorreſcimus de æternis ſub orco peccantium ſuppliciis? Exhorreſcamus potiùs de incredibili eorundem in terris adversùs DEUM protervia, & audacia. Nec ipſe orcus, & tota illius cruciatuum æternitas ſufficit hujuſmodi malitiæ pro merito ſuo puniendæ.

6. Cùm ergo capitale quodvis crimen injuria DEI optimi maximi ſit, nec qualiſcunque illa quidem, ſed, prout vidimus; omni ex parte graviſſima, cúmque hinc legitimam nos ducere oporteat tum malitiæ, quæ in illo

continetur, tum abominationis, quæ illi debetur, menſuram; quonam pacto fieri poteſt, ut, qui infinitam DEI amabilitatem probè intelligit, eúmque quibuſcunq; aliis bonis plùs amat; memoriâ ſecum repetens, quoties tam indignè illum læſerit, hanc ſuam temeritatem non perhorreſcat, non totus indignatione, & verecundiâ æſtuet, non intimo diſrumpatur dolore, non ſe ipſum deteſtetur, atque oderit? De Adraſto Midæ nepote ſcriptum accepimus, (*Herod. L. 1.*) cùm venationi dans operam Crœſi hoſpitis ſui filium miſſo in feram telo occidiſſet, ægre adeò infelicem caſum tuliſſe, ut illata ſibi ultro nece eam ultus ſit, quam imprudens alteri intulerat: quem imitatus Romanus ille miles, qui in bellis civilibus interfectum à ſe adverſæ partis militem ſpolians, detractáque exanimi galeâ fratrem ſuum eſſe comperiens; atrocis ſpectaculi horrore confuſus, ſuperſtes illi eſſe noluit, ſed ferrum fraterno adhuc calens cruore ſua penitùs in viſcera demerſit. (*Val. Max. L. 5. c. 5*) Nec majorem vim habebit excitandi doloris in homine, qui DEUM quovis hoſpite, & fratre plùs amet, tot injuriarum conſcientia, quibus eum non fortuitò, pérque errorem, ſed ſciens ultro, & volens

lens affecit? Mirum dictu est, quod de homicida quodam memini olim me legisse. (*Solt. in dir. L. 3. c. 4. Sect. 5.*) Impia pueri cæde hic manus polluerat, non tamen impunè: cæsi quippe umbra noctes, diésque obversari illius oculis videbatur, irata, & flebili voce ingeminans: *Quare me occidisti?* Nihil non tentatum à misero est, quò ferale spectrum à se abigeret. Ludis, conviviis, spectaculis, aliísque id genus oblectamentis avocare animum institit. Nequidquam: Vindex ubique aderat larva. Ad divinam justitiam jejuniis, aliísque corporis castigationibus placandam se vertit. Sed, ut aliarum veniam pœnarum impetrare potuerit, hujus certè non potuit. Ad Monachorum cœnobium, & religiosæ vitæ professionem tanquam ad extremum quietis asylum confugit. Sed neque ibi à funesta illa imagine, odiosáque increpatione pacato esse licuit. Quoad demum, tam assiduam, molestámque insectationem ferre ultrà non sustinens, ad judicum tribunal accusator idem, reúsque adiit, & patratam à se olim cædem rite confessus, homicidarum pœnâ semel defungi, quàm perpetuò discruciari maluit. Si ergo sui ille homicidii exprobrationem morte ipsa acerbiorem putavit; quonam afficietur sen-

ſu, qui ex toto corde amat DEUM, ubi illum, talem ſuum Patrem, ac Dominum ſibi repræſentet, toties juxta phraſim Apoſtoli à ſe crucifixum, quoties grave in eum crimen admiſit; *rurſus ſibimet ipſi crucifigens Filium Dei:* (*Ad Hebr.* 6.) ſimúlque exprobrantem ſibi audiat: *Quare me occidiſti?* Cur ea patrâſti maleficia, quæ crucis ſupplicio mihi fuerunt luenda? Quæ ratio te impulit, ut tam perfidus, impiúſque adversùm me eſſes, ut tot contumeliis me afficeres, ut toties mortis mihi cauſam præberes? Prome, age, ſi quid habes, quòd huic valeas interrogationi reponere: *Quare me occidiſti?*

7. Ah! graviſſimum, intolerandúmque hoc *quare* audiens, tanto ſui, & ſuæ ſerò cognitæ improbitatis pudore obruitur, ut non audeat os ad cælum tollere, nec ſuum, quem indignè adeò læſit, Dominum intueri, imò neque ad ullam ex rebus creatis oculos flectere, omnes illas in ſupremo ſuo Conditore à ſe offenſas, ſibíque iratas exiſtimans, ſed humi provolutus ſecum repetit: *Confuſio operuit faciem meam. Non ſum dignus videre altitudinem cæli præ multitudine iniquitatum mearum.* Ah! dolorem indè concipit tam acutum, támque acerbum, ut, ſi tolerare in præſens cogeretur,

tur, quidquid extremorum cruciatuum infligi humano corpori potest; ex nulla eorum atrocitate tantum hauriret tristitiæ, quantum vel ex uno haurit crimine, quo se graviter DEUM offendisse meminit, tanquam de malo extrinsecùs saltèm divino, quódque hac de causa aliis ille omnibus, quà suis, quà cæterorum hominum malis longè horribilius, magísque aversandum, & lugendum existimat. Atque hinc fit, ut quovis bono arbitretur se indignum; indignum, quem terra sustineat, indignum, à quo aër attrahi se sinat, indignum, cui sol suam lucem impertiat, indignum, cujus præsentiam, & consuetudinem homines ferant, nec potiùs cum nausea, & abominatione procul à se abigant, veluti pestifera lue infectum, veluti proditorem, parricidam, & alio quovis extremo dedecore infamem, veluti orco emissum sub imagine hominis dæmonem: contrà verò fateatur, nihil non sibi despectûs, nihil non contumeliarum, & opprobriorum deberi: neque idcirco tanquam de illata sibi injuria expostulare unquam audet, tametsi obviorum quisque fœdissimis eum conviciis oneret, imò etiam conspuat, ac pedibus proculcet: sed inter hæc, atque alia similia probra mitiùs secum agi,

quàm pro improbitate ſua, putet, dicens intrà ſe ipſum: & quidnam hæc ſunt ad ea, quæ meis facinoribus merui? Alia, alia gravioris multò infamiæ opprobria, & dedecora ei convenirent, qui læſæ Majeſtatis divinæ reus eſt, nec parvum æſtimare lucrum debet, quòd non jam dudum inter orci mancipia ſub dæmonum pedibus ſit. *Peccavi, & verè deliqui, & , ut eram dignus , non recepi.* (*Job. 33.*) Hinc etiam fit, ut ipſiſmet brutis, & ratione vacuis rebus ſe ſubjiciat, tanquam divinæ à ſe irritatæ juſtitiæ adminiſtris, humilíque cum patientia excipiat, quidquid ſibi moleſtiæ, & incommodi ab iis inferatur, ut v. g. ſi imbres ſe humectent, ſi aër nimio æſtu, vel frigore affligat, ſi culices, muſcæ, aliæque id genus beſtiolæ importunis morſibus vellicent: omnes earum infeſtationes pro juſtiſſimis habens, dicénſque illis, jure quidem, ô elementa, atque animalia eum inſectamini, qui tam indignè maximum veſtrum Conditorem, ac Dominum læſit. Laudo veſtram hanc in illius vindicandis injuriis fidelitatem, juſtóque ab exemplo diſcam ego quoque, non inultum ſinere hoc ei rebelle, ac perfidum caput. *Iram Domini portabo, quoniam peccavi ei.* (*Mich. c. 7.*) Hinc demum provenit, ut novum quemdam ſpi-

ſpiritum ſancti adversùm ſe odii concipiat: intuens ſe ipſum tanquam contumelioſum, & perduellem cæleſti ſuo Domino, ac proinde tanquam hoſtem, cui nunquam placari, neque indulgere debeat, ſed potiùs in omnibus contradicere, & ubique adverſari.

8. Teſtis prædictorum ſenſuum ſit ſanctus Rex David, nullum finem faciens reſpiciendi, & deflendi injurias divinæ Majeſtati peccando à ſe illatas, ut Pſalmo 50. ſcripſerit: *Peccatum meum contra me eſt ſemper*, & alibi profiteatur, (*Pſ. 6.*) *Lavabo per ſingulas noctes lectum meum, lacrymis meis ſtratum meum rigabo.* Teſtis B. Franciſcus Borgia, (*Cepar. in Comp. vit.*) ſolitus duabus quotidie horis coram DEO, & creatis rebus omnibus ſuorum criminum causâ ſe deprimere. Qua ex praxi eam vilitatis ſuæ ſpeciem mente hauſerat, & aſſiduè præſentem retinebat, ut nihil tam incommodi, abjectíque ſibi contingeret, quin meliùs, quàm pro ſuo merito ſecum agi putaret, uti non ſemel palàm fecit; & tunc præſertim, cùm nocte quadam à cubiculi ſocio, tuſſi laborante, séque per tenebras excreare aliorſum cenſente, ſputis fœdè coopertus, eidem ubi rem manè animadvertit, pudore confuſo, nocturnæque imprudentiæ

ve-

veniam poſcenti, bono ſis animo, inquit: nullus quippe toto in conclavi angulus erat me vilior, quíque haſce ſordes poſſet convenientiùs excipere. Teſtis, famoſa priùs flagitiis, mox pœnitentiâ flagitiorum Thais: (*Ap. Rodr. 1. p. tr. 5. c. 19.*) quæ priſtinam conſcientiæ ſuæ fœditatem cum altiſſima animi demiſſione recogitans, nunquam auſa eſt, quamdiu poſt converſionem vixit, ſanctiſſimũ DEI nomen ore proferre, aliáve interorandum, nisì hac precationis formula uti: *Qui me plaſmâſti, miſerere mei.* Teſtis ille alter apud Cantipratanum, (*L. 2. Ap. c. 51. p. 7.*) qui poſt vitam diu malè actam tanta cum illius deteſtatione ad ſacram exomologeſim acceſſit, ut audiens à Confeſſario ſeptem ſibi pro admiſſis criminibus pœnitentiæ annos injungi, non ſinè magno fletu exclamârit: quid hoc, DEUS bone, rei eſt? Itáne tantillum piaculi ab homine exigi, qui ſi ad extremi uſque judicii diem viveret, haud ſatìs ſpatii haberet ad pares ſolvendas pro tot, támque enormibus peccatis ſuis pœnas? Quos admirationis ſenſus paulò pòſt vehementiùs expreſſit, cùm Sacramenti miniſter tanta illíus doloris magnitudine perſpecta priorem ſeptem annorum multam ad triduanum contra-

traxiſſet, mero pane, & ſimplici aqua tolerandum jejunium, donec Confeſſario tantò ſemper minus ſatisfactionis ab eo repoſcendum exiſtimante, quantò hanc ille majorem à ſe deberi profitebatur, & tantò rurſus magis creſcente in eo pia contra ſe ipſum ira, quantò majorem in altero erga ſe indulgentiã cernebat, cùm ad extremum nihil ultrà ſibi pœnæ irrogari audîſſet, quàm recitationem Orationis Dominicæ, nimiam affectûs ſui vim ferre ampliùs nequiit, ſed ſupremum ibi ſpiritum ſacri doloris victima effudit. Teſtis demum univerſus ille pœnitentium Monachorum grex, qui in celebri carceris nomine nuncupato aſceterio vivebat: ſi vivere tamen dicendum eſt, omnibus vitæ humanæ ſolatiis carere, intérque graviſſimos quà corporis cruciatus, quà animi angores continenter tabeſcere. Et talem profectò fuiſſe ibi commorantium vitam luculenter oſtendit longa, & feralis ejus deſcriptio à Joanne Climaco poſteritati relicta. Qui præſens contemplatus pœnale id ergaſtulum, *Concurrite*, exclamat, *& accedite, & narrabo vobis omnes, qui* DEUM *irritâſtis. Congregamini, & videte, quanta oſtendit* DEUS *ad ædificationem animæ meæ.* Tum enarratis, quæ illic obſervârat, inuſitatæ,

tæ, miræque pœnitentiæ exemplis, ſubjungit, poſt menſem eo loci traductum, non potuiſſe diutiùs ſe ferre objectorum tam triſtium ſpeciem, ſed reverſum indè eſſe adeò perturbatum, atque attonitum, ut animi horror in extrema quoque vultûs mutatione appareret. (*Grad.* 5.)

9. En igitur, pie Lector, quoſnam, ſi DEUM toto pectore amas, tuos ſenſus, affectúſque eſſe deceat ſuper noxis; quibus divinam illius Majeſtatem læſiſti. Non ità quidem, ut in iis aſſiduè, unicéque occupare te animum velim. Nimis quippe amaram experireris, imò neque diu poſſes tanto in angore, atque luctu vitam producere. Sed nihilominus è re fuerit, ut affectus plerumque jucundos, & præſenti tuo ſtatui conſentaneos in animo fovens, nè omittas interdum hos etiam excire, qui licèt ſenſu auſteri, utiles tamen, imò etiam neceſſarii homini ſunt, tum ad conſervandum, augendúmque peccati odium, tum ad firmiores in Chriſtiana humilitate mittendas radices: præterquam quòd, ſi ex puro DEI amore concipiantur; propria hujus dulcedo non exiguam mitigandæ eorum acerbitatis vim habeat. Cùm igitur juverit, exercere nonnunquam paulò impenſiùs affectum

ctum tam salubrem, divinæque charitatis tam proprium; curæ tibi sit, primò considerare infinitum DEI meritum, ut plùs cæteris quibusque bonis ametur, summámque ejusdem injuriam, dum creato alicui bono per peccatum postponitur. Secundò revocare in memoriam, quàm sæpe hanc illi injuriam tu feceris. Tertiò ex summo erga ipsum amore actus pœnitentiæ hìc subjectos concipere: dolorem nempe acerrimum, quòd cum tuo infinitè amabili Patre, atque Domino indignè adeò te gesseris: vehementissimum odium, horrorémque, & detestationem tuæ istius tantæ malitiæ, altissimam admirationem, quòd eò usque temeritatis, & vecordiæ progredi potueris: intimum pudorem tui ipsius, tanquam monstri fœdissimi, infandísque tot sceleribus summam apud omnes despicientiam, & abominationem promeriti: firmissimum postremò decretum, quidvis citiùs perpetiendi, quàm ut DEUM tuum, longè tibi rebus cæteris omnibus, téque ipso chariorem novo in posterum crimine offendas.

10. Quod si peculiarem aliquam, certísque expressam verbis prædictorum affectuum formulam habere præ manibus, atque oculis velles; hæc, quæ subsequitur, exemplo esse po-

poterit. O DEUS cordis mei, supreme rerum omnium Creator, & Domine, cui à rationalibus universis substantiis infinita reverentia, infinitúsque amor debetur, DEUS inter omnia amabilia amabilissime, inter omnia bona optime, inter omnia pulchra pulcherrime, imò ipsamet pura, infinita, universalis amabilitas, bonitas, & pulchritudo: quémque indubitatissimè agnosco, amandum mihi esse, & amore ipsa plùs quocunque alio bono, plùs divitiis, plùs honore, plùs voluptatibus, plùs valetudine, plùs scientiâ, plùs lætitiâ, plùs felicitate, plùs meâ animâ, & toto me ipso; en provolutum ante tuos pedes homuncionem vilissimum, tuúmque infimum servulum, qui, cùm arctissimis mille nominibus deberet sese totum, suásque omnes tum corporis, tum animi facultates cultui tuo devovere, ausus est suavissimæ servitutis tuæ jugum rebelli cervice excutere, jussis tuis obsequium denegare, Majestatem tuam flocci facere, violare, indignissimis contumeliis afficere. En illum intolerabili pudore, & mentis confusione obrutum, quòd adversùs te, amabilissimum suum Conditorem, & Dominum perfidè adeò, injurioséque se gesserit. En, ùt fronte humi dejecta, & voce singultibus

pus interrupta, reum se profitetur, veniámque illam petit, quàm offensis infinitæ malitiæ impetraturum se omnino diffideret, nec auderet postulare, nisi à Domino infinitæ clementiæ. Talis ergo cùm tu sis, nè, obsecro, dedigneris, ab excelso suo solio humillimas illius resipiscentis voces excipere. *Pater*: Ah quid dixi? Licebat sanè mihi olim per tuam benignitatem ità te alloqui, quamdiu obsequentis filii ritu in domo tua egi. Nunc verò, cùm infanda perduellione omnem erga te reverentiam, & fidem exuerim, quanam fronte usurpare titulos possim, usque adeò ab improbitate mea dissidentes? *Peccavi.* Heu verbum ferale, quod veneni instar labra mihi inficit, & in quo proferendo, extremum simul spiritum præ nimia doloris vi deberem profundere! Ità profectò: *Peccavi in cælum, & coram te.* Impius, sacrilegus, sexcentis mortibus dignus, amicitiæ tuæ nuntium contemptim remisi, sanctissimas tuas leges te præsente, & spectante proculcare nîl timui, te summum, immensúmque bonum, vilissimis bonis, imò futilibus boni umbris postposui, pro minimo habens, tibi ægre facere, dum homuncioni gregario, vel sordidæ cupiditati meæ obsecundarem. Breviter, contempsi,

offendíque te universitatis totius Rectorem, infinitæ majestatis Principem, interminatum totius bonitatis, & pulchritudinis pelagus, meum Conditorem, meum Dominum, meum principium, meum ultimum finem, meum DEUM, cujus placitum debuissem mundi totius, imò innumerabilium mundorum dominationi anteferre, & pro cuius honore vel millies, si usus ità ferret, vitam expendere. Heu, linquor animo ad tantæ indignationis memoriam: horrore conglaciati hærent sensus: vox, & spiritus deficit. Vix credibile existimo, potuisse mihi vel in mentem venire, ut tam execrabili injuria te læderem. At nimiùm quàm vera res est. Non modò in mentem mihi venit id agere, sed extrema insuper cum protervia, & vecordia peregi. Me miserum! & ubi tunc ratio mea fuit? Ubi mens? ubi consilium? ubi pudor? ubi sensus æquitatis? ubi insitum à natura recti, & pravi discrimen? Quænam phrenesis excæcare in tantum me potuit, adeóque extra omnes officii limites transversum agere, ut, cùm tu ex augusto supremæ potestatis tuæ solio jura universati dares, innumeris circumseptus beatorum spirituum agminibus, qui in contemplatione incomprehensibilium tuarum perfectionum

onum attoniti, & flagrantissimo tui amore succensi, nullum te adorandi, laudandíque faciebant finem; ego punctum essentiæ, & vilis terræ vermiculus, ex natali meo luto superbum caput, & vesanæ libertatis cornua adversùs te attollerem, protritísque tuis legibus, tibi meo, & universali omnium Domino, per intolerabilem contumaciam detrectarem subesse? Ah sub imo terræ centro sepeliri mallem, quàm in publica hominum luce tantæ infamiæ reus apparere. Si egomet judex causæ meæ essem, non possem non pronuntiare, æternos mihi inferorum cruciatus deberi, imò neque ipsos ad me pro merito puniendum sufficere. Mirari satis nequeo, quonam pacto res creatæ etiam sensu carentes post tam dirum scelus sustinuerint consuetis me officiis, & ministeriis fovere; neque omnes potiùs ad læsam procreatoris sui Majestatem vindicandam, monstrúmque adeò detestabile è sui medio amoliendum, universali conjuratione insurrexerint. Sed quid porrò? Erítne, ut iterum similia audeam? Ah citiùs quidquid est fulminum, in caput hoc cælum torqueat. Ah priùs vivum adhuc, spirantémque absorbere terra occupet. Atque utinam feciſſet ante illum funestissimum di-

em, quo juris, officiíque omnis memor ſuave ſervitutis tuæ jugum perfregi, tuóque cœpi ab imperio deſciſcere. O diem tetrum! diem execrandum! diem luctûs, & funeris! qui in reliquos omnes vitæ dies perpetuam mihi flendi materiem præbebit! *Væ tempori illi, quando non amavi te. Dies ille vertatur in tenebras. Non requirat eum* DEUS *deſuper, & non illuſtretur lumine. Occupet eum caligo, & involvatur amaritudine. Non computetur in diebus anni, nec numeretur in menſibus.* (*Solil. S. Aug. c.* 31. *Job. c.* 3.) Quod ergo mihi ſupereſt tempus vivendi, tempus omne erit lugendi præteritam meam cæcitatem. *Quis dabit capiti meo aquas, & oculis meis fontem lacrymarum? Et plorabo die, ac nocte* mea nunquam ſatìs deploranda flagitia. Deploro illa, Domine, horreóque, & abominor ſuper omnia, quæ horrori, & abominationi eſſe poſſunt: nihílque pœnalis mali ſive in terris, ſive in ipſo erebo eſt, quod tantum afferre ægritudinis meo animo queat; quantum affert meminiſſe, quòd offenderim te, meum DEUM, meum amorem, meam vitam, meum ſummum, imò unicum bonum. Hæc recordatio, inſtar vermis illius, qui apud inferos nunquam moritur, meum perfidum cor, quamdiu vixero, ab-

abrodet. At tu infinitæ manſuetudinis DEUS, qui *non vis mortem peccatoris, ſed ut magis convertatur, & vivat; per viſcera miſericordiæ tuæ, in quibus viſitâſti nos oriens ex alto*, ſuperioris meæ vitæ delictis propitius ignoſce, præſentémque hanc voluntatem ea nunquam porrò repetendi immutabili firmitate corrobora, Quod longè optatiſſimum munus, utì ſummâ votorum inſtantiâ ab ineffabili bonitate tua flagito, & flagitare uſque pergam; ſic ab eadem me omnino impetraturum confido, Amen.

CAPUT XXVIII.

Quanto odio, & horrore anima DEUM amans affici debeat erga quodvis peccatum lethale.

ILle idem DEI amor, qui hominem agit, ut plùs quàm de omni alio malo doleat, quòd ipſum omni alio bono ſibi chariorem, graviter læſerit; incitamento quoque illi eſt, ut ſupra omne aliud malum averſetur, & fugiat quamcunque ipſius gravem offenſam, dicens cum Propheta: (*Pſ.* 138.) *Nónne, qui*

oderunt te, Domine, oderam, & super inimicos tuos tabescebam? Perfecto odio oderam illos. Ità planè, *perfecto odio:* adeò ut nullum sit objectum, quod æquè ac peccatum illius hostem horrescat: nulla cloaca, sentina, & putredo, quam perinde abominetur: nulla discriminis, exitiique species, quam solicitè adeò devitet: nec deliberatissimum solummodo habeat, nunquam illud animo excipere; sed rem hujusmodi, dum ità animatus, affectúsque est, portentosam, & factu impossibilem putet: Josephi Patriarchæ castissimi exemplo, qui solicitatus ad peccatum, solicitari ad actionem se credidit, cujus non modò sibi abesse deberet voluntas, sed vis quoque, & facultas, respondens: (*Genes. c. 39.*) *Quomodo possum hoc malum facere, & peccare in* DEUM *meum?* Quia profectò amare ex toto corde aliquem, & velle eundem graviter lædere, affectus sunt secum mutuò pugnantes, neque conciliabiles magìs, quàm conciliari queat frigefaciendi virtus cum natura ignis. Quapropter, velut ignis poscenti, ut frigefaciat, responderet: *Quomodo possum?* ità, qui DEUM amat super omnia, non modò profitetur, nolle se ullo pacto ipsum graviter lædere; sed neque induci posse existimat, ut taliter ipsum amans

id

id faciat. Et accedant sanè Diocletiani, Decii, Nerones, ultima quæque suppliciorum intentantes, nisì juratam ipsi fidem abruperit: respondebit quippe: nequidquam contenditis id à me extorquere, quod extra vim, atque efficientiam voluntatis meæ est. Tantundem est comminari mihi mortem, nisì peccem, atque eandem comminari, nisí per auras volitem, & sermone, quem nunquam didici, loquar. Alia, quæso, justiora, & quibus præstandis obsequi vobis possim, jubete. Hoc enim mihi nedum factu indignum, verùm etiam impossibile existimo. *Quomodo possum hoc malum facere, & peccare in* DEUM *meum?* Qui sensus altè adeò in mentem B. Catharinæ Genuensis descenderat, ut gravis Dei offensa vocabulum ei videretur rei imaginariæ, quæque fingi potiùs cogitando posset, quàm revera existere. Unde, etiamsi interdum actiones cerneret palàm nefarias, & gravis flagitii manifestas; haud tamen inducere animum poterat, ut scienter, ac deliberato consilio volitas existimaret: utpote rem suo judicio incredibilem, & nimiùm quantum ab homine rationis compote, quíque nonnullâ DEI scientiâ imbutus sit, abhorrentem. (*Vit. c. 28.*) Hæc ergo cùm se ità habeant, nequa-

quam opus mihi est rationes conquirere, quibus te, Lector, ad peccatum toto pectore aversandum, & fugiendum impellam. Si, ùt mihi persuadeo, DEUM intimè amas, hic amor per se unus tale illius odium in tua voluntate excitabit, ut quasi rem impossibilem arbitraturus sis, monstrum tam execrabile, Deóque tuo tam invisum unquam admittere. Hujus propositionis afferre testes possum gravissimos duos Ecclesiæ Doctores, Chrysostomum, & Ambrosium. Quorum prior, *degustata jam virtute*, (& quantò magìs charitate, virtutum omnium regina?) id sequi affirmat, ut homini *difficilius sit peccare, quàm à vitio abstinere.* (*Hom. 5. ad Antio.*) Alter verò super illa sacræ Sponsæ in Canticis verba: *Expoliavi me tunicâ meâ; quomodo induar illâ? Vide*, ait, *anima DEO devota, quid dicat. Sic actus corporis, & terrenos exuit mores, ut nesciat, quomodo, etiamsi velit, possit rursus induere.* (*Lib. de Virgin.*) Quin imò adstipulatorem habeo ipsum quoque Gentium Doctorem Paulum, (*Rom. c. 5.*) ut *se existiment mortuos quidem peccato, viventes autem DEO*: quod perinde est, ac se existimare impotes peccandi, faciendique aliquid, nisi ex DEI impulsu: veluti tantundem esset mortuum, esse aliquem corpore,

re, & ſolo ſpiritu vivere; quantum non poſſe ab eo agi, quæ per corpus fiunt, ſed ea duntaxat, quæ ſunt ſpiritûs propria. Unde etiam paulò pòſt ſubjunxit: *Qui enim mortui ſumus peccato, quomodo adhuc vivemus in illo?*

2. Et verò multæ licèt, validæque rationes ſuppeditent, quibus ad peccati odium, & fugam incitari poſſimus; nulla tamen majorem id efficiendi vim habet, quàm verus DEI amor, quem peccando graviter à nobis offendi, & ex amico, inimicum nobis fieri, certiſſima fide tenemus. Quocirca errari ab iis plurimùm cenſeo, qui ſolo avernalium cruciatuum terrore ad peccandi libertatem cohibendam utuntur: exiſtimantes, argumenta charitatis divinæ ſplendida potiùs eſſe, quàm efficacia continendæ in officio multitudinis: conſultiúſque eſſe, ubi cum vulgo, & rudiori hominum genere agitur, rationes adhibere ab objectis ſenſibilibus ductas, quæ & magnam vim deterrendi intelligentes habeant, & facilè à quolibet iis animum advertente intelligi queant, cujuſmodi ſunt æternæ peccantium apud inferos pœnæ. Plurimùm illi, inquam, judicio meo errant: tum quia, re in univerſum, & generatim perpenſa, videtur boni amor ad animos impellendos timore

mali efficacior; tum quia, etsi minus id verum, de quorumvis bonorum amore, præ quorumvis malorum timore esset; verissimũ tamen est, si DEI amor cum averni comparetur timore.

3. Ut ergo à majori amoris, quàm timoris efficacitate ordiar, non aspernabile duci posse argumentum videtur ex diversa duorũ horum affectuum, unius grati, & jucundi, alterius verò molesti, & insuavis natura. Fieri quippe non potest, quin pro hac eorum diversitate diverso itèm modo comparatus erga illos noster animus sit: comparatus nempe ad priorem libenter suscipiendum, fovendúmque in se ipso; alterum verò, quoad potest, arcendum, vel saltèm illius vim infirmandam: & consequenter, quin primus, quantò voluntati est acceptior, tantò in ea & faciliùs producatur, & plus virium obtineat. Præterea dubitari non potest, quin ex proprio instinctu agere, utì agit, qui ab amore boni impellitur, res sit quàm naturæ homini consentanea, tam eidem jucunda; contrà verò extrinsecùs motum agere, prout agit, qui timore mali urgetur, violenta, & proinde odiosa res sit. Verissiméque pronuntiatum à Philosopho est, (*L. 1. Magn. Mor. c. 11.*) *Ex neces-*

si-

ſtate ægritudo, ex cupiditate agentes voluptas comitatur. Quapropter, cùm proprium cujuſlibet motûs violenti ſit, brevi deſinere; neceſſariò hinc conſequitur, affectum timoris, quamvìs in exordio vehementior, validiórque amore eſſet; ſuam tamen illam vim non ità diu retinere, quin paulatim remittens, exiguum intrà tempus deficiat: conſequens probè animadverſum à Cicerone, ſcribente: (*L. 2. de Off.*) *Malus cuſtos diuturnitatis metus, contráque benevolentia fidelis eſt vel ad perpetuitatem.* Nec diſſimilis eſt tertia ratio, peculiaris nimirum difficultas, & repugnantia, quam naturaliter experiri homines ſolent in agendis iis rebus, ad quas contra ſuam voluntatem coguntur. Quamobrem plùs ſæpe à ſubjectis obtinetur amicè ſuadendo, quàm minas, terroréſque intentando, prout lepidè expreſſum à Plutarcho eſt: (*De Præc. Coni.*) per fabuloſam Aquilonis, & ſolis contentionem certantium, utri major vis ineſſet viatorem ſpoliandi. Id enim nullo pacto evincere primus potuit, quamvìs totum ſe, ſuúmque ſpiritum flando exhauriret: viatore nimirum, quantò acrior venti violentia ingruebat, tantò magis laborante pallium corpori apprimere: qui tamen paulò pòſt, ſolaribus radiis afflatus, tan-

tantum sensim concepit caloris, ut impar ei ulteriùs ferendo suis ipse manibus non pallium duntaxat, sed & tunicam sibi detraxerit, atque humi projecerit. Jam verò, qui legem amat, de illius vi, atque pœnis minimè cogitat; sed sponte, volénsque, & ex libera animi electione eam implet, ac si merum illa esset boni omnino arbitrii consilium: ac perinde non eam intuens, quasi propriæ libertatis nexum, libentiùs, promptiúsque præcepta excipit; quàm qui eandem nequaquam sponte ipsi, amantérque subjectus, videtur supra caput suum cernere, virgâ, & minis armatam, exigentémque, ut quantumvis invitus obtemperet. Breviter: primus nihil habet causæ, cur iniquo animo operetur, nisi difficultatem injuncti operis propriam; alter præter hanc causam aliam, & validiorem utique habet, coarctationem nimirum libertatis suæ: quæ ut maximopere chara homini est, sic eum aliquando impellit ad legem audacter proculcandam, & quascunque illius pœnas pro minimo habendas, nè vi adactus, & contra voluntatem suam operetur.

4. Sed verum, nécne universaliter id sit, parùm refert ad hypothesim meam, in qua statui, etiamsi timor mali validiùs ex genere suo

ſuo voluntatem moveret, quàm boni amor; amorẽ Dei nihilominus plus efficacitatis obtinere ad homines à peccato inhibendos, quàm merus averni timor obtineat. Neque de propoſitionis hujus veritate dubitare nos ſinit diverſa vivendi ratio, hinc eorum, qui peculiarem divino amori operam navant; indè aliorum, qui minimùm ei ſtudentes, averni conſideratione, & terrore inprimis moventur. Cùm utroſque intuendo confeſtim appareat, quàm & rarum inter primos, & frequens inter alteros ſit, graves culpas admittere: quantóque ad rectè vivendum validiùs à divino illi amore, quàm hi ab averni timore impellantur. Licet itaque expreſſam hìc cernere inæqualem eam vim, quam ad præpediendas hominum cædes hinc erga eos amor, indè timor enſis obtinet. Quemadmodum enim plurimos interfici ab iis paſſim videmus, qui licèt enſem metuant, occiſorum tamen amici non fuerant; contrà verò vix unquam contingit, ut animum quis inducat, etiam ſemoto diſcrimine, & metu enſis, necem homini inferre, quem intimo, & diutino amore dilexerit; haud aliter, quàm crebrò DEUS offendi ab iis cernitur, quos nihil à peccando, nisì averni terror coërcet; tam inuſitati exem-

empli est, ut ab iis offendatur, qui intimam cum eo conjunctionem professi, validissimũ, nè quid tale audeant, retinaculum in amore illius habent.

5. Et princeps, ac potissima commemorati effectûs ratio est, quia, licèt quivis fidelium indubitanter credat, disertéque fateatur, avernalium æternitatem flamarum tam atrox supplicium esse, ut vitandi ejus causâ, quidquid in præsenti vita seu bonorum est, abdicari; seu malorum, eligi, ac perferri debeat; nihilominus, cùm id supplicium non à quovis peccantium re ipsâ subeatur, subeundi illud timor valde debilitatur, neque omnium voluntatem à criminibus perpetrandis sat retinet: promittente sibi impio, quoties divinam legem transgreditur, non defuturum tempus, quo à præsenti peccato per pœnitentiam emergat, meritásque inferorum pœnas hoc pacto devitet: prout evenisse multis novit, qui cælesti nunc gloria fruuntur, pluries, dum mortalem vitam agerent, in peccatum lapsis, & nihilominus tam facili, paratóque remedio æternam salutem adeptis. Quòd si ità secum ratiocinanti objiciantur mortis pericula, cujus repentino superventu ante meditatam peccati expiationem intercipi potest, at-

atque ità sinè ullo remedio, quod spe temeraria præsumit, in tartarum ruere, utì multis sui similibus accidisse novit; tales eventus, quòd nulla illius proxima, & sensibilia argumenta se offerant, non eam semper, quæ illi cæteroqui per se inest apud animum impotenti cupiditate, & prava consuetudine præpeditum, cohibendi à peccato vim obtinet: sed plerumque non alio excitato, quàm inefficacis, & evanidi terroris affectu, validioribus bonorum sensibilium illecebris cedit. Quò fit, ut infelix super cætera quævis mala avernum quidem ipsum, at non pariter ipsius pericula timeat: imò ut neque ipsum propriè loquendo timere dicendus sit, sed tantummodo aversari, & odisse: cùm illum mente quidem concipiat, instar mali longè omnium gravissimi, sed non etiam instar mali è propinquo iminentis. Similis prorsus (nè ab exemplo suprà allato discedam) sicario mercede conducto, qui licèt in patrandæ cædis procinctu illo se maleficio ensem meriturum haud nesciat, suppliciique illius malum longè antestare pactorum sibi quinquaginta, vel centum aureorum lucro palàm prospiciat, & proinde, si illo affectum se iri post cædem commissam certus foret, nulla ad hanc commit-

mittendam se mercede induci sineret ; quia tamen scit altera ex parte, non omnes homicidas ensi subjici, sed multis contingere, ut latendo, vel fugiendo eum evadant ; facilè inducitur à præsentis lucri cupidine, ut idem sibi quoque eventurum speret : nec dubitet se periculo objicere, quod tanquam sibi evitabile animo concipit : eligens ità pro minori bono, sed certo dubiam majoris mali aleam subire.

6. Quæ ratio ut clarior adhuc fiat, observo, inferorum pœnas duplici modo posse ad homines à peccato deterrendos proponi. Primò per argumentationem hujusmodi : Pœnæ illæ malum sunt tam immane, ut terreni nullius seu boni cupiditate, seu mali metu incidendum in eas sit. Sed, quisquis peccat, in eas incidit ; ergo terreni nullius seu boni cupiditate, seu mali metu est peccandum. Cujus argumenti prima propositio à nemine vocari in dubium potest. At secunda universè falsa est, nec nisi de peccantibus in extremo vitæ cardine admitti potest : cùm non nisi tunc perinde sit in peccatum, atque in pœnas æternas incidere. Quare argumentum nihil conficit, præterquam in extremo, ùt ajebam, vitæ termino, quo tempore efficacissimam, & omni-

omnino ineluctabilem ad quoslibet sanæ mentis homines permovendos vim habet. Alter proponendi illas modus hic est: inferorum pœnæ malum sunt immane, ut nemo terreni ullius seu boni, seu mali causâ vel remotè se objicere earum periculo debeat. At, quisquis peccat, illarum se periculo objicit; ergo terreni nullius seu boni, seu mali causâ est peccandum. Cujus argumenti secunda propositio extra omnem controversiam est. At prima, etiamsi ab animis probè affectis repudiari nequeat; minimum tamen fidei invenit apud homines, vehementi quopiam rerum terrenarum affectu occupatos, neque illos cogit firmum, atque immobilem conclusioni suæ assensum præstare. At non ità accidit, si quis rationes non peccandi mutuetur â Deo, nempe ab ejus offensa, & inimicitia. Nam hujusmodi mala & disjungi à peccato nequeunt; & nimiùm quantùm quibuscunque illius incitamentis præponderant: adeò ut, quisquis illa probè intelligit, possit hæc omnia haud magno negotio repellere: prout fieri videmus ab innumeris DEI famulis, qui, nè cæleſtem suum Dominum offendant, illiúsque ab amicitia excidant, paratissimi sunt quælibet præsentis vitæ & bona abdicare, & mala

perferre : ratiocinantes ſecum hoc pacto : Dei offenſa, ejuſdémque amicitiæ jactura, mala ſunt tanti ponderis, ut nulla de cauſa eligendum ſit in ea incidere ; ſed, quiſquis peccat, confeſtim, & neceſſariò in ea incidit ; ergo nulla de cauſa eſt peccandum. Quæ ratiocinatio & legitimo tramite ad concluſionem procedit ; &, præterquam quòd à nemine ſecundùm ullam propoſitionem negari, vel in controverſiam revocari poteſt ; earum prima principium continet, quàm efficax ad permovendam voluntatem, ſi probè intelligatur ; tam facile intellectu, ſi attenta conſideratione expendatur.

7. Atque utinam non funeſtam nimis, juxtáque perſpicuam, & validam hujuſce veritatis confirmationem ſuppeditaret nobis Evæ peccatum indè ortum, prout cuivis conſideranti patebit, quòd ea in divino præcepto nequaquam præcipientis dignitatem, ſed pœnam ſolummodo illud violanti ſancitam attenderit. Interrogavit eam callidus ſerpens : *Cur præcepit vobis Dominus, ut non comederetis de omni ligno paradiſi ?* (*Geneſ. c. 3.*) Quid facilius, quàm idoneo reſponſo quæſtionem hanc ſolvere ? Cur præcepit ? Quia ſupremam in nos poteſtatem naturâ obtinet : quia ejus voluntas uni-

ca

ca totius recti norma est: quia vult nobis materiam suppeditare, debitam ipsi supremo universitatis totius Domino obedientiam, & fidelitatem exhibendi. Hæ profectò non obviæ minùs, quàm validæ rationes afferri poterant, síque allatæ fuissent, nihil erat, quod à stygio veteratore ultrà objici posset. Ast Eva omni earum mentione posthabita solam responsi, & rationis locò pœnam affert, subjiciens: *Nè fortè moriamur.* Itáne? plaudens, & certus victoriæ secum ait adversarius, nihil hanc à violando præcepto, nisì comminatæ mortis retinet timor? Violabit procul dubio præceptum, vetitum pomum decerpet, gustabit, deglutiet. Atque ità prorsus se res habuit: nam post responsum, *nè fortè moriamur*, facillimè transitus factus est ad credendum, *nequaquam moriemini*: & hoc credere ità penè fuit, ac vetitam dapem comedere. Jam verò quod in prima illa dæmonis tentatione accidit, solenne est in quavis penè alia videre. Suggerat nequam spiritus, vel propria cupiditas alicui: cur abstines ab ista voluptate tui genii palato tam sapida? *Cur non vescéris de omni ligno paradisi?* Si ille respondeat: abstineo, nè DEUM offendam, quod est facinus longè indignissimum, & malum quovis

alio gravius, nulláque de cauſa patrandum; ratio hæc nulla ex parte non dicam infringi, ſed neque impugnari poteſt, & proinde omnis tentatio victa illico, & compreſſa obmuteſcit. At, ſi nihil ille aliud, præter inferorum pœnas, propoſitum animo habens, reſpondeat: tempero mihi ab hac voluptate, nè alioquin ſempiternæ mortis reus fiam, quæ malum eſt nimiùm quantùm omnia præſentis vitæ oblectamenta excedens: *nè fortè moriar*, audit protinus reponi: *Nequaquam, nequaquam morieris.* O te hominem plùs æquo meticuloſum! quid iſtud eſt ſupervacuæ formidinis? Poſthumos averni cruciatus times, cùm in terris adhuc vivas, florenti ætate, firma valetudine, integris viribus corporis? Eſto perpetui, maximéque perhorreſcendi cruciatus ii ſint, quandoquidem Chriſtiana Religio id nobis credendum proponit. Sed ánne eadem credendum quoque nobis proponit: omnes, qui peccant, iis æternùm torqueri? An potiùs palàm, diſertéque teſtatur, fas homini eſſe, poſt quemcunque criminum numerum unico interioris pœnitentiæ actu illos prorſus evadere? Quot gravibus culpis te hactenus obſtrinxiſti? Nec tamen propterea avernali carcere incluſus teneris. Quot inter flagitia priores vitæ annos

Magda-

Magdalena, Pelagia, Bonifacius, Augustinus, Gulielmus Aquitanus duxêre? Et tamen cælesti gloria nunc fruuntur, atque æternùm fruentur. Quod ergo & ipsis, quantùm ad omnes vitæ suæ noxas, & tibi quantùm ad omnes huc usque commissas evenit; idem quoad hanc quoque eveniet, cujus committendæ nunc se præbet occasio. Cupiditati tuæ per eam satisfacies, nihilque negotii erit, quin per sacram exomologesim certissimum, nullique non paratum remediũ æternæ tuæ saluti prospicias. At, inquies, fieri potest, ut mors inopinatè ingruens omne mihi adhibendæ hujus opis tempus præripiat. Fateor, sed rarissima hæc sunt mortis subitæ exempla: neque ullum indicium, imò nulla indicii umbra in te nunc apparet, unde ejusmodi quidpiam tibi eventurum suspicari prudenter queas. Cur ergo ob remota incertissimorum, & merè possibilium casuum terriculamenta præsenti jucundissimæ hujus voluptatis pabulo tuum velis genium fraudare? Hæ sunt antiqui hostis fraudes ad eos circumveniendos, qui nihil in criminibus, nisi æternam pœnam perhorrescunt: & hoc subdolo, *nequaquam moriemini*, sicut primam olim parentem, sic innumeros ex ejusdem nepotibus quotidie ad

peccandum inducit. Tam facilè perſuaderi ſibi homines ſinunt, pravas ſuas libidines ſe impunè expleturos, támque parùm refrænantur à ſceleribus metu ſupplicii, nisì hoc non ſolùm grave, ſed & proximum, ac certum ſit. *Cùm ſit periculum in nullo mendacio majus*; (licet huc quoque Plinii verba, & ſenſus transferre) *non tamen illud intuemur. Adeò blanda eſt ſperandi pro ſe cuique dulcedo.* (L. 29. c. 1.)

8. Nec parùm ad eandem veritatem perſuadendam aliæ duæ rationes valent. Prima eſt, quia, ut arcu imbecillo feriatur ſcopus, altius deſtinato collimare opus eſt: quíque omiſsâ curâ leviores culpas vitandi, exercendi ſe in operibus bonis, & corpus caſtigandi, animíque cupiditates cohibendi, nihil aliud ſtudet, quàm ſe integrum à capitalibus noxis ſervare; nè illuc quidem pertingit, ut integritatem hanc omnino, & ubique aſſequatur: carens quippe efficacibus, imò etiam neceſſariis ad eam conſequendam ſubſidiis, qualia ſunt venialium culparum fuga, frequens bonorum actuum uſus, & cupiditatum, ſenſuúmque coërcitio; ſequitur, averni timorem, qui non nisì ad gravia vitanda peccata incitare homines ſolet, plerumque non ſufficere, ut prædictus finis vel omnino, vel tam facilè obtineatur,

atur, quàm consuevit obtineri per amorem divinum: qui, cùm propositum sibi habeat, non modò sartam tectam tueri, verùm etiam augere, & confirmare amicitiam cum DEO, nec præcepta duntaxat implere, sed ad consiliorum quoque observantiam sedulò incumbere, neque solùm ab anima peccatum excludere, sed quidquid præterea affine peccato est, indè amoliri, & quidquid eidem contrarium, illuc inducere; nemini non apparet, quantò & tutiores ab illo, & in DEI gratia stabiliores nos reddat. Altera ratio est, quia, quià DEI amore ad ejus præcepta servanda impellitur, non tantùm illa accuratè, & fideliter, verùm etiam jucundè, & libenti animo servat. Quæ est illa externi operis, officiique veluti appendix, quam ipso opere chariorem se habere profitetur. Cicero ad amicum scribens: (*L. 13. Ep. Famil.*) *Priùs velim, tibi persuadeas, ut hoc meâ causâ libenter facias, quàm ut facias*: & cujus pretium majore adhuc emphasi D. Paulus expressit, laudans Corinthios, quòd *non solùm facere, sed etiam velle cœpissent.* (*2. ad Cor. c. 8.*) At contrà, qui ex mero timore obtemperat, sæpe *solùm facit, sed non etiam vult*, implens quidem re ipsa, quæ præcipiuntur, sed coactus, animóque reluctan-

ctanti, & invito. Qui propterea, nedum facilem divinæ legis observantiam experitur; sed in periculo est, nè tum ipsam, tum ipsius Conditorem odisse aliquando incipiat: mancipii more ad triremes damnati, quod, cùm non nisì per vim remiget; non suum modò remigandi laborem, sed eum pariter, à quo ità laborare intentatis verberibus cogitur, odio habet, diríque, & execrationibus devovet. Unde fit porrò, ut multi ex istiusmodi hominibus vel in ultimum tandem totius iniquitatis barathrũ, atheismum videlicet ruant. Pertæsi enim molestissimam illam continuationem violenter, & contra voluntatem suam operandi, conantur omni arte, atque studio Dei timorem, à quo sibi ea vis infertur, in se ipsis extinguere; cúmque videant, nullo pacto extingui illum posse, quamdiu certa esse credant sempiternæ mortis supplicia, quæ DEUS suas leges violantibus comminatur, curas omnes convertunt ad excutiendam ex animo importunam hujusmodi fidem: nunquam desinentes contraria ipsi argumenta indagare, quoad affectu, ùt fieri mos est, judicium corrumpente, sacrilegi demum voti compotes fiant. Exemplo sit Lucretius, non aliunde magìs inductus ad rejiciendam in poëticas fabulas ultri-

cem

cem Deorum juſtitiam, quàm quòd ejus fides, ac timor duro nimis, violentóque ſervitio humanarum appetitionum libertatem coërceat: ceu tum alia Philoſophiæ naturalis ab eo editæ loca teſtantur; tum præſertim ii verſus, quibus tam acriter æternos averni cruciatus impugnat, exclamans: *(L. 3.) Et metus ille feras præceps acherontis agendas, funditus humanam vitam qui turbat ab imo, Omnia perfundens mortis nigrore, neque ullam eſſe voluptatem liquidam, purámque relinquit. Æternas quoniam pœnas in morte timendum.* Ità ille extra ſiparium, & verbis rotundis, quando nempe nullum ſtabat contra impios ſacrorum Quæſitorum tribunal. Nec diſſimulantiùs noſtris etiam temporibus loquerentur complures, ſi tam fabuloſas poſſent credere humanæ, quàm divinæ credunt pœnas juſtitiæ. Qui nunc non audentes palàm evomere inteſtinum perfidiæ ſuæ virus, antiquo illi Epicureo ſæculo libertatem tacitè invident, magis quidem eo tecti, ſed non minùs impii.

9. Cùm itaque rationes à DEI amore deſumptæ, præter nobilitatis exuperantiam majorem quoque habeant vim nos movendi ad odium, & fugam peccati, quàm quæ à timore inferorum petuntur; quídni eas potiſſimùm,

& Confessarii accedentibus ad pœnitentiæ tribunal, & sacri Oratores promiscuæ multitudini inculcent; sed contrà quasi DEUS vel nusquam esset, vel non sufficeret ad humanas voluntates movendas, nihil aliud Euangelicæ doctrinæ præcones audiuntur sonare, nisi tartarum, nisi diabolos, nisi æterna supplicia? Ah non hujus mentis, sententiæque erat studiosissimus humanæ salutis, & divinæ gloriæ administer, Ignatius Loyola: quin potiùs & iis, quos Romanus Pontifex, tanquam Apostolicæ Sedis Theologos, ad Concilium Tridentinum mittebat, enixè commendavit, ut tam publicis, quàm privatis sermonibus excitare omnes ad sanctissimum DEI amorem studerent; & in tradenda rudibus Christiana doctrina dissertationes singulas hac solebat paræneſi claudere; *Amate DEUM toto corde, tota anima, tota voluntate*: iterum, iterúmque illam repetens tanto cum animi ardore, ut non tam verba, quàm flammas promere videretur: tantósque per eam motus in suis auditoribus ciebat, ut videre pluries fuerit, gravium criminum reos indè actutum ad pedes Sacerdotum procurrere, suáque ibi flagitia inter lacrymas, & singultus vocem crebrò intercludentes deponere. (*Nolar. Comp. Vit. c.* 19.

&

& Bart. Inſt. L. 4. n. 28.) Neque hujuſmodi ſolùm terroribus, tanquam unico, & præcipuo argumento agebat Gentium Doctor Paulus cum fidelibus nuper Romæ ad Chriſtum converſis: imò eos hortabatur, ut, quemadmodum nullius mali timore, ſed ſola bonorum ſenſibilium cupiditate ad peccandum impulſi olim fuerant; ſic divina nunc præcepta ex eorum potiùs amore, quàm ullius pœnæ metu ſervarent. In prædicto ſiquidem ſenſu D. Auguſtinus illa accipit ejus verba: (*Ad Rom. c. 6.*) *Sicut exhibuiſtis membra veſtra ſervire immunditiæ, & iniquitati ad iniquitatem; ità nunc exhibete membra veſtra ſervire juſtitiæ in ſanctificationem*: hanc illis declarationem ſubtexens, (*Ep. 144. ad Anaſt.*) *Quid eſt ſicut illud, ità & hoc? Nisì, quemadmodum ad peccandum nullus vos cogebat timor, ſed ipſius libido, voluptáſque peccati; ſic ad juſtè vivendum non vos ſupplicii metus urgeat, ſed ducat delectatio, charitáſque juſtitiæ.* Quid plura? Ipſemet humanæ ſalutis Aſſertor, & magiſtrorum omnium Magiſter, Chriſtus, tantum eſſe in divino amore incitamenti ad divinæ legis obſervantiam exiſtimavit, ut illo, tanquam ratione per ſe unam ſufficiente ad hanc perſuadendam ſit uſus, dicens Apoſtolis: (*Joa. 14.*) *Si diligitis me,*

me, mandata mea servate. Quod perinde fuit, ac dicere: ut exactissimè impleatis, quidquid præcipio, nihil ultrà vel mihi proponere, vel vobis audire opus est, quàm hoc legitimum fore vestri erga me amoris specimen. Nullam hìc præmiorum, nullam pœnarum mentionem facio. Summa sermonis, & hortatûs mei est: *Si diligitis me, mandata mea servate.*

10. Ah nè, quæso, nè ità contemptim, abjectéque sentiamus de nostrarum generositate animarum, tanquam si idoneæ naturâ non essent ad nobiles concipiendos affectus, & ad operandum aliter, quàm serviliter. Sed potiùs æquiore illarum æstimatione sumpta curemus iis palàm ostendere, quàm dignus reverentiâ, & amore DEUS sit, quámque detestabilis res, tantum Dominum gravi crimine offendere. Et porrò videre erit, quàm miram hæc objecta vel rudis vulgi animis ab improbitate revocandis vim habeant. In summa, persuasissimum mihi est, effrenem peccandi licentiam, quæ inter Christianos tam communiter viget, magna ex parte hinc proficisci, quòd sanctus DEI amor minùs justò iis inculcetur: &, si ii, ad quos pertinet, studiosiùs id agerent, longè in melius revocarentur hominum mores. Nostri siquidem spiritus, ùt

ùt ùt sæpe incultu, & desidiâ, ceu quadam rubigine obsiti hebescant, nunquam tamen desinunt retinere in naturæ suæ penetralibus, veluti rationis lumen, sic innatam quamdam propensionem ad ea, quæ ratio, tanquam honesta approbat, & alienationem ab iis, quæ eadem tanquam turpia condemnat, quoties tum illa honestas, tum hæc turpitudo ipsorum obtutibus in bono, & convenienti lumine proponitur. Et hanc fuisse Platonis quoque mentem, ac sententiam invenio. Cùm in secundo de Republica libro sub persona Adimanti pronuntiat, non alia de causa evenire, ut injustitia pestilentis instar contagii longè adeò, latéque grassetur; nisi quòd, qui ab ea deterrere homines studeant, sancitas ei potiùs à legibus pœnas, quàm insitam à natura deformitatem commemorant. *Horúmque omnium* (en illius verba) *nulla alia est causa, nisi quia ex vobis nemo unquam injustitiam vituperavit, nisi ad pœnas respiciens, quæ indè proficiscuntur. Ipsa verò suâpte naturâ quid agat in habentis animo, nemo unquam ad sufficientiam enarravit: quòd scilicet injustitia maximum malorum sit, quotcunque animus sustinet. Si enim id ab omnibus vobis fuisset à principio dictum, & nobis ab infantia persuasum; non invicem cohiberemur, nè quid*

quid in alterum ageremus injustè, sed unusquisque sui ipsius custos esset, timens, nè injustè agendo maximo malo adhæreret,

11. Redeundo jam ad homines, quorum princeps studium, & cura est, divino amori operam dare, quibúsque præcedenti dispositione (licèt nec inutiliter, nec extra locum hìc à nobis inserta) opus non erat; habent ipsi, ùt dicebam, rationem nedum satìs validam, verùm etiam quacunque alia efficaciorem abominandi toto animo, & fugitandi summa contentione peccatũ lethale: nimirum quòd illud gravis contemptus, & offensa DEI est, quòd initam cum eo amicitiam dissolvit, quòd debitam ei fidem abrumpit, quòd omnibus divinis illius perfectionibus adversatur. Quo enim pacto anima DEUM super omnia amans cum prædicto ejus amore conjungere intra se poterit voluntatem objecti, quod usque adeò illi contrarium, exosúmque esse cernit? Nulla enim verò vi poterit: & consequenter, si sacer hic, quo succenditur, divinæ charitatis fervor, ità ùt nunc est, actu præsens, & vividus in ea semper duraret, peccandi omnino impos esset. Sed profectò hujusmodi constantia, & permansio à nemine, quamdiu vivit in terris, potest sibi adeò certò

tò promitti. Quippe insitum à natura hominiest, in dies, atque horas mutari, ut, quì invicto jam animi robore communitus omnes terrenorum, infernorúmque hostium vires provocabat ad faciendum sui erga DEUM amoris periculum, clamans cum Apostolo: (*Ad Rom. c. 8.*) *Certus sum, quia neque mors, neque vita, neque Angeli, neque Principatus, neque Virtutes, neque instantia, neque futura, neque fortitudo, neque altitudo, neque profundum, neque creatura alia poterit nos separare à charitate DEI;* paulò pòst per arcanam, & incantationi similem vim illecebrosi alicujus objecti, quod vel ipse oculis hauserit, vel malus orci genius in ipsius imaginatione depinxerit, repentè immutatus vix agnoscat se ipsum, vix pristinæ generositatis suæ meminerit, vix confusam eorum sensuum speciem retineat, qui modò intra suam mentem adeò expressi vigebant, auditúrque suspirans repetere: *Video aliam legem in membris meis, repugnantem legi mentis meæ, & captivantem me in lege peccati.* Nusquam ergo est in terris charitas tam seraphica, ut certam habeat ardoris sui perpetuitatem. Nusquam voluntas tam firma, ut labefactari nequeat. Nusquam anima tam penitùs Deo conjuncta, quin assiduè periclitetur ab eo separa-

parari. *Ecce, qui ſerviunt ei, non ſunt ſtabiles, & in Angelis ſuis reperit pravitatem.* (*Job. c. 4.*) Quamobrem verus, & prudens DEI amor flagrantes ſuo igne animas incitat, non modò ut fixum, deliberatúmque habeant, quidvis citiùs pati, quàm ſuum Dominum gravi crimine offendere; ſed ut inſuper contra omnia tam inviſi facinoris conſciſcendi pericula, quantùm fieri poteſt, ſe muniant, nihílque ſolicitudinis, & induſtriæ prætermittant, quod ſibi ad illud certiùs vitandum adjumento eſſe poſſit: illud ipſis continenter ingeminans Apoſtoli monitum. (1. *ad Cor. c. 9.*) *Qui ſe exiſtimat ſtare, videat, nè cadat.* Qua de re, ceu quæ ſummi eſt momenti, neque curſim ſolummodo perſtringenda, accuratiùs, & per otium in ſequenti capite agemus.

CA-

CAPUT XXIX.

De artibus, & induſtriis ab anima DEI amante adhibendis, nè illum unquam gravi crimine offendat.



Aciléne, an difficile opus ſit, à peccati contagiis ſe purum, atque immunem ſervare, promiſcua, & univerſali ſententia definiri nequit. Illud pronuntiare mihi poſſe videor, & ſinè ulla dubitatione pronuntio, difficillimum ſcilicet id eſſe homini, curæ, ac timoris vacuo, séque tutum putanti; facilè autem circumſpecto, & ſolicitè omnia caventi. Difficillimum eſſe dixi primò: nam ſi vel in exterioribus bellis, ubi cum ejuſdem naturæ hoſtibus dimicatio eſt, nihil periculoſius cenſetur, quàm extra omnem periculi aleam eſſe; quantò id cenſendum magis erit in ſpirituali cum ſalutis noſtræ hoſtibus bello? ubi, teſte D. Paulo, (*Ad Epheſ. 6.*) *Non eſt nobis colluctatio adversùs carnem, & ſanguinem, ſed adversùs principes, & poteſtates, adversùs mundi rectores tenebrarum harum contra ſpiritualia nequitiæ in cæleſtibus*: contra ſpiritus nimirum tartareos nimis magno

intervallo, ſive ingenii perſpicacitas, ſive robur virium, ſive uſus, & ſcientia bellandi æſtimetur, nobis ſuperiores, & præter hæc omnia cum ipſiſmet naturæ noſtræ appetitionibus ſociali fœdere in noſtram perniciem conjunctos? Certè, ſi uſquam alibi verum fuit, veriſſimum hìc apparet illud Comici dictum, (*Plaut. in Capt.*) *Qui cavet, nè decipiatur, vix cavet, cùm etiam cavet*; ut proinde inter tot timendi cauſas ſecurum, expertémque omnis metûs agere, quaſi nihil impenderet diſcriminis, idem planè ſit, ac in ſummo verſari, proximóque cladis diſcrimine. At non ità etiam, ſi quis imbecillitatem ſuam animadvertat, illiúſque memor opportuna undecunq; ſibi auxilia conquirat, & nullo non tempore armatus tanquam in procinctu excubet. Huic enim, ceu ſubjunxi, proclive erit quovis è certamine incolumem abire. Non ſecùs atque Emporitanis è Græcia in Hiſpaniam tranſgreſſis eveniſſe Livius teſtatur. (*Lib.* 34.) Qui fundatâ ibi ſuæ gentis coloniâ, quanquam modicis ſubnixi opibus, intérque bellicoſos, & feroces circumquaque populos ſiti, citra ullam tamen in peregrino illo ſolo fraudem, atque noxam durabant: haud alia de cauſa, nisi quòd in omnem ſuæ libertatis, & ſalutis cuſto-

ſtodiam ſolertiſſimè intenti, noctibus ſingulis non minùs, quàm tertia pars excubarent in mœnibus : neque id *moris tantùm , aut legis gratiâ, ſed quantâ, ſi hoſtis ad portas eſſet, curâ:* confirmantes ſuo exemplo, quod Ariſtoteles in Politicorum libris docuerat, (*L. 5. c. 8.*) nimirum pericula propter vigilantiam, quam metu ſui excitent, uſque adeò ad civitatum conſervationem facere; ut &, cùm abſunt, fingenda à magiſtratibus ſint. *Conſervantur Reſpublicæ non ſolùm ex eo, quia procul ſint à periculis, verùm etiam interdum, quia propinquæ ſunt. Homines enim formidantes vigilantiùs intendunt ad cuſtodiam Reipublicæ. Itaque oportet eos, qui Rempublicam ſalvam volunt, formidines quaſdam parare, ut caveant, &, quod longè abeſt, propinquum facere.* Quæ cùm ità ſint, rurſus omnes, qui amori divino ſe ſtudere profitentur, admoneo, ut, quantumcunque firmam DEI nunquam offendendi voluntatem habeant, nè idcirco ſe penitùs tutos, extráque omne periculum arbitrentur: ſed certiſſimi ſint, prædictam voluntatem poſſe temporis momento in ipſis deficere: ac proinde, quò integra, & vigens ſervetur, aſſiduam ſibi eſſe ſui ipſorum curam gerendam, omnibúſque iis utendum adminiculis, quæ ad ejuſdem ſtabilimentum

conducunt, & quinque his præcipuè à me jam-jam proponendis. Quæ si neglexerint, palàm facient, non se DEI offensam, quantùm deberent, odisse, dum eam, quantùm possunt, vitare, & procul à se habere non studeant.

2. Quodnam ergo primum inter ea erit? Illud utique ipsum, quo usus est Darius Rex Persarum, (*Herod. L. 5.*) ad fovendum semper recèns in animo conceptum erga Athenienses odium, propter Sardensem urbem ab iis devastatam: certo nempe cuidam ex suis servis præcipiens, ut ter quotidie ingeminare sibi pergeret: *Here, memento Athenienſium.* Similiter quippe & DEI servis ad vividum contra offensas illius odium, & stabile eas perpetuò effugiendi propositum in animis suis retinendum magno usui erit, si quotidie in matutina oratione prædictos affectus redintegrare curent: revocando breviter in memoriam, quantum observantiæ, & amoris maximo Conditori suo debeant, quámque execranda res sit, summam illius Majestatem offendere: tum firmissimè decernendo, in omni deinceps vita, sed præsertim eo die fideles se illi famulos exhibere, omnésque capitales noxas, utpote ipsi maximè injuriosas, ultra gravissimum quodvis malum abominari, & effuge-

gere: usurpatis hac de causa iis Regii Prophetæ sensibus: *Nónne DEO subjecta erit anima mea? In capite libri scriptum est de me, ut facerem voluntatem tuam. DEUS meus, volui, & legem tuam in medio cordis mei. Juravi, & statui custodire judicia justitiæ tuæ.* (*Ps.* 61. 39. 118.) Hoc igitur primum ex præsidiis fuerit, quæ animæ à gravibus DEI offensis tuendæ specialiùs conducunt. Quod, quisquis ejusmodi finem seriò expetit, complecti, & sedula praxi usurpare debebit: instaurans quovis mane consuetum quasi juramentum perpetuæ fidelitatis cælesti suo Domino, & perpetui itèm belli adversùs peccatum illius infensissimum hostem. Quanquam plus indè opis trahet, si non satìs habens in matutina duntaxat meditatione illud concipere; geminis insuper meridiano, & vespertino examinandæ conscientiæ temporibus repetitum velit: & multò plùs adhuc, si etiam interdiu eosdem actus, brevissimæ, & raptim ejaculatæ orationis ritu iterare assuescat, vel ad singulos horologii pulsus, vel initio cujuslibet operationis suæ, sed earum præcipuè, ubi aliquod intervenire peccandi periculum potest.

3. Secundum in eandem rem præsidium suggerit nobis Demosthenes: idque est diffi-

dentia illa, quam ipse, tanquam rerumpublicarum conservationi apprimè necessariam, Athenienſibus ſuis esse commendatissimam vult, sic eos alloquens: (*Philip.* 2.) *Sunt quidem certè varia reperta ad urbium defensionem, veluti aggeres, mœnia, atque fossæ, & quæ sunt hujus generis alia. Unum autem quoddam commune natura prudentum in se continet præsidium, quod cùm omnibus salutare est, tum vel maximè liberis civitatibus contra tyrannos. Quodnam igitur illud est? diffidentia. Hanc custodite, hanc amplectimini, hanc si conservabitis, extra omne periculum eritis.* Nisi quòd diffidentiam ille à civibus ſuis exigebat, respectu externarum virium, ità ut has semper ſuſpectas haberent, nec unquam sinè metu insidiarum, periculorúmque essent, quæ ab iis strui poterant libertati ſuæ; ego verò eam ab unoquoque exigo respectu propriarum virium: ità ut nihil in his locet spei, sed pro certo habeat, nisi DEUS cæleſti ſua ope illarum imbecillitatem ſuppleverit, salvum se inter tot pericula, atque hoſtes nullo modo esse posse. Qui juſtiſſimæ humilitatis ſenſus adeò est omnibus, quantumcunque in virtute processerint, necessarius, ut, si quis ob diutinam sanctè vivendi consuetudinem, & præsentem charitatis fer-

fervorem satis tutum à peccato se existimet; næ is altero pede supra illius barathrum pendet, & lapso videri potest, quàm lapsuro similior. Putans enim se sibi sufficere, neque aliorum instar DEI auxilio indigere, meretur ab hoc deseri, tanquam ab illo, qui *superbis resistit, humilibus autem dat gratiam*: (1. *Petr.* c. 2.) idque si contingat, quid de illo ità deserto, & sibi duntaxat relicto expectari potest, nisi certus in malum lapsus? *Væ eis, cùm recesserò ab eis. Sinè me nihil potestis facere. Perditio tua ex te Israël: tantummodo in me auxilium tuum.* (*Os.* 9. *Joa.* 15. *Os.* 13.) Atque hinc est, quòd sancti viri omnes, quantò plùs eminebant virtute, tantò agnoscebant, & profitebantur magìs imbecillitatem suam: non fidentes illi magìs, quàm baculo arundineo confracto, *super quem si incubuerit homo, comminutus ingredietur manum ejus*: (L. 4. *Reg.* c. 18.) sed omnem spem suam constituentes in DEO, neque illo se arbitrantes minùs egere, quàm quivis egeat vir profanus, aut vitæ spiritualis tirunculus. Contrà verò ex sanctæ hujus diffidentiæ defectu tristes orti sunt casus complurium, egregiæ antea sanctitatis virorum; qui, quòd instar Luciferi plùs nimio sibimet placuerant, unà cum eodem è cæli altitudine

in tartari profunda ruerent præcipites: adeò ut cuilibet eorum aptari illa possit funesta exprobratio, (*Ezech.* 28.) *Elevatum est cor tuum in decore tuo. Perdidisti sapientiam tuam in decore tuo. In terram projeci te. Omnes, qui viderint te in gentibus, obstupescent super te. Nihili factus es, & non eris in perpetuum.* Exosus quippe vecordem illorum arrogantiam DEUS in suis eos, quibus stultè confidebant, junceis viribus dereliquit, ut experti saltèm discerent, quàm nihil per se possent: nec aliud, quàm liberale DEI munus fuisse, quidquid boni antea possederant: jure ipsis ablatum, quòd illud non eleemosinam ab eo sibi impertitam, sed suæ fructum virtutis crediderint.

4. Neque ullum ambigendi de hac re nobis locum relinquunt Hagiographi codices, pleni undique, ùt D. Augustinus animadvertit, terrificis contra inanem sui fiduciam sententiis. (*L. 3. de Doct. Chr. c 23.*) *Nulla enim ferè pagina sacrorum Librorum est, in qua non sonet, quòd* DEUS *superbis resistit.* Talis illa est Regii Prophetæ DEUM sic alloquentis, (*Ps.* 17.) *Quoniam tu populum humilem salvum facies, & oculos superborum humiliabis.* Talis ea Salomonis, secundùm quam (*Prov. c.* 16.) *Abominatio* DEI *est omnis arrogans*, quæque in

Ec-

Ecclesiastico æquivalentibus verbis repetitur, (*c. 10.*) *Odibilis coram* DEO *& hominibus est superbia,* Talis Jeremiæ, qua *maledictus homo* dicitur, *qui confidit in homine*: (*c. 17.*) cujusmodi est, teste D. Augustino, quisquis confidit in se ipso. Talis Abdiæ, dejectum iri affirmans, qui superbè se extollit: (*c. 1,*) *Superbia cordis tui extulit te, qui dicis in corde tuo, quis detrahet me in terram? Si exaltatus fueris ùt aquila, & si inter sidera posueris nidum tuum, indè detraham te, dicit Dominus.* Talis denique, nè longior sim, notissima illa apud D. Lucam ipsiusmet divini Verbi sententia, universè, ac disertissimis verbis pronuntians: (*c 4.*) *Omnis, qui se exaltat, humiliabitur.* Unde mirum non est, quòd Cassianus definiat, (*Coll. 5. c. 14.*) *Impossibile esse, de qualibet passione triumphum quempiam promereri, priusquam intellexerit, industriâ, vel labore proprio victoriam certaminis semet obtinere non posse:* imò addat præterea: justo DEI punientis judicio, (*L. 12. c. 22.*) *Omnem animam, quæ superbiæ fuerit tumore possessa, nequitiis spiritualibus tradi, eámque passionibus carnis involvi: ut saltèm vitiis humiliata terrenis, immundam se carnaliter, pollutámque cognoscat, quæ tepore cordis erecta immundam se in conspectu* DEI *per elationem mentis effectam,*

intelligere antè non potuit. Quod puniendi genus ſcitè D. Thomas declarat exemplo argumentationis dictæ in ſcholis, *per reductionem ad impoſſibile.* Nam, quemadmodum ibi *convincitur aliquis per hoc, quod ducitur ad inconveniens magis manifeſtum;* ità ſic DEUS, *ad convincendam hominum ſuperbiam aliquos punit, permittens eos ruere in peccata carnalia, quæ, etſi ſint minora, manefeſtiorem turpitudinem continent.* (*2. 2. qu.* 162. *a.* 6. *ad* 3.)

5. Quanquam quid opus eſt ſacris Literis ad intelligentiam veritatis adeò per ſe ipſam manifeſtæ, ut neque ethnicos ſapientes latuerit? Non latuit certè Chilonem: quippe qui interrogatus, quidnam faceret DEUS, reſpondiſſe fertur, (*Laërt. L.* 1.) *Excelſa deprimit, & humilia extollit.* Non latuit Platonem, cujus ſententiâ, (*L.* 4. *de Leg.*) *Qui ſuperbiâ efferfertur, tanquam nullo Principe, aut rectore indigeat, is à DEO prorſus deſeritur.* Non latuit Artabanum, Xerxis Conſiliarium, qui ſuo quoque illam Regi perſuadere conatus eſt, docens, funeſtis eventibus ſuperborum hominum conſilia multari ſolere, (*Herod. L.* 2.) *Præterea quòd DEUS neminem præter ſe patiatur, magnificè de ſe ipſo ſentire.* Neque ignota Sophocli fuit, à quo tragicæ Ajacis inſaniæ non

alia

alia affertur cauſa, nisi immodica, & inſolens ſui confidentia. Dum in diſceſſu ad bellum Trojanum, monitus à Patre Telamone, ut ſi re bene geſta victor reverti domũ vellet, Deorum ſibi auxilium conciliaret, iniquo animo tulit, aſpernatúſque commonitionem eam eſt, tanquam ſuæ injurioſam virtuti, nec nisi timidis, & inertibus congruentem, reſpondens: *Pater, etiam nihili homo Diis adjuvantibus vinceret.* (*In Aja. Maſtyg.*) Quæ mentis elatio utinam nè multos quoque ſpiritualium hominum ſuo afflaret veneno. Illi certè ſat perſpicuum ejus ſpecimen dant, qui audientes ſibi commendari, ut ad ſeſe à peccati labe tuendos illius occaſiones fugere, & divinam opem implorare aſſiduis precibus curent; caput quaſſant, & vel diſertis vocibus, vel tacito oris abnutu reſpondent, hujuſmodi artes novitiis DEI famulis neceſſarias, ac proinde inculcandas eſſe. Se quidem nihil habere, cur de iis admodum ſoliciti ſint: utpote qui longo ſuperandi vitia, & dæmonem uſu, puros ſceleris vivere, conſuetudinem ſibi, & naturam quodammodo fecerint.

6. Quandoquidem igitur tam conjuncta hæc hæc duo eſſe invicem vidimus, ut nempe ſatis quiſpiam ſibi virium eſſe ad vitandum pec-

peccatum existimet ; útque idem à DEO in peccatum labi sinatur ; quisquis impensè DEUM amat, quàm cordi habet graves quaslibet illius offensas effugere, tam cavere à vana æstimatione, & confidentia sui debet : nunquam audens, quantocunque se virtutis, & voluntatis robore instructum sentiat, tutiorem se à lapsu, & divinæ opis minùs indignum arbitrari, quàm quilibet alius è vulgo hominum sit : sed instar oraculi habens illud D. Augustini effatum, (*Hom. 23. inter. 50. tom.* 10.) *Nullum est peccatum, quod fecit homo, quod non possit facere alter homo, si desit Rector, à quo factus est homo.* Cùm certissimum sit, quidquid virtutis, & bonæ habitudinis in præsenti obtinet, ut nequaquam propriis viribus acquisitum sibi ab ipso est, sed à gratuita DEI liberalitate acceptum ; sic neque propriis suis viribus, & absque novo DEI munere in futurum conservari ab eo posse : simili pacto, atque aër nec per se ipsum, sed solis beneficio lucem suam habet ; nec per se ipsum, & absque nova ejusdem largitione retinere illam potest : ità nempe comparatis tum externa, & solari, qua aër ; tum interiori, & divinâ, qua animus perfunditur luce ; ut neutra semel in perpetuum donetur, sed ambæ novo in singula momenta, &

gra-

gratuito ſemper munere impertiri debeant : abſque ullo jure, eò quò in præſenti eam percipiant, eandem quoque vel in uno quopiam futuri temporis punćto accipiendi. Gratias Deo itaque humiliter age de bona hac mentis, animíque habitudine, quam nunc experiris, velut de munere à gratuita, & peculiari illius benignitate tibi collato; ſed noveris ſimul, poſſe illam in te extemplo deficere, nisì novo, & æquè gratuito, ac liberali ejuſdem munere conſervetur : & ad novi hujus muneris continuationem obtinendam nihil tibi fore opportunius, quàm ſi perſuaſum habeas, non tibi id faciliùs ereptum iri, quàm ſi ſatìs in te uno habere te præſidii confidas. Felix enim verò, & rerum ſuarum bene providus, qui non tunc demum, poſtquam præſentis ſuperbiæ pœnis malè multatus fuerit, ſuarum virium imbecillitatem agnoſcit; ſed hanc ſemper profitendo debitas ſuperbis pœnas evadit. Quantò ſatiùs eſt per ultroneam animi demiſſionem coram DEO ſe humi proſternere, quàm à DEO in arrogantiæ vindictam proſterni ? *Utinam* (ait D. Bernardus) *omnem in me extollentiam deprimat, imò dejiciat, atque ad nihilum redigat non accenſus furor, ſed infuſus amor. Utinam diſcam non ſuperbire, ſed unctione, non ultione magiſtra.* (*Serm. 69. in Cant.*)

7. Non

7. Non tamen ſat eſt ad evadenda peccati diſcrimina propriæ virtuti diffidere, ſed oportet præterea (quod tertium eſt, & imprimis neceſſarium præſidium) humiliter, enixè, perpetuò, & confidenter divinam opem implorare, ut quæ ſola humanæ imbecillitati invictum robur addere contra hoſtilem quamcunque vim poteſt. *Qui docet manus meas ad prælium: & poſuiſti ùt arcum æreum brachia mea.* (*Pſ.* 17.) Et quanti momenti hoc præſidium ſit, luculenter declarat tum nobilis illa, quæ ſub D. Auguſtini nomine circumfertur ſententia; (*Serm. de Temp.* 226.) *Oratio juſti clavis eſt cæli. Aſcendit precatio, & deſcendit* DEI *miſeratio*: tum multò adhuc luculentiùs illud Chriſti ipſius monitum. (*Luc.* 22.) *Orate, nè intretis in tentationem.* Ex quo D. Petrus Chryſologus rite collegit, (*Serm.* 43.) *In tentationem vadere, qui ad orationem non vadit,* Sed neque dubitari poteſt, quin quatuor illas conditiones, quas ego ſuprà indicavi, debeat ſibi adjunctas habere. Nam primùm, quantò humilior eſt oratio, tantò benigniùs à DEO excipitur, cui, teſte Juditha, (*c.* 9.) *Humilium, & manſuetorum ſemper placuit deprecatio*: quippe, ùt habemus in Pſalmo 101. *Reſpexit in orationem humilium, & non ſprevit preces eorum,*

Qua-

Quare etiam Ecclesia, quò plus efficacitatis addat suis precibus, ab humilitate exordiri illas solet: inter prima statim verba profitens, nihil boni, atque recti posse nos ex nostra virtute citra ipsius auxilium sperare, prout videre in his est solennium orationum principiis: *Omnipotens, & misericors* DEUS! *de cujus munere venit, ut dignè tibi, & laudabiliter à fidelibus tuis serviatur. Protector in te sperantium* DEUS, *sinè quo nihil est validum, nihil sanctum.* DEUS *qui nos in tantis periculis constitutos pro humana scis fragilitate non posse subsistere. Deus, qui conspicis, quia ex nulla nostra actione confidimus. Deus, qui conspicis, omni nos virtute destitui:* & ejusdem sententiæ aliis, quibus & nos uti, dum privatim oramus, expediet. Secundò neminem latet, cùm peccatum sit mali gravissimi, nec sinè divino auxilio evitabilis genus; hoc auxilium peti debere non animo remisso, & instar dicentis, si libet poscenti gratificare: sin aliter, repulsam facilè patiar: sed instanter, & cum ea solicitudine, quam meretur rei magnitudo. Nam neque quisquam libenter beneficio afficit, quem parùm fore sibi gratum prævidet; nec satìs gratus fore pro beneficio existimari potest, qui se illud parvi pendere ostendit; nec magni se aliquid facere ostendit,

dit, qui frigidè, oscitantérque illud petit. Audi Salomonem : *Cum obsecrationibus*, ait, *loquetur pauper.* (*Prov.* 8.) Non orat quomodocunque, sed obsecrat, neque una duntaxat, sed multiplici obsecratione utitur, qui agnoscit se pauperem. Tertiò certum quoque est, utì nullo non tempore à salutis nostræ hostibus oppugnamur; sic opus nobis esse, ut assiduè arma in promptu habeamus. Neque ullis nos meliùs, si D. Cypriano fides habenda est, tueri armis possumus, quàm fusis coram Deo precibus. (*Ep. 57.*) *Incumbamus*, ait ille, *gemitibus assiduis, & deprecationibus crebris. Hæc sunt nobis arma cœlestia, quæ stare, & perseverare fortiter faciunt. Hæc sunt munimenta spiritualia, & tela divina, quæ protegunt.* Quamdiu hæc tractamus, superiores in certamine nostris hostibus sumus. Quandocunque hæc deponimus, ipsi prævalent nobis. Exemplum habemus, inquit Abbas Rupertus, in Moyse: qui fervente adversùs Amalecitas prælio, quoad erectas in cælum manus teneret, Israël vincebat: sin verò eas demisisset, ad hostes inclinabat victoria. Ità sanè: *Orat Moyses, & vincit: cessat, & vincitur. Didicit Christianus, quid agat: invenit, quid fugiat. Didicit, inquam, unde aut vincatur, aut vincat.* (*Lib. 3. in Ex. c. 20.*) Postre-

ſtremò, quod attinet ad divinæ benignitatis fiduciam, quàm & juſta illa ſit, & efficax ad certò impetrandum, quidquid à DEO flagitat, manifeſtè ex iis patet, quæ alibi ſuo loco diximus: quibus rite poſitis, admiſsíſque, nè palàm oſtenderet, à ſe omnino ignorari, quiſnam, & cujuſmodi DEUS ſit, infinitæ nimirum bonitatis, opulentiæque Dominus, profeſſus in filiorum nos loco ſe habere, adeóque cupidus ſuis nos ditandi muneribus, ut ad ea, quandocunque ſit opus, petenda nos provocet, & pollicitus inſuper, quidquid rite petierimus, conceſſum nobis à ſe iri: has omnes, inquam, illius conditiones omnino ignorari à ſe oſtenderet, fingens ſibi in ſua imaginatione, pro eo idolum quoddam ab eo prorſus diverſum, qui eum intrà ſe conciperet, adeò immitem, adeò avarum, adeò infidelem, adeóque à ſe ipſo diſcrepantem, ut poſt acerbiſſimam mortem ultro in cruce obitam pro nobis à peccato eruendis, ſineret nunc in illud nos prolabi non minùs, quàm ſi lapideum cor haberet ad obſecrationes, & clamores, queis tanto in diſcrimine opem ſuam imploramus: póſtque teſtatiſſimam nobis fidem datam, nulli ſe noſtræ petitioni non ſubſcripturum; hanc audire nollet, ſed irritam

prorsus rejiceret, quæ plùs omnibus aliis & noſtra intereſt, & ad ipſius gloriam refertur, utpote à nobis ex intimo erga ipſum amore, vitandæque offenſæ ipſius ſtudio concepta. Arceat, quæſo, arceat ille à noſtris mentibus opiniones, ſpeciéſque tam abſurdas, alias earum locò conſtituens juſtiores, & quæ infinitam bonitatem ipſius magìs deceant: adeò ut nè omittamus, debita cum ſubmiſſione animi, inſtantiáque, & aſſiduitate divinam illius opem ad gravia, ac quævis crimina devitanda implorare: nihil deinde ambigentes, quin à Patre amantiſſimo pro temporum opportunitate adjuvandi ſimus, atque ità uſque ad mortem, quantacunque noſtrarum virium imbecillitas ſit, in præſenti erga eum fide, & charitate manſuri. *Clamavi ad te, ſalvum me fac, ut cuſtodiam mandata tua. Fortitudo mea, & laus mea Dominus, & factus eſt mihi in ſalutem. Non moriar, ſed vivam, & narrabo opera Domini.* (*Pſ. 118. & 117.*)

8. Subit hinc quartum præſidium, ſolicita nimirum, & provida eorum omnium fuga, quæ ad peccandum incitamento eſſe poſſunt: præſidium à D. Paulo commendatum iis verbis Epiſtolæ ad Epheſios, (*c.* 4.) *Nolite locum dare diabolo*, & maximè omnibus, queis ani-

animi integritas cordi est, necessarium. Nam per vias lutulentas incedere, neque sordis quidquam contrahere, conversari cum hominibus peste infectis, nec ulla morbi contagione afflari, tractare aspides, & viperas, nec virulento unquam morsu appeti, eventus sunt, ut cum Cassiano loquar, (*Coll.* 19. *c.* 8.) *non tam pro exemplo, quàm pro miraculo proferendi.* Rectè Salomon, (*Prov.* 6.) *Numquid potest homo abscondere ignem in sinu suo, ut vestimenta ejus non ardeant, aut ambulare super prunas, ut non comburantur plantæ ejus?* Qui vitare peccatum in votis habet, occasiones quoque illius vitet, necesse est, & si ad has propiùs accedit, in illud quoque incidit. Ità pronuntiavit Ecclesiasticus universè affirmans, (*c.* 13.) *Qui tetigerit picem, inquinabitur ab ea: &, qui amat periculum, in illo peribit.* (*c.* 3.) Imò ità suomet ipso ore pronuntiavit DEUS, Israëlitis testatus, si idololatras uxores duxissent, earum idololatriæ haudquaquam immunes futuros: (L. 3. *Reg. c.* 11.) *Non ingrediemini ad eas, neque de illis ingredientur ad vestras; certissimè enim avertent corda vestra, ut sequamini Deos earum.* Quare etiam, ut eosdem à prædictæ superstitionis contagio tutiores redderet, non satis habuit severè iis interdicere, nè ullum idoli

genus penes se haberent, sed & ipsum aurum, argentúmve, quod idoli materia olim fuisset, habere vetuit. (*Deut. c.* 7.) *Sculptilia eorum igne combures. Non concupisces argentum, & aurum, de quibus facta sunt, neque assumes ex eis tibi quidquam, nè offendas. Nec inferes quidquam ex idolo in domum tuam, nè fias anathema, sicut & illud est. Quasi spurcitiam detestaberis, & veluti inquinamentum, ac sordes abominationi habebis.* Usque adeò magni esse momenti ad vitationem mali duxit, abominari, procúlque à suo usu, & conspectu habere, quidquid, quomodocunque ad illud spectaret.

9. Præterquam quod nemo inficiari potest, occasionem peccati, etiamsi ad illud perpetrandum nos minimè pertrahat, in illius tamen periculum nos semper conjicere: & consequenter, quantò ab ea longiùs recedimus, tantò etiam tutiores à peccato sumus. Cur ergo, qui ardenter DEUM amat, non esse quàm remotissimus à periculo, ac proinde etiam tutissimus ab actu offendendi illum velit? Saltèm dubitari non potest, quin tali cura, atque studio magìs illum à se amari, demonstraturus sit. Carthaginenses, cùm literas de proditione suæ urbis ab aliquo civium ad Dionysium Siciliæ tyrannum græcè scriptum

ptas deprehendiſſent ; (*Juſtin. L. 20.*) lege caverunt,nè in poſterum ulli ſuorum fas eſſet, græcum ſermonem addiſcere : quò nimirum, ſublato ità cum hoſtibus coñercio , omnis ſimul eis auferretur , tametſi cæteroqui voluiſſent , facultas agendi, & ſociandi conſilia cum iiſdem in patriæ perniciem. Simili ratione divinus quoque amor exigit , ut ſubjectæ ſibi animæ nedum voluntate , ſed quantùm fieri poteſt, etiam facultate careant,quidquam contra ſe moliendi : prohibens idcirco , nè cum ſuis hoſtibus non modò proditionis conſilia ineant ; ſed neque commercii quidquam inſtituant , eorúmque vel linguam noverint. Sapienter D. Hieronymus : *Quid neceſſe eſt* , inquit , *certa dimittere , & incerta ſectari ? Tu , qui pugnas , & ſuperari potes , & vincere. Ego , cùm fugero , non vincar in eo , quod fugiam : ſed ideò fugio , nè vincar. Periculoſa ſecuritas eſt , vicino ſerpente dormire. Poteſt fieri , ut me non mordeat. Sed poteſt fieri , ut me aliquando mordeat.* (*Cont. Vigil.*)

10. Non tamen argumenta me fugiunt , quibus ſolent nonnulli ſuam in peccati occaſionibus , & periculis adeundis, libertatem tueri. Dicet primò aliquis , ità ſe animo comparatum , cúmque voluntate tam certa Deum

non offendendi illò accedere ; ut impossibile quodammodo existimet, tam subitò in contrarium mutari. Admitto vera esse, quæ prædicat. Sed quonam pignore cautum ipsi est, eum animi habitum, quem extra peccandi occasiones, & illecebras rectum adeò experitur, talem prorsus sibi esse in mediis quoque illis mansurum? Itáne ex tragicis Davidis, Jacobi Eremitæ, aliorúmque Heroum lapsibus nondum didicit, quàm miræ efficacitatis sit delectabilium objectorum præsentia ad pervertendam rationem, ad subjiciendas sibi voluntates, & ad infatuandas quodam quasi magico carmine, & sapientissimorum hominum mentes? *Grave malum, nec expugnabile, neque ulla virtus. Optimum fugere ab ea.* (*Odyss. L. 12.*) Dici etiam de ipsâ potest, quod de Scylla Græcus cecinit Vates. Bella sanè conclusio: absente delectabili objecto certus animi sum illius lenociniis obsistere; ergo talis etiam præsente illo ero. Nimirum perinde hoc est, ac si quis diceret, nunc, quando sum sobrius, impossibile mihi existimo, hanc vel illam rem admodum indecoram publicè agere. Ergo non minùs impossibile mihi erit etiam ebrio. Nemo quippe non illi responderet, ità profectò, si inter ebrietatis vertigines non minùs sa-

ſanam, & integram, quàm ſobrius mentem haberes, nec potiùs, qualis eſſe tunc ſolet, perturbatam, ſuíque impotem. *In omnibus à voluptate cavendum eſt. Non enim de ea incorrupti judicamus*, (*L. 2. Eth. c. 9.*) dignum pro oraculo haberi effatum Philoſophi eſt. Neque quòd aliquis ex peccandi periculis incolumis pluries evaſerit, juſtam ideo habet cauſam ſimilis eventûs ſibi in futurum ſpondendi: utì nec eo, quòd inſalubre naturâ cibi genus pluries ab aliquo guſtatum citra noxam fuerit, licet arguere, nihil etiam, ſi in poſterũ guſtetur, noxæ ipſi allaturum. Samſon quoque Philiſtæorum inſidias ter ſalvus, & victor evaſerat. (*Judic. c. 16.*) Sed, quòd hiſce fretus ſucceſſibus, eandem retentare aleam non timuerit, prædæ ad extremum, & ludibrio illis fuit. *Sapiens* (en quòd ſit Salomonis judicio ſapientis, ac ſtulti diſcrimen) *ſapiens timet, & declinat à malo. Stultus tranſilit, & confidit.* (*Prov. c. 14.*)

11. Verùm fac, quiſpiam certò ſibi poſſit promittere, ex quibuſvis peccandi occaſionibus ſe ſinè ulla gravi culpa abiturum; numquid pari ſecuritate is ſibi promiſerit, nihil etiam qualiſcunque ſpiritualis detrimenti ſeſe indè relaturum? Minimè quidem: nam ſicut

qui ſæpe camino aſſidet, poteſt quidem circumſpectè, cautéque ibi verſari, ut manus, veſtéſque non adurat; at non etiam, ut nullum indè unquam fumi halitum, odorémque attrahat; ſic, qui ad objecta peccato affinia frequenter accedit, eſto nunquam ab iis lethali noxa infectus diſcederet; vix tamen ſperari poteſt, futurum, ut nîl unquam maligni afflatûs ex eorum contagione illi adhæreſcat: nè ſcilicet crebrò peccatum intuens, minori ſenſim, minoríque cum abominatione, & horrore illud intueri aſſueſcat: nè in appetitu ſenſibili nonnullam identidem erga illud propenſionem experiatur; néve illecebroſa illius ſpecies menti interdum recurſet, & arma dæmoni ſuggerat ad ſe, ſi minùs vincendum, ſaltèm oppugnandum. *Cur tentavit ſatanas cor tuum?* (*Act. c.* 5.) Dixit olim Ananiæ Princeps Apoſtolorum Petrus, indicans hac loquendi ratione: ipſaſmet tentationes dæmonis culpæ obnoxias, & reprehenſioni eſſe, ſi ab hominis inconſiderantia, & temeritate originem ducant.

12. Dicent ſecundò alii: periculorum fugam tuti quidem, ſed inglorii genus præſidii eſſe: cùm extra ipſa facilis cuique, nec eximiæ laudis, & præſtantis meriti ſit morum integri-

tas,

tas. Debere itaque, qui satis confirmatus in hac sit, lacessere potiùs, quàm vitare certamina, in quibus exercere, ac probare illius præstantiam possit: neque semper imbellis ritu fœminæ extra teli jactum consistere, murorúmque munimentis suam incolumitatem tueri; sed ultrò in aciem prosilire, & cum salutis suæ hostibus manus conserere. Ità nonnulli differunt, *audaces potiùs, quàm fortes*, utì quemdam hujus generis D. Augustinus vocavit. (*L. 6. Conf. c. 8.*) Quibus primùm Cassiani verbis respondeo, idem esse occasiones præliorum, & occasiones vulnerum quærere. (*Coll. 11. c. 9.*) *Ubi enim est inquietatio bellorum, non possunt non etiam vulnerum intervenire discrimina. Necesse est enim, quempiam in conflictu situm, quamvis bellator sit, ac fortiter dimicans lethalia adversariis vulnera frequenter infligat, nonnunquam tamen hostili mucrone perstringi.* Neque subjiciant, hoc ipsum fortis viri esse, vulnera nempe, & mortem minimi facere. Esto quippe id concederetur de morte, & vulneribus corporis; at quis unquam dixerit, pertinere ad veram fortitudinem animi vulnera, & mortem, hoc est vitia, & peccata minimi facere: cúm certissimè constet, quantò quisque sit virtute præstantior, tantò ejusmodi

mala ab eo cautiùs vitari? Imò, si de ipsis quoque exterioribus præliis loquamur, non quisquis eorum pericula adit; generosi, ac fortis viri nomen promeretur, sed solùm, qui vel necessitate adactus, vel communis boni, alióve laudabili studio impulsus id facit. Nam, si nulla hujusmodi suppetat ratio, sed solâ ostentandæ fortitudinis causâ in quæcunque irruat mortis discrimina; næ is haudquaquam pro forti, atque strenuo, sed pro temerario verius, & stolido à sapientibus habetur. Apage à vera virtute thrasonicas hasce glorias, quæ animi exaggeratio esse in speciem videntur, cùm re ipsa consilii sint, & rationis defectus. *Nemo se falsa securitate decipiat: nemo de suis viribus periculosè præsumat, sed audiat Apostolum dicentem: fugite fornicationem. In hac parte expedit plùs bene timere, quàm malè fidere: & utilius est, ut infirmum se homo cognoscat, quàm fortis videri velit, & infirmus emergat.* (*Serm.* 250. *de Temp. in t.* 10. *S. Aug. & Lib. de singul. Cler. inter op. D. Cypr.*

13. Adde, quòd, cùm testante Jobo, (*c.*17.) *Militia sit vita hominis super terram*, neque dæmones, & pravæ cupiditates ullum nos oppugnandi faciant finem; quidnam, rogo, opus est, ut ad nostram periclitandam, prodendámque

que virtutem, quæsitum hostes eamus, qui vel minimè provocati assiduè nobis instant, jámque ex insidiis; jam aperta vi negotium facessunt? *Si mortuus est Diabolus*, inquit Augustinus, *mortuæ sunt persecutiones. Si autem adversarius ille vivit, unde non tentationes suggerit?* (*In Ps. 127.*) Sed quid dicerent audaculi isti periculorum contemptores, si admisso, quod affirmant, quærendas nempe ab hominibus probatæ, perfectæque virtutis spiritualium occasiones certaminum esse; contenderem nihilominus, à nemine illas quæri oportere, eò quòd nemini elatè adeò sentiendum de se ipso sit, ut probatæ, perfectæque virtutis se hominem putet? Certè equidem neque solida, & perfecta esse virtus sinè humilitatis fundamento potest; neque hoc fundamento niti, qui solidam, perfectámque virtutem sibi arrogat. Quapropter licet hoc dilemmate uti: vel satis certæ, & probatæ, vel ancipitis, dubiæque virtutis te esse arbitraris. Si dubiæ: peccandi occasiones, & pericula debes vitare, cùm sinè certa, probatáque virtute illis se objicere temerarii hominis sit. Sin autem certæ: illas non minùs debes vitare: cùm hocipsum, quod talem te existimes, argumento sit, parùm humilem, ac proinde non talem te esse.

Quor-

Quorsum igitur cum Laodiceno illo Antistite crepas: (*Apoc. c. 3.*) *Dives sum, & locupletatus, & nullius egeo*? Perinde quasi, qui cordis tui penetralia melius te ipso inspicit, nequeat, ceu illi quondam, sic & tibi exprobrare, *& nescis, quia tu es miser, & miserabilis: & pauper, & cæcus, & nudus.* Ah disce ex Apostolo, qui se pluris nihilo facit, deceptorem sui esse, *qui se existimat aliquid esse, cùm nihil sit, ipse se seducit.* (*Ad Gal. c. 6.*) Scitè olim Panetius adolescenti, à quo rogabatur, essétne sapientis amare: *De sapiente*, inquit, *videbimus. Mihi, & tibi, qui à sapiente longè absumus, non est committendum, ut incidamus in rem commotam, impotentem, alteri emancipatam, vilem sibi.* (*Sen. Ep. 116.*)

14. Quod si hactenus dicta alicui non sufficiunt, nego demum cum D. Ambrosio, imbecillæ virtutis rem esse, occasiones peccandi fugere: quin addo, majus à virtute fortitudinis suæ specimen dari, dum eas cautè declinat, quàm dum præter causam, & temere adit. *Non erubescamus*, inquit sanctus Doctor, *fugere: gloriosa enim fuga est, fugere à facie peccati.* (*De fug. Sæc. c. 4.*) Neque non in promptu ratio rei est: cùm enim tantò firmiorem, perfectámque magis virtus se probet, quantò plùs

plùs aversatur, majoríque odio prosequitur vitium; nemini esse dubium potest, quin peccatum plùs oderit, qui non modò ab illius voluntate, sed & à periculis illud volendi procul se habet, quàm qui contentus illud non admittere, ad illius incitamenta, & occasiones ultrò accedit. Cùm hic pravam sensibilis sui appetitûs in vetita objecta propensionem aliquatenus foveat, naturalem illam saltèm, quæ ex eorum præsentia, & vicinitate proficiscí solet, delectationem ipsi permittens: prior verò ex summa peccati abominatione nihil usquam nativæ erga illud proclivitati indulgeat, sed ab omni, quantùm fieri potest, illius sensu, cogitatione, & aspectu genium compescat. Unde etiam dilucidiùs apparet, cur facilè in peccatum labatur, qui sua sponte in illius pericula, & occasiones se conjicit. Nam præter majorem vim, qua appetitus rapi solet, ab objectis delectabilibus, cùm ea habet præsentia; illud ipsum ad ea propiùs accedere, intérque ea securè, & indifferenter versari, perinde est, ac cum iis pugnam inire, minori eorum odio armatum, minúsque ad ea superanda validum, imò dimidia ex parte jam victum, nec difficilem penitùs vinci. Quapropter, si Fabius ille, qui Romanam cunctando

do restituit rem, *novam*, ùt observat Florus, *de Annibale victoriam commentus est, non pugnare*, (*L. c. 6.*) ipsúmque, ceu ab alio scriptore colligitur, illius *non dimicare*, *fuit vincere*; (*Val. Max L. 7. c. 3.*) multò idem verius in spirituali militia usuvenit; cùm nemo hic fortiorem se prodat, & illustriori potiatur victoria, quàm qui pugnas cautiùs vitat, & ab hoste longiùs recedit.

15. Supereſt, ut curemus ab errore deducere, & ad saniora revocare consilia, si quis fortè diceret, se peccandi occasiones haud metuere divina ope fretum, quæ & humanæ cuilibet imbecillitati confirmandæ par est; neque ulli, quemadmodum paulò antè affirmavimus, eam rite imploranti negatur. Respondeo itaque homini, æquissimam procul dubio fore eam fiduciam, si ipse necessitatis vi, aut honesta, & gravi ratione impulsus, peccandi pericula adiret. Sed falsam, & inanem omnino esse, si nulla urgente idonea, & probabili causa suæ unius temeritatis suasu in prædicta discrimina irruat. Aliud quippe est, prout neminem fugit, DEUM orare, aliud verò eundem tentare: neque ille posteriori hac, sed priori illa ratione agenti se adfuturum spopondit. Orat DEUM, qui ejus poscit auxili-

lium, quando hoc necessarium est: nempe in periculis, quæ nec vitare, nec superare suis viribus valet: ùt exempli gratiâ, cùm fallente vestigio in immane barathrum prolabi se videns, à præsenti exitio vindicari divinitus flagitat. Tentat verò DEUM, qui præter necessitatem servari ab eo petit: nempe in periculis, quæ, cùm declinare posset, ultrò tamen per temerariam adfuturæ sibi divinæ opis fiduciam adit: veluti, si quispiam è summo Vaticanæ basilicæ tholo se deorsum præcipitem mitteret, tanquam à DEO, cujus nomen imploravit, benignè sustentandus, & humi deponendus incolumis. Age jam quid discriminis inter tuam peccandi pericula ultrò adeuntis temeritatem, & spontaneam prædicti hominis è Vaticani templi fastigio præcipitationem potes afferre? Sanè si altera alteri comparetur, neque mali gravitas, cujus aditur periculum, neque libertas in hoc se conjiciendi, neque impotentia ex eodem propria duntaxat virtute evadendi minor potest in tuo, quàm in facto illius credi. Si ergo illum increpares, quasi plùs nimio præfidentem, quique DEUM tentet, supervacua, & præter causam miracula exigens, nec arbitrareris, concessum illi à DEO iri, quod spe tam

su-

ſuperba præſumit auxilium, quídni de te quoque idem ſentire, & loqui debeas, qui undecunque ineatur comparatio, tam ſimilibus lineamentis eum refers? Ah nè, quæſo, fallaciſſimæ ſpei velimus coñittere tanti rem momenti, quanti eſt divinæ gratiæ poſſeſſio: nec parvi adeò muneris locò exiſtimemus, in quavis egeſtate, & inopia à DEO nobis ſuccurri, ut eum noſtræ etiam temeritati inſervire velimus. *Ità nobis* (verba ſunt libri *de ſingularitate Clericorum*, D. Cypriano adſcripti) *ità nobis ſpiritualis fortitudo collata eſt, ut providos, non ut præcipites tueatur. Cuſtos nobis datus eſt ſpiritus, ut contraria declinantibus aſſiſtendo ſubveniat, non ut contraria eligentibus faveat: nec ut voluntarios, & pronos in adverſa confortet, ſed ut nitentes ab adverſis ſeparari confirmet. Nam quicunque perniciosis conatibus audet exercere virtutem, juvamen non habet Spiritûs ſancti, quinemimem vult ultroneum ad fraudulentas victorias coarctari: nec protegit, ſed deſerit, quem periculis irruentem per illicitos eventus exquirere triumphos agnoverit.*

16. Subdo pro dictorum confirmatione, & coronide, quòd, eſto aliquis divinitus nôſſet, nihil ſe omnino ſpiritualis detrimenti ex quibuſvis peccandi occaſionibus relaturum; non

non deberet tamen, si DEUM ex toto corde amat, summóque odio peccatum aversatur, ad ullam ejusmodi occasionum accedere, sed ab iis omnibus, quàm longissimè potest, refugere. Simili ratione, ac mulier mariti, pudicitiæque amans nequit sinè stomacho ullam hujus contaminandæ, & à pacta illi fide recedendi mentionem audire, sed venenati instar colubri horret, ac vitat, quicunque ad id flagitii vel obscuro nutu se instiget: quamvis certissima alioqui sit, nullis hujusmodi instigationibus vel tantillum à tuendæ honestatis constantia dimotum se iri. Aut veluti nemo ex nobis induci se sineret ad pernoctandum in cubiculo, ubi dæmon sub tetra, & horribili specie apparere solet, quanquam cæteroqui nè minimâ quidem noxâ ab eo præsente se afficiendum sciret, dicens secum: esto nulla ille vi læsurus me sit; satis tamen, supérque me contristat, & lædit, vel solo visu percipere monstrum tam deforme, hostem tam ferum neminem fortè vestrûm (Athenienſibus suis dicebat Demosthenes) venenifero dente serpens momorderit, Deósque oro, nè quid tale unquam vobis contingat; nihilominus, si quam ex maleficis hujusmodi bestiis obviam habeatis, saxa illico, & fustes in illius necem

arripitis. (*Or. 1. in Ariſtog.*) Unde colligebat, debere unumquemque ità hoſtiliter adversùs calumniatores tanquam genus publicè exitioſum ſe gerere, eóſque è civitate exterminatos funditus velle, licèt nihil mali privatim ab iis paſſus ſit. Ut & ipſe indidem colligo, debere unumquemque, qui ſummam peccati malitiam probè intelligit, illud ſimiliter deteſtari, etiamſi nihil ab eo damni metueret. Ità planè hoc proprium eſt, maximéque certum extremæ abominationis, & capitalis odii argumentum, non modò nullam cum exoſo objecto amicitiam, & conjunctionem velle; ſed nè aſpectum quidem, & viciniam illius poſſe, imò neque umbram, & ſonum nominis pati. Quare D. Paulus commendabat Epheſiis, ut pro peculiari abominatione quibuſdam vitiis debita, vel ipſum eorum nomen ſuo ab ore, auribúſque proſcriberent: (*c.* 5.) *Fornicatio autem, & omnis immunditia, aut avaritia nec nominetur in vobis, ſicut decet Sanctos.* Et revera fideles DEI ſervi, atque amici, ceu quamcunque ejus offenſam nullo non malo plùs oderant; ſic, ubi extremam invictiſſimi objecti fœditatem mente, ſenſibúſque perciperent, non animum ſibi modò, ſed & ipſum corpus ſentiebant inſolito, & lethali propemodum hor-

horrore constringi. Qualis inter alios fuisse fertur B. Stanislaus Kostka: (*Bart. in Vit. L. 1. c. 2.*) usque adeò à pueritia cujusque obscœnitatis impatiens, ut, si quando in communi hominum consuetudine sermonem ea tinctum audiret; non aliter, quàm si venenifero halitu percelleretur, semianimis humi corrueret. Et qualis itèm B. Catharina Genuensis, cui cùm DEUS vivida sub imagine incomparabilem ostendisset suæ cujusvis vel minimæ offensæ turpitudinem; (*in Vit. c. 27.*) præ angore animi, quem indè conceperat, in gravem morbum decidit, nec procul à moriendo abfuit. Quapropter, si omnem tu jumenti, vel canis mortui, inque via putrescentis occursum studiosè devitas, neque solùm nunquam sponte accederes, ubi aliqua hujusmodi tabes auram nidore suo inficit; sed si fortè illò casus nescientem tulerit; vultum avertis, os, narésque manu comprimis, & gressum quàm citissimè transiturus acceleras; contrà verò citra ullum horrorem, ea ultro loca, & commercia frequentas, ubi, esto non pecces, peccati tamen præsentiam, sensum, memoriam, & cogitationem nequis effugere; quanam fronte profiteri audes, aut quisnam profitenti credet, nihil tibi usquam tetrum adeò, invi-

súmque, & abominandum posse objici, quin eo DEI offensam plus horreas?

17. Sed enim verò, quantumcunque cautionis, & diligentiæ homo adhibeat, fieri non potest, ut quaslibet peccandi occasiones declinet. Offendicula siquidem, laqueósque, & insidias non modò ubivis locorum reperimus, sed in nostris quodammodo pedibus circumferimus, juxta illud Ecclesiastici, (*c. 3.*) *Cave tibi, quoniam cum subversione tua ambulas.* Et *adversarius noster diabolus, quasi leo rugiens*, non expectat, ut ad spælei sui ostium incautè accedamus: sed furioso in omnes latè partes discursu *circuit quærens, quem devoret.* (*1. Petr. c. 5.*) Postquam ergo DEI servus pro viribus cavit, nè quam seu ipsi, seu pravis cupiditatibus se oppugnandi ansam præbeat; reliquum est, ut cùm dicti hostes bellum ultro, & arma sibi inferunt (quæ ultima divinæ gratiæ tuendæ ratio est) virili, strenuóque iis animo obsistat. Quo in certamine illud ante omnia providendum est, ut aggressionem hostilem quàm celerrimè, & sua inter primordia repellat: minimè eam negligens, quòd tunc instar rerum omnium nascentium tenera, & debilis sit: sed hac ipsa de causa properans etiamnum imbecillam, priùs quàm invalescat, elidere: ne-

neque tunc primùm arma capiat, cùm tumultuari, & miſcere omnia intrà animum ſentiet, ſed potiùs Euangelici illius propugnatoris ritu, qui *armatus cuſtodit atrium ſuum*, vel ab acceſſu ad fores, nedum ab ingreſſu, & irruptione in penetralia ipſam prohibeat. Providendum id, inquam, illi eſt, ceu res perquam maximi momenti. Peccati ſiquidem cogitatio, quando primùm mentem pulſat, haud magno conatu, & negotio rejicitur: síque id protinus fiat, confecta jam plerumque pugna eſt. At, ſi paululùm ei moræ indulgeatur, incredibile dictu eſt, quantum brevi illo tempore virium acquirat, quanóque majori labore opus ſit ad eam expellendam, ubi jam animo inſedit, quàm fuiſſet ad primò excludendam. Quid ſcintillâ contemptius vix ab igne prolapsâ? Quídque eâdem formidabilius per materiam ſibi idoneam graſſari aliquamdiu permiſsâ? Unico oris flatu extingui primùm poterat; nulla jam ars, neque vis debacchantem compreſſerit. Nè itaque, cui vincere cordi eſt, opperiatur, dum fœda imaginatio incipiat titillare, & ſuas in partes pertrahere appetitũ ſenſibilem: ſed primùm animadverſam ea celeritate abigat, qua ſcintillam, vel carbonem è tunica excuteret: nec minori cum

horrore ab ea mentem avertat, quàm retrò absiliret à viperæ occursu, *tanquam à facie colubri fuge peccatum.* (*Eccli. c.* 21.) Hujusmodi verò horrorem haud tardum illi erit concipere, si tentationis objectum intueatur, non secundum illecebrosam speciem, sub qua à dæmone exhibetur, nempe ùt lusum ætatis, ùt genii oblectamentum, ùt expletionem naturæ: sed quale illud fides, ratióque esse docet, actionem nimirum DEO injuriosam, æquitati contrariam, brutæ pecudi congruentiorem, quàm homini, nullo non malo detestabilem magìs, & cui pro merito puniendæ neque æterna sint satìs inferorum supplicia.

18. Quòd si vel ex prædictæ cautionis neglectu, vel quòd tentatio solito vehementior sit, objecta peccati species imaginandi facultatem penitùs occupârit, validámque in appetitu sensibili erga se propensionem conciverit, nec ullis proinde tuis conatibus cedat, sed vix repulsa acrior ad pugnam redeat; tunc opus primò erit, ut DEI, sanctissimæque ejus Parentis, & aliorum cælestium Patronorum auxilium implores, humili, animosáque cum fiducia exclamans: *Salvum fac servum tuum DEUS meus sperantem in te. Clamavi ad te Domine: dixi, tu es spes mea: intende ad deprecationem*

nem meam, quia humiliatus sum nimis. Tuus sum ego, salvum me fac. Exurgat DEUS, & dissipentur inimici ejus, & fugiant, qui oderunt eum, à facie ejus. Respice, & exaudi me Domine DEUS meus: illumina oculos meos, nè unquam obdormiam in morte: nè quando dicat inimicus meus: prævalui adversùs eum. Quibus precationibus adjungendi identidem erunt pii actus voluntatis adversùs peccatum: ità ut detesteris ultra omne aliud malum tum quamcunque DEI offensam, tum eam nominatim, ad quam urgeri te sentis: firmissimè apud temet ipsum statuens, millies mori, quàm à debita cælesti tuo Domino fidelitate, & observantia descisscere: nihilque vehementiùs deplorans, & majorem appellans infelicitatem tuam, quàm quòd perfidus aliquando, & rebellis ei fueris.

19. Secundò consuesce tentationis, tanquam veneniferi cujusdam serpentis, non caput, sed ùt de alio serpente innoxio præceptum Moysi à DEO est, (*Exod. 4.*) *Caudam apprehendere*: peccati nimirum, quod tibi à tentatione suggeritur, non initia, sed exitus, & consecutiones spectare, differendo sic tecum: fingamus, quod avertat DEUS, diabolicæ huic suasioni me assensum præbere, quidnam indè fructûs percipiam? Voluptatem videli-

cet sordidam, turbulentam, insaniæ similem, ac præterea brevissimam, inque ipso penè suo ortu evanescentem. Et deinde quinam erit mei animi sensus? Quanto pudore æstuabo? quàm tristi pœnitentia mordebor? ut meæ cæcitati irascar? ùt remanebo anxius, pavens, divinæ gratiæ expers, tartareo hosti mancipatus, sempiternæ mortis reus, vilis coram Deo, coram Angelis, coram dæmone, coram me ipso? Talis certè exitus præteriti cujusque criminis fuit. Ità post eorum quodlibet mihi displicens, atque iratus remansi. Nè multa, diffiteri nequeo, hunc assensum perpetuæ in omnem vitam ægritudinis mihi causam futurum. Cur ergo id velim facere, quod certissimè scio, statim fore, ut nolim feciſſe? *Nè intuearis vinum, quando flavescit, cùm splenduerit in vitro. Ingreditur blandè, sed in novissimo mordebit ùt coluber.* (*Prov. c. 23.*)

20. Tertiò proderit quoque, si animadvertas, impulsionem istam, qua ad peccandum urgeris, proficisci à dæmone capitalissimo salutis tuæ hoste, qui, licèt videri à te nequeat, arcanis tibi vocibus dicit: indulge animo, carpe hujus voluptatis fructum: dicítque talia, non ideò, quòd tua hæc illi qualiscunque oblectatio cordi sit, sed ut eâ ineſca-

tum

tum ad æterna te rapiat inferorum ſupplicia: utpote qui nîl in votis aliud habet, ínque lucro ſuo ponit, quàm tuæ animæ exitium. Secundùm quam animadverſionem, vide, num conſentaneum rationi ſit, te ità gratificari adverſario tam immane in te odium gerenti, quíque, ſi obſecutus ei fueris, adeò de te in fraudem, ſuóſque caſſes perducto ſibi plaudet. Cùm, etſi nulla aliunde ſuppeteret cauſa abſtinendi à peccato, hæc una ſufficeret, ut dæmoni ægre faceres, nec, quam hoſtili animo expetit, ridendi de tuo lapſu materiam ei præberes. Certè equidem, ſi coràm ſpectabilis humano ſermone, diſertíſque verbis hoc tibi peccatum ſuaderet, ſubitus te horror ad ejuſmodi viſum corriperet: neque aut facere unquam velles, quod à tali authore ſuggeritur, aut alio argumento indigeres ad pernoſcendum, quàm id exitiale, & peſtiferum ſit. Quod ergo tentationis tempore non viſus, nec uſquam ſe prodens cordi tuo ingerit; imaginare, ab eodem, qualis fingi ſolet, ſeſe intuendum præbente, ipſiſmet auribus tuis inculcari; nec difficile experieris, eodem pacto illius tentationem excipere, quo ipſum præſentem exciperes: raptim ſcilicet crucis ſigno te muniens, omnem criminis ab eo propoſiti vo-

luntatem, etsi antea conceptam animo habuisses, subitò exuens, anxiáque cum trepidatione exclamans: Heu! diabolus hoc mihi suadet. Egóne ut suadenti diabolo obtemperem? JESU bone, DEIpara Virgo, succurrite.

21. Quartò, si tentatio ad nullum crimen re ipsa perpetrandum te stimulet, sed in mera criminum imaginatione consistit, quæ dæmon tibi repræsentet, tanquam si à te, vel ab aliis perpetrarentur, quò nimirum, voluptuosa, & lenocinanti illa specie seductus, per interiorem quempiam delectationis, seu desiderii actum pecces; si tentatio, inquam, hujus generis sit, necesse erit, ut mentem quantocyùs ab illecebrosis his somniis excutias, dicens tecum ipse: heus, quænam hæc deliramenta animi sunt? Nónne religiosam ego vitam profiteor? Nónne solus nunc in conclavi meo dego? Nónne hæc facinora à præsenti meo statu quàm longissimè abhorrent? Nónne semel in perpetuum valere illa jussi? Nónne omnem eorum occasionem, ipsámque adeò facultatem mihi abscidi? Cur itaque supervacuis, & abominandis eorundem phantasiis me ipsum nunc lucifer, imò etiam in discrimen peccandi conjiciam? Sanè Balthasar Alvarus consultissimus in nostra Societate animarum re-

rector, & vitæ ſpiritualis magiſter, religioſum tyronem ab importuniſſima, quam ſibi aperuerat, ducendæ uxoris tentatione non aliter expedivit; quàm admirabundo eum vultu aſpiciens, & pauca hæc ſubjicens, Religioſus, & maritus? Videntúrne tibi hæc duo ſatis invicem convenire? Apage ſis. (*In Vit. c. 19.*) Nec parvo contrà tales oppugnationes uſui erit, ſi ex iis verecundiæ, pudoríſque ſenſus animo haurias: reputans tecum, quænam familiarium meorum cogitatio, ac mens foret, à quibus in præclara virtutis æſtimatione habeor, & ab obſcœna libidine alieniſſimus putor, quid, inquam, ii ſentirent, dicerént-que, ſi fœdiſſimas haſce imagines introſpicere oculis poſſent, quæ me ſuo aſpectu occupatum, attonitum, & vix non iis arridentem adeò pertinaciter detinent? Quantùm hanc infirmitatem admirarentur, quantúmque ego de eadem coram iis erubeſcerem?

22. Quintò, cùm dæmon cogitationes blaſphemas, & orthodoxæ fidei averſantes immittit; optimum factu erit, omni altercatione dimiſſa animum protinus à captioſis hiſce tricis ad hilares, fervidóſque divinæ charitatis actus divertere: qui tantò opportuniores erunt, quantò minùs ad impias dæmonis pro-

po-

positiones speciatim confutandas videbuntur quadrare, neque ex harum timore concepti fuerint, sed quasi ex libero exercendæ virtutis studio. Occupatus quippe affectibus naturâ suâ jucundis, déque diverso prorsus genere, animus minori negotio tetra illa phantasinata excutiet, atque oblivioni mandabit. Unde etiam S. Joannes Climacus docet, similes tentationes contemptim esse potiùs, quàm trepidè, anxiæque abigendas: tantíque id documentum facit, ut affirmet, blasphemiæ spiritum victum credi posse, ubi fuerit contemptus, (*Qui hunc spiritum despicit, liber evasit:*) neque alia de causa innocuas, simplicésque animas specialiùs ab eo divexari ait, quàm quia eum magìs timent, illiúsque impugnationes molestiùs ferunt. (*Grad.* 23)

23. Sextò, universale, & inprimis efficax adversùs quæcunque dæmonis tentamenta alexipharmacum est, præstantes, & heroicos amoris erga DEUM actus elicere: decernendo exempli gratiâ, quàm firmissimè divinam illius voluntatem propriis quibusque cõmodis, & rationibus omnino neglectis ubique exequi: optando gravissimas quasque ærumnas, infectationes, contumelias, & cruciatus pro gloria ipsius perpeti: vel profi-

ten-

tendo, quamvis delectatio, ad quam stimulamur, nullum gravis noxæ reatum contineret; nunquam tamen inducturos nos animum eam degustandi, nè ipsi videlicet quantulæcunque offensionis præbeamus materiam. Progrediens enim, qui prædictos actus concipit ad excelsiora, atque libera virtutis officia, quonam pacto necessarios, inferiorésque ejus gradus superare abnuet? paratúsque animo ad consiliorum observantiam, quínam fieri poterit, ut transgrediatur præcepta? Præterquam quòd, cùm iidem actus excellentis meriti sint, nec solummodo ad fugam, exclusionémque peccati, sed ad majora etiam Christianæ perfectionis incrementa conducant; eorum exercitatione in spirituale nobis lucrum ipsamet peccandi incitamenta convertimus: cogentes ità hostem tartareum à nobis oppugnandis desistere, utpote quos è suis aggressionibus plus capere animorum videt, neque sola nostri defensione contentos, illatis quoque signis ultrò se invadere.

24. Septimò, maximi etiam ad quaslibet tentationes superandas momenti fuerit, si tranquillo inter ipsas, erectóque, & hilari animo perstes: nihil tristitiæ, aut timoris concipiens, etiamsi adversarius majore semper vi

vi certamen redintegret, imò ex ipsamet illius pertinacia ad alacritatis, bonæque spei incrementum proficiens. Quantumcunque enim abominandæ sint species, quas imaginationi tuæ imprimit, perversíque motus, quos in sensibili appetitu tuo excitat; certum est, omnia ejusmodi peccato vacare, neque hoc commissum unquam iri, nisi tu liberè, scientérque illud velis: quod post imploratam Dei opem confidere indubitanter debes, nunquam eo adjuvante eventurum. Unde sequitur, tentationem posse utique molestiam tibi exhibere, sed non etiam noxæ aliquid per se ipsam afferre: quin contrà maximi potiùs occasionem lucri præbere, & tantò majoris, quantò acriùs te urget: ratione meriti apud ipsum, quod viriliter illi obsistens eò semper uberius, quò illa est diuturnior, & violentior, acquiris. *Molesta est lucta, sed fructuosa: quia si habet pœnam, habet & coronam. Non nocet sensus, ubi non est consensus: imò, quod resistentem fatigat, vincentem coronat.* (*De Inter. Dom. inter op. D. Bern.*) Quapropter nulla spirituali viro adest causa ægre illam ferendi, ut justiùs habere charam possit, déque illa gratias DEO agere, qui *certamen forte dedit sibi, ut vinceret:* (*Sap. 10.*) non sinens desiderari à se campum,

ubi

ubi ſuam virtutem latiùs explicet. His ergo poſitis, ingentem contra quaslibet ſtygii hoſtis oppugnationes animum ſume: oraculi loco habens, quod Joannes Chryſoſtomus ſcripſit: (*L. 1. de Prov.*) *Diabolum ſibi ipſi, non nobis eſſe malum. Nos enim, ſi velimus, plura etiam commoda per illum, pérque ipſius nequitias conſequimur.* Neque ſolùm aggredientem nè timeas, verùm etiam fretus DEI auxilio, pro cujus gloria dimicas, deſpicatui habeto, & ſuperioris in morem contemptim alloquere: jam ſuam illi exprobrando impotentiam ſeu te vincendi abſque tuo aſſenſu, ſeu etiam invadendi abſque cæleſtis tui Patris permiſſu: jam canem appellando, vinculis conſtrictum, quíque latrare magìs poſſit, quàm mordere: jam per ludibrium provocando vel ad præſens continuandum, vel ad novum inferendum certamen: jam inſultando ipſi de irritis te lædendi conatibus, utpote qui omnes in illius ignominiam, & cladem redeunt, tibique non nisì recentium meritorum, & amplioris gloriæ materiam ſuppeditant. Hæc ſiquidem generoſitas, animíque magnitudo vix poſſis credere, quantùm valebit, tum ad minuendam tentationis vim, tum ad dæmonis retundendam audaciam: qui, ſecundùm veriſſimam

mam D. Ignatii Loyolæ animadverſionem, (*Exerc. Spir. Reg.* 12. *ad Spir. dignoſ.*) *conſuevit robore, & animo planè deſtitui, quoties ſpiritualem athletam corde imperterrito, & fronte ardua tentationibus videt reluctari. Sin autem trepidet, & quaſi animum deſpondeat; nulla eſt beſtia ſuper terram inimico illo tunc efferatior, acrior, & pertinacior.* Crocodilum dixeris animal, ùt rerum naturalium Hiſtorici tradunt, (*Sen. L. 4. Qu. Nat. c. 2. Plin. L. 8. c. 25.*) *Fugax audaci, audaciſſimum timido.* At contrà mœror, & trepidatio efficeret, ut & fœda objecta penitiùs animo imprimerentur, & in peccatum proclives appetitûs ſenſibilis motus majorem vim caperent; & adverſarius ex tuo metu animoſior acriori te impetu urgeret; & ratio turbidis ſpeciebus confuſa minus retineret ad contrarios ei actus promendos vigoris. Quare iterum tibi prædictam confidentiam, & alacritatem, quàm maximè poſſum, commendo: utì eandem ſpiritualibus ſuis alumnis ſummopere commendabat experientiſſimus interioris hujus militiæ magiſter Antonius, adeò ut non dubitaret dicere: *Una eſt ratio vincendi inimicum: ſpiritualis lætitia, & animæ Dominum ſemper cogitantis jugis recordatio.* (*S. Athan. in ejus Vita.*)

25. En

25. En igitur, anima DEI amans, quæque fixum in corde habes, nunquam eum gravi crimine offendere, artes, & præsidia, quibus uti te oportet ad perpetuam, & immobilem retinendam justissimi istius propositi tui firmitatem. Debes (ut de iis dicta summatim repetam) primò iterare pluries diebus singulis, sed peculiari studio inter matutinam orationem prædictum propositum quidvis citiùs patiendi, quàm ut cælestem tuũ Dominum graviter offendas. Secundò, de te ipso, & præsenti ista tua non peccandi voluntate omnino diffidere, pro certissimo habens, posse illam in singula momenta deficere, nisi à DEO, qui eam tibi infudit, per liberalitatem gratuitam jugiter conservetur. Tertiò, ut hoc tam necessarium donum obtineas, tum quovis manè, tum præterea, quandocunque per diem occasio, & periculum peccandi instat, humili, & fervida oratione ad ipsum confugere, nihil ambigendo, quin à paterna ipsius benignitate exaudiendus certissimè sis. Quartò, solerter vitare, quantùm necessarii vitæ usus, tuique muneris conditio, & prudens erga proximum charitas, aut justæ aliæ rationes permittunt, quidquid tibi ad graviter peccandum incitamento esse possit. Quin-

tò, si dæmon occultis instigationibus ad noxam capitalem te impellat, promptè, viriliterque tentantem repellere, iis armis utendo, quæ ad id præstandum plùs conferunt. Faxit DEUS, ut æquè tu sedulus sis in hisce adhibendis præsidiis, ac illa tibi erunt ad divinam gratiam in animo conservandam utilia.

CAPUT XXX.

De solicito, & inexplebili ejusdem studio, ut magìs semper, ac magìs DEO placeat.

NUllus est amoris fructus jucundior, quàm placere amato, ab eóque vicissim amari. Unde fit, ut amantium quisque mutuam hanc vicem cupidissimè expetat, nec nisi eâ obtentâ quiescat: imò etiam, ubi illius compos evasit, perpetuo, & inexplebili studio eam consequi ampliorem contendat: nihil curans enixiùs, quàm ut plùs semper ei placeat, qui sibi placet, plúsque semper ab eo ametur, quem amat. *Ad hoc præcipuè studium diligentis tendit, ut dilectum ad sui amorem attrahat: & nisi hoc accidat, oportet dilectionem dis-*

dissolvi. (*S. Thomas* 1. *c. Sent. c. 151.*) Neque difficilis investigatu est rei ratio. Cùm enim amoris finis sit, ut juxta Ciceronem, (*De Amic.*) *Unus quasi animus ex pluribus fiat*; quemadmodum hæc conjunctio, & quasi unitas perfecta esse nequit, nisi plures sese invicem complectantur; ità neque suum finem plenè assequi, & quiescere in eo amans potest, nisi, quem intimo benevolentiæ amplexu sibi adstrinxit, ab eodem per mutuæ benevolentiæ quasi complexum sibi adstringatur. *Minus enim*, ùt ait ille, *habet amor amoris, ubi se senserit, qui diligit, non amari.* (*Lib. de amic. inter op. S. Aug.*) Præterea, ceu philosophatur Marsilius Ticinus, (*In Conv. Plat. Or. 2. c. 8.*) Amantis anima nequaquam in amante jam degit, sed in eo veriùs, quem amat: ideóque remanens disjunctus à sua anima potest dici quasi cadaver sinè vita in se ipso. At non pariter, si redametur; tunc quippe, quam amisit, non recuperat modò, sed & geminat vitam: recipiens nimirum intrà se locò suæ redamantis animam: imò unà cum hac suam pariter, utpote quæ huic intimè adhæresçit, resumens. Quamobrem, si gratissimum cuique est vivere, longè magis gratum erit geminare vitam; unde fieri non potest, quin etiam gratissimum cuique sit ab eo redamari, quem amat.

2. Hæc cùm ità se habeant, quo non studio incitari amantem DEI animam decet, ut illius sibi amorem conciliet, ut objectum ei quàm gratissimum sit, ut denique juxta Isaiam, (*c. 62.*) *Complaceat in ea Dominus, & gaudeat super ea DEUS suus?* Verum quidem est, neminem non redamari à DEO, qui eum amet, mutuíque hanc amoris vicissitudinem contestatam ab eo esse, dum in proverbiis affirmavit: (*c. 8.*) *Ego diligentes me diligo.* Sed nimiùm quàm frigidè tantum Dominum amat, nimiúmque quàm demissè præcellentissimos æstimat intimæ cum eo necessitudinis fructus, qui satìs habet, quocunque communi, & vulgari modo ab eo redamari: nec potiùs toto suarum virium nisu contendit, quàm maximè eximium in illius benevolentia, atque gratia sibi locum mereri: removendo diligentissimè ab anima, quidquid imperfectionum displicere illius oculis potest, & addendo eidem omnia illa ornamenta, quibus capi, & delectari ipsum constat: *unum*, utì B. Petrus Damianus commendat, (*L. 5. Ep.*) *solerter attendens, & intrà semet ipsum solicita semper inquisitione versans, utrùm scilicet placeat DEO, quod agat, & an ejus vitâ, vel operibus DEUS delectetur.* Namùt addit Chrysostomus: *hoc est maxi-*

ximum omnium, Christum simul amatum, & amatorem habere. Si enim hoc in hominibus contingens omni voluptate superius est; cùm hæc utraque circà DEUM evenerint; qui sermo, quæ mens exprimere poterit hujus animæ beatitatem. (*Hom.* 64. *ad Pop.*)

3. Et verò numquid non quotidie intuemur, quàm hoc in genere accurata sit, & nunquam expleri sciat humani amoris sedulitas? Quid non facit mulier, ut eorum oculis placeat, quos studet in sui amorem pellicere? Quas artes prætermittit? Quibus industriæ conatibus parcit? Quid temporis non absumit in se perpolienda, exornanda, in venustate venustati, & pulchritudine pulchritudini addenda? En illam plures horas speculo adstantem, Argo quovis oculatiorem, cum toto muliebri mundo, ampullis, myrotheciis, fucis, calamistris, & quibus non formæ expoliendæ instrumentis: *tanquam famæ discrimen agatur, aut animæ: tanta est quærendi cura decoris.* (*Juv. Sat.* 6.) Nihil non in vultu observat; nihil non solicito intuitu pluries respicit. Hem, hìc maculæ vestigium supereſt, deleatur penitùs. Rugæ hìc lineola apparet, complanetur. Hìc capillus reliquorum ab ordine exerrat, ad justæ concinnitatis normam redigatur. In sum-

ma, nullum finem facit multiplicandi lotiones, unctiones, phaleras, & quidquid gratiorem reddere illius ſpeciem intuentibus poteſt: varians pluries ornatus, donec maximè concinnum repererit: jam ad hanc, jam ad illam ſe componens formam incedendi, flectendi capitis, ſubridendi, diducendi labra, oculóſque intendendi: quoad ſpeculum diu anxiè conſultum reſpondeat: hæc inter omnes elegantior, lepidiórque, & ad placendum aptiſſima eſt.

4. Ah, Lector amice, tu forſan tacitè me reprehendis, quòd hæc tibi fæmineæ vanitatis exempla proponam. At quantò juſtior mihi eſſet cauſa, te, & quidem non tacitè reprehendendi, ſi ea circa interiorem tuam pulchritudinem, & placendi DEO curam imitari negligeres? Cùm alioquin teſtatum in Exodo habeas, labrum illud æneum, in quo DEI juſſu ablui Sacerdotes debebant, priuſquam ingrederentur *Sancta Sanctorum, factum fuiſſe de ſpeculis mulierum, quæ excubabant in oſtio tabernaculi.* (*c.* 38.) Ideò fortaſſe, ut ex ſcrupuloſa attentione, qua hæ ſe aſpectârant, & compſerant, condiſcerent ſacrorum Miniſtri, quanto ipſos quoque ſtudio par eſſet ad dignè apparendum coram DEO ſe ibidem obſervare, &

ex-

excolere. Non exigui certè pudoris materia est animæ supremo Regum Regi desponsatæ, & perfectam cum eo conjunctionem profitenti, non iis uti ad satisfaciendum ipsi artibus, quas alii adhibent placendi causâ hominum oculis: sed contentam, (quod neque ab infimis servorum negligitur) qualicunque in gratia ipsius locò nihil pensi ultra habere, cujusmodi ante ipsius oculos munda, an sordida, ornata, an incompta, pulchra, an deformis appareat. Quam in rem digna memoratu est animadversio B. Nonni Edessæni Antistitis, cùm S. Pelagiam aliquando vidisset, qualis ante conversionem suam erat profano luxu diffluens, & fœdis omnino amoribus dedita. (*Ribad. Extr. in V. S. Pel.*) Concionabatur vir sanctus Antiochiæ coram Episcopis ad sacram Synodum ibi coactis: cùm interim accidit, præter fores templi transire famosæ illam nequitiæ mulierem, usque adeò pigmentis, unionibus, phaleris, & toto fæmineæ artis mangonio circumquaque excultam, ut vanitatis idolum videretur. Quare stomachati, offensique venerandi illi Præsules vultum non sinè gemitu ab indigna illa specie averterunt. At non etiam Nonnus. Quin imò & peculiari cum attentione defixos in prætereuntem Pela-

giam oculos tenuit; & posquam è conspectu abierat, conversus ad collegas quæsivit, numquid delectati essent illius fœminæ ornatu, atque pompa. Quibus tacentibus subjecit: ego certè non exiguam voluptatem inde hausi, doctus nimirum, qua cura exornare meum animum debeam: sed parem simul pudoris, verecundiæque sensum, quippe cùm viderim, quantò illa solertiùs commendare se hominum oculis ad suam, eorúmque perniciem studeat, quàm divinis ego ad æternam salutem, & spiritualem meum profectum placere. Neque ullus dubito, quin velut ego, & permulti mei similes occasionem, quantùm est in nobis, præbemus DEO, erubescendi quodammodo, cùm hanc fœminam videat luteorum homuncionum gratiam enixiùs aucupari, quàm nos suam; sic in extremo judicio producturus eandem sit, ut summo nostro cum rubore hanc nobis tantò minorem inter infinitè majores ejus causas, solicitudinem exprobret: non secùs ac Judæorum pervicacitati comminatus est, fore, ut redarguerentur mulieris alienigenæ exemplo: *Regina Austri surget in judicio, & condemnabit generationem hanc.* Ità tunc sanctus Præsul absurdissimam perpendens antithesin, exactissimæ hinc diligentiæ,

tiæ, qua filii hujus sæculi viles quosdam terræ vermiculos allicere in sui amorem conantur; & nullius indè apud servos DEI curæ, ut cælesti suo Domino gratos sese, & amabiles reddant.

5. Reliquum ergo est, ut juxta D. Pauli adhortationem, (2. *ad Cor. c.* 7.) *Mundemus nos ab omni inquinamento carnis, & spiritûs, perficientes sanctificationem in timore DEI*: nempe ut, si DEUM revera diligimus, gravissimi instar mali pertimescamus, & quanta possumus contentione excludere à nobis nitamur, quidquid spiritualem nostram integritatem coinquinare ullatenus potest: adeò ut *secundùm eum, qui vocavit nos, sanctum, & ipsi in omni conversatione sancti simus*: (*Petr. 1. c. 1.*) nullo permittentes modo, ut quidquam in nobis illi occurrat mendosum, inconcinnum, distortum, nec plenè approbari ab eo dignum. Hæc siquidem, teste Cassiano, germana, & maximè propria est DEUM castè, & ritu filiorum timentis nota, (*Coll.* II. *c.* 13.) *ejus non solùm verbera, & convicia, sed vel tenuem amoris offensam formidare, atque in omnibus non solùm actibus, verùm etiam verbis attonita pietate distendi, nè erga se quantulumcunque fervor dilectionis illius intepescat.* Et verò, parúmne anima, esto gravium scelerum pura, in se habet, quod corri-

gat, inque melius reformet ? Aut parùm illi obeſt, nè à cæleſti ſuo Sponſo intimioris benevolentiæ ſignificationibus foveatur, apparere illi maculoſam venialibus noxis, & terrenis affectibus ſordidam ? Teſtetur pia illa apud Nierembergium anima : (*Vit. Div. c. 34.*) cui ob unius culpæ venialis reatum ſubtracta per ſolidum annum à DEO ſunt, quibus frui aliàs conſueverat, peculiaria cæleſtium viſitationum, & revelationum chariſmata. Quare ſuſpirans ajebat : non leve profectò eſt illud crimen, quod tam diutinâ luitur DEI amici, & faventis abſentiâ. Nimis ah perfecta eſt mundities, quam à nobis exigit Dominus, dum ſuam nobis ad exemplum proponit, dicens : (*Levit. 11.*) *Sancti eſtote, quia ego ſanctus ſum.* Adeò perſpicaces illius oculi ſunt ad deprehendendas vel inviſibiles nobis maculas, ut ipſimet *cæli non ſint mundi in conſpectu ejus:* (*Job. c. 15.*) adeóque ſimul delicati, & ab omni fœditate abhorrentes, ut jure affirmet Propheta: (*Habac. 1.*) *Mundi ſunt oculi tui, nè videas malum, & reſpicere ad iniquitatem non poteris.* Quid plura ? *Elegit nos ante mundi conſtitutionem, ut eſſemus ſancti, & immaculati.* (*Ad Epheſ. c. 1.*) Neque contentus, qualemcunque legum ſuarum obſervationem à nobis requi-

quirere; eâ cuſtodiri diligentiâ illas jubet, quæ in cuſtodienda oculi pupilla adhibetur: *Serva legem meam, quaſi pupillam oculi tui.* (*Prov. c. 7.*) *Ut ſcilicet,* juxta explicationem Salviani, *quàm pura eſt pupilla oculi, tam puræ eſſet Chriſtiani hominis vita: & ſicut pulveris labem in ſe oculus non reciperet, ſic vita noſtra labem impudicitiæ in ſe penitùs non haberet.* (*L. 3. de Prov.*) Et fieri tamen poſſe arbitrabimur, ut, qui formæ interioris puritatem, elegantiam, concinnitatémque impensè adeò diligit, & perfectam adeò eſſe in ſuis vult, blando viſu reſpiciat, amantibúſque oſculis, & complexibus dignetur animam, terrenarum cupiditatum illuvie, & purulentis culparum, etiamſi non lethalium, ulceribus undique obſitam? Quàm exquiſitis cultibus, & munditiis per unius anni ſpatium in regio Suſis Gynecæo præparari, atque comi, priuſquam in conſpectum ſuum adducerentur, Aſſuerus voluit puellas, è quarum numero ſponſam ſibi erat lecturus? Et à ſupremo cæli Regnatore nihil apparatûs, & cultûs requiri in animabus dicemus, myſtico, & ſpirituali connubio ſecum jungendis? adeò ut ſinè ullo delectu, & diſcrìmine univerſas ſeu maculoſæ, ſeu mundæ, ſeu fœtidæ, ſeu bene olentes, ſeu incultæ, ſeu comptæ, ſeu turpes,

ſeu

seu decoræ fuerint, æquè approbaturus, & ad intimam sui amoris cõmunicationem admissurus sit? Aliud est penes magnum principem famulæ, aliud sponsæ locò esse. In prima, utpote quæ nunquam conclave Domini ingreditur, víxque obiter aliquando sub aspectum illius venit, facilis toleratu est oris deformitas, vestium squalor, morum, gestuúmque inconcinnitas, neque princeps indè offendi consuevit. At in altera, quæ cum ipso conversari assiduè, & familiariter debet, nihil potest indecorum, atque absonum ferri, sed perfecta in omnibus elegantia, & venustas requiritur. Quam si illa neglexerit, quid aliud expectandum porrò habet, nisi ut sponsus incultam, sordidámque aversetur, fastidiat, & suo à complexu repellat? *Illud velim non ignores*, (verba sunt Nazianzeni ad quamcunque animam DEO desponsatam) *rugam unam tibi turpiorem esse, quàm maxima vulnera iis, qui in sæculo vivunt. Neque enim tam notabilem in sordidis, quàm in puris vestibus labes aliqua fœditatem habet.* (*Or. de Fuc.*)

6. Quænam igitur praxis observanda hoc in genere homini erit, qui peculiarem DEO amando, intiméque cum eo necessitudini operam navat? En illam paucis comprehen-

sam

sam capitibus. Debet primò, qui hujusmodi est, ardens in suo animo desiderium fovere, dilecto suo Domino, quàm maximè possit, placendi: ità ut nihil non omnino ipsi gratum in se habeat, mereatúrque ab eo audire: *Tota pulchra es amica mea, & macula non est in te:* assiduè secum ruminans: éstne in me aliquid, quod DEO meo minùs arrideat? Quidnam cavendum mihi est, nè ullam purissimis ejus oculis vel minimæ offensionis materiem præbeam? Quidnam faciendum, ut coram eo appaream, instar dilectæ suæ Ecclesiæ, *non habens maculam, neque rugam,* útque ille possit de me etiam plena cum approbatione profiteri: *Hic est filius meus dilectus, in quo mihi bene complacui?* Euge, anima mea, centum oculos super te aperi. Multiplica excubias circa tum externos, tum interiores tuos actus. Non sufficit qualiscunque vigilantia: parva est, si esse major possit. *Omni, omni custodia serva cor tuum.* (*Prov.4.*) Nimis magni momenti res est, de qua agitur. Agitur, ut DEO magis placeam, ut à DEO amer impensiùs. Quæ diligentia in tali negotio nimia, quod pretium in tali merce possit magnum videri? *Si dederit homo omnem substantiam domûs suæ pro dilectione, quasi nihil despiciet eum.* (*Cant. 8.*)

7. Se-

7. Secundò, hujuſce deſiderii ſtimulis punctus, debet quotidie ſumma cum mentis attentione conſcientiam ſuam diſcutere, & perpolire: neque id ſemel, aut iterum, ſed quàm ſæpiſſimè, ſaltèm poſt quamlibet præcipuarum diei actionum, vel prout D. Bonaventura commendat, toties quot ſunt Canonicæ officii divini horæ: ità ut ante, vel poſt harum ſingulas (*To. 2. Memor. 25.*) *diſcutiat attentiſſimè, qualiter de hora in horam ambulaverit dignè coram DEO ſinè macula*: altera manu ſpeculum, altera peniculum tenens: ſpeculum quidem conſiderationis, in quo ſe undique circumſpiciat, obſervétque, num ab omni labe integer animæ ſuæ habitus ſit, juxta illud Jobi dictum: *Verebar omnia opera mea, ſciens, quòd non parceres delinquenti*: (*c. 9.*) & illud Salomonis, (*Prov.*) 28. *Qui inquirunt DEUM, animadvertunt omnia.* Peniculum verò emendationis, quo ſtatim detergat, quidquid ſibi pulveris, aut luti, & aliarum ſordium cum ſpiritualis ſuæ puritatis inquinamento adhæſiſſe deprehenderit. De ſancto quidem Patre meo Ignatio ſcriptum legimus, (*Bart. Inſt. L. 4. n. 25.*) nequiviſſe illum percipere, quonam pacto placere DEO quiſpiam cuperet, nec ſuo cordi quàm celerrimè examinando, repurgando, & per-

perficiendo operam daret. Quamobrem, cùm aliquando percontatus nescio quem suorum, quoties se examinâsset eo die? septies à se id factum audisset, non sinè admirationis specie, heu! tam rarò subjecit. Et rarum id sanè præ illius consuetudine erat, qui juxta Abbatis Dorothei regulam, docentis: (*Serm.* 16.) *Opus esse, singulis horis nos ipsos exquirere, ac perscrutari diligentissimè*; nullam diei horam sinebat elabi, quin omnia brevi illo temporis spatio à se dicta, facta, & cogitata severissimum ad examen vocaret, singulis toties diebus animam suam coram DEO reconcinnans, & ad exactiorem puritatem in subsequenti hora custodiendam instaurans.

8. Tertiò, si quando publicam quampiam obiturus functionem anxia se solicitudine, & cura urgeri sentit, satisfaciendi iis, qui interfuturi sunt; erubescat, quòd minùs solicitus sit de promerenda DEI approbatione in quotidianis suis actibus, cùm tamen his singulis interesse illum noverit, neque tantummodo ùt spectatorem, sed ùt exactissimum etiam censorem. Et hujusmodi comparatione se stimulet ad tantò majorem hìc diligentiam, industriámque adhibendam, quantò pluris facienda est DEI unius, quàm generis humani uni-

universi approbatio. Nam, si cordato cuilibet viro majori multò curæ est egregiè suas partes obire coram Rege, quàm coram ipsius famulis, illúmque unum, quàm hos omnes laudatorem habere; quídni etiam justo cuivis rerum æstimatori solicitiùs satagendum, curandúmque sit, ut DEO universitatis totius Rectori supremo, quàm ut, quotcunque sunt, mortalibus, infimis nempe illius servulis placeat.

9. Quartò, ubi occasio culpæ alicujus committendæ se offert, debet hanc, esto cæteroqui venialem, cum nausea, & horrore intueri, tanquam fœditatem DEO exosam, nec dissimili studio vitare, ac nobilis sponsa cum magnifico ornatu ad nuptias, & sponsi domum proficiscens, obviam in itinere devitaret lacunam: dicendo intrà semet ipsum: *Lavi pedes meos: quomodo inquinabo illos?* Itáne ergo tam frivolæ rei causâ, nè exiguam mihi vim afferam, & pravam hanc cupiditatem coërceam; indignum me velim reddere peculiari benevolentia, quam animabus puris DEUS exhibet. Nec aliam re ipsa, testatur Maffejus, hoc in genere S. Ignatii diligentiam, & circumspectionem fuisse: soliciti nempe, (*In Vit. L. 3. c. 1.*) *Non minùs accuratè animum ab omni*

omni labe tueri; quàm qui pretiosis induti vestibus viâ lutulentâ coguntur incedere. Ah nimii momenti res est, placeásne, an displiceas Deo? objectúmne omnimodæ approbationis, an aliqua ex parte improbandũ illius oculis sis? Anima, quæ compertum id habet, totóq; corde cæleſtem ſuum ſuum Dominumamat, juxta D.Bernardi ſententiam, (*De Tripl. Cohær.*) *Horribilius ipsâ gehennâ judicat, in leviſſima re vultum Omnipotentis ſcienter offendere.* Cui ſententiæ B. etiam Catharina Genuenſis ſubſcribit, dicens: *pluris ab amore divino æſtimari imperfectionem unam vel minimam, quàm, quotquot imaginari mens poſſit, gehennas.* (*In Vit. c.* 15.)

10. Quintò, ubi ex incuria, & humana fragilitate (quandoquidem *non eſt homo juſtus in terra, qui non peccet, Eccleſ.* 7.) in leviorem noxam eum labi contigerit, debet illam vix animadverſam, edito illicet pœnitentiæ actu obliterare, ac firmam voluntatem concipere, cautiùs deinceps in divino famulatu ambulandi: & omni dimiſſa præteriti lapsûs memoria, operibus, quæ agenda tunc inſtant, omnino quietè vacare, ac ſi nulla in re deliquiſſet. Si enim iraſci DEUS animæ dicitur ob ejus culpas; accipiendum id eſt non de culpis ab ea imprudenter commiſſis, pérque

pœnitentiam retractatis: sed de iis, quarum ipsa etiamnum voluntatem fovet, non tantùm malè operata, verùm etiam, ùt Ecclesiastes ait, (*c.* 8.) *Permanens in opere malo*: quæque, juxta ejusdem allegoriam, quasi muscæ, non modò ad vas odoratum aspirantes, sed in eo insuper *morientes, perdunt suavitatem unguenti.* (*c.* 10.) Nè igitur quantacunque culparum venialium frequentia perturbari spiritualem lætitiam, & tranquillitatem suam sinat. Sed Joannem Chrysostomum audiat, monentem: (*Hom.* 28. *ad Pop.*) *Cùm vitium corrigere cœperis; si postea semel, vel secundò, vel tertiò, vel vigesimò legem transcenderis, nè desperes, sed iterum surge, & studium tuum resume.* Credátque Salomoni, discrimen inter justum, & impium haudquaquam in eo esse, quòd hic cadat, ille verò ab omni lapsu abstineat: sed, quòd alter ibi jacere pergat, ubi cecidit; alter autem quàm primùm resurgat. *Septies cadet justus, & resurget; impii autem corruent in malum.* (*Prov.* 24.)

11. Postremò, fovere semper in animo curet insatiabile ulterioris perfectionis studium, quod D. Augustinus requirit: (*Serm.* 15. *de Verb. Ap.*) *Semper tibi displiceas, quod es, si vis pervenire ad id, quod nondum es. Nam ubi tibi*

bi placuisti, ibi remansisti. Semper adde, semper ambula, semper profice. Adeò ut, quantumcunque excellens interior sui animi pulchritudo, & puritas sit; haud tamen in illa acquiescat, sed veluti minorem ea, quam consequi posset, ac vellet, augere illam semper conetur: antiqui ejus sculptoris ritu, qui, teste Plinio, cognomentum est nactus ab infinita in suis perficiendis operibus cura, (*Lib. 34. c. 8.*) *Semper calumniator sui, nec finem habens diligentiæ*: vel potiùs regii Prophetæ, ac Principis Apostolorum exemplo, quorum hic, cùm audisset, illotis pedibus nequaquam se intraturum in regnum cælorum; non illos duntaxat, sed & manus, & caput cælesti Magistro abluenda obtulit, dicens: (*Joa. 13.*) *Domine, non tantùm pedes, sed & manus, & caput.* Ille verò nullam satìs puram puritatem existimans, usque *ampliùs lavari ab iniquitate sua, & super nives dealbari* expetebat. (*Ps. 50.*) Nam quo pacto immortalem suum Sponsum dignè à se amari anima ostenderet, quæ, potens pulchrior illius oculis, pulchriórque apparere, atque ità majorem illius benevolentiam mereri, diceret, satìs mihi est, tantùm duntaxat ei placere, ab eóque diligi? At verus DEI amor, teste D. Bernardo, hujusmodi limites nescit:

ſed cum Apoſtolo, *quæ retro ſunt, obliviſcens, ad ea verò, quæ priora ſunt, extendens ſe ipſum*, quoad locus ſupereſt progrediendi ulteriùs in dilecti gratia, *nunquam arbitratur ſe comprehendiſſe, nunquam dicit, ſufficit: ſed ſemper eſurit, ſitítque juſtitiam: ità ut, ſi ſemper viveret, ſemper juſtior eſſe contenderet, ſemper de bono in melius proficere totis viribus conaretur.* (Ep. 254.) Quod ipſum prior itèm Caſſianus docuerat, affirmans, quò quiſque ſit purior, eò luculentiùs perſpicere, quid ſibi majoris puritatis deſit. *Quantò magìs profecerit mens humana, & ad ſinceriorem contemplationis pervenerit puritatem, tantò ſe immundiorem quaſi per ſpeculum ſuæ puritatis inſpiciet. Quia neceſſe eſt, ut, dum animus ad ſublimiorem ſe extendit intuitum, & majora, quàm agit, proſpiciens concupiſcit; illa, in quibus eſt, ut inferiora deſpiciat. Plura ſiquidem denotat ſincerior obtutus, parítque ſibi majorem reprehenſionis dolorem irreprehenſibilis vita.* (Coll. 23. c. 20. & 21.)

CA-

CAPUT XXXI.

De communione omnium bonorum inter DEUM, & animam perfecto illi amore conjunctam.

MIra est mutui amoris proprietas, ità ex duobus facere unum; ut tamen utrumque post prædictam unitatem multiplicet. Confuso quippe, & in perfectam communionem redacto, quidquid uterque amicorum seu est, seu potest, habétve; nullus inter eos jam remanet locus illi *meo, ac tuo*, quod Joannes Chrysostomus jure appellat *frigidum verbum*, (*Or. de S. Philog.*) quia refrigerando natum charitatis fervori: neque tamen sive hic, sive ille quidquam perdit, aut minuit de summa, quam privatim antea possederat: imò uterque illam congeminat, addito illi in cumulum, quidquid proprium erat alterius: cui dicere propterea jure optimo potest, quod perfectissimus ille inter sacros amatores professus æterno Patri suo est, (*Joa.* 17.) *Et mea omnia tua sunt, & tua mea sunt*: nimirum, quidquid in censu meo erat, & ad me quomodocunque spectabat, pro

tuo jam habeto, & quasi tuo utitor: quemadmodum ego quoque vicissim, quidquid tu habes, & ad te quomodolibet spectat, quasi rem meam, & ad me pertinentem intueor. Cùm igitur talis communicatio reciproci cujusque amoris sit propria; debet suo etiam modo inter DEUM, & quemcunque hominum intercedere, qui perfectæ charitatis, amicitiæque nexu cum eo se conjunxit: adeò ut nihil hic prorsus seu eorum, quæ ad cæleſtem amicum suum pertinent, alienum à se existimet; sive eorum, quæ ipse possidet, suum potiùs, quàm illius esse arbitretur. Ideóque gaudeat primò de ipsius gloria, eámque pro viribus, perinde quasi sua esset, amplificare contendat. Secundò de injuriis, quas ipsi fieri videt, doleat, ceu de sibi factis doleret. Tertiò ipsius vires spectet, ùt rem, qua uti ad omnes opportunitates suas possit, non minùs, quàm si sortitus à natura illas esset. Quartò omnium, quæ possidet, pleniſſimam ipsi, ea pro suo arbitratu capiendi, & usurpandi facultatem relinquat. Déque singulis hisce perfectæ communicationis partibus ad plenam illius explicationem differendum particulatim nobis esset. Sed quoniam de prima, & secunda distinctè jam egimus, supereſt tantùm, ut de duabus

abus etiam postremis hìc idem præstemus: demonstrantes, quantam esse in perfectis quibusque DEI amicis oporteat, tum fiduciam, promptas sibi ad omnes suos usus ipsius vires habendi; tum facilitatem, liberrimum eidem permittendi suarum quarumvis rerum arbitrium.

2. Debet igitur primùm, qui se DEO in perfectam amicitiæ unitatem conjunxit, omnipotentis sui amici opes, virésque non aliter, quàm ùt suas intueri, tam certum, & paratum indè sibi promittens in angustis quibuslibet suis rebus auxilium; quàm si, quidquid ille ad se adjuvandum potest, per sese ipse posset: nec proinde, quamvìs summam esse imbecillitatem suam noverit, debilem hac de causa, infirmúmque se credere: sed illius omnipotentiam potiùs respiciens, qui per amicitiam *alter ipse* evasit; satìs sibi, quæcunque vis ingruat, & quidquid opus sit, potens sibi ejus causâ, & munitus videri. Similiter atque Homericus Teucer non minùs se tutum censebat, Ajace septemplicem clypeum sibi ostendente, quàm si ipse illius clypei esset Dominus, eúmque lævæ insertum hostilibus telis objiceret: vel quomodo, ubi plures populi, sociali fœdere inito, communem exercitum

conflant; unuſquiſque eorum ſuam omnium potentiam facit, nec minùs contra hoſtem valet, quàm ſi aliorum omnium in eo vires coirent. *Omnia poſſum*, dicebat audacter D. Paulus: (*Ad Philip.* 4.) At qua fretus virtute? Eáne, quæ ſibi à ſe ineſſet? Minimè verò: ſatìs quippe noverat, quàm hæc debilis foret, prout illa ejus verba ad Corinthios declarant, (*2. ad Cor. c.* 1.) *Gravati ſumus ſupra modum, & ſupra virtutem, ità ut tæderet nos etiam vivere. Sed ipſi in nobiſmet ipſis reſponſum mortis habuimus, ut non ſimus fidentes in nobis.* Ubinam ergo poſitam confidentiæ ſuæ cauſam habebat? Nuſquam ſanè alibi, quàm in ſola omnipotentis ſui amici virtute: *In eo, qui me confortat.* Nam juxta receptiſſimum Philoſophi effatum, perinde eſt, quantùm ad ſubſtantiam effectûs, velle, & poſſe ab amicis noſtri gratiâ aliquid fieri; ac ſi nos efficere illud idem noſtro marte poſſemus. (*Ap. S. Th. 2. 2. qu.* 5. *a.* 5 *ad* 1.) *Quæ per amicos poſſumus, per nos aliqualiter poſſumus.* Ad cujus rei confirmationem non indignum referri videtur illius Arſacomæ exemplum, qui miſſus à Scythis ad Boſphori Regem legatus, legatione obita, Regis filiam ſibi uxorem deſponderi popoſcit. Cùm enim admiratus Rex eſſet, id ſe rogari ab

he-

homine, tam tenuis fortunæ, quàm esse illum noverat, poscentique subjecisset. Quænam verò tuæ sunt opes Arsacoma, ut dignè sustinere personam mei Generi queas? Si de armentis, prædiisque Rex quæris, fateor, respondit, nullam, vel admodum tenuem mihi obtigisse facultatum harum copiam. Sed amicorum par habeo, quorum fides nullis non regalibus gazis pretio antecellit. Sic ille: nihil tamen à Rege consecutus: qui novo illo divitiarum genere explosо nullam ipsius rationem duxit, alteríque præstantioris fortunæ viro filiam nuptui tradidit. Sed non diu expectandum ei fuit, ut agnosceret, quanti pretii essent opes, quibus nitebatur Arsacomas. Reverso quippe hoc in patriam, cùm apud amicos de injuria, quæ non ipsis minùs illata, quàm sibi fuerat, questus esset, fortes ii viri bono esse illum animo jusserunt: promittentes, alter raptam per vim sponsam ipsi adducturum; alter abscissum Regis caput, à quo contemptus indignè esset, laturum. Quod utrumque, si habendam Luciano (*in Toxari*) putamus fidem, non audaciori tentatum consilio, quàm felici peractum eventu ab iis est. Unde prædictus author colligit, qui duos probatæ fidei amicos habet, novum quoddam

posse dici hominis, seu monstri pulcherrimi genus ex tribus corporibus unicâ animâ plenis, motísque conflatum: nec aliud, quàm hujusmodi amicorum triadem in Gerionis fabula adumbratam à Poëtis fuisse.

3. His ergo ità se habentibus perpendatur, quæso, ferendine sint nonnullorum hominum sensus, qui angusto, pusillóque animo præditi nullum deplorandi finem faciunt conditionem naturæ nostræ, utpote nimiùm debilis ad repellendam tot immanissimorum hostium vim, ad abstinendam à lapsu inter tot offendicula, támque abruptas, & præcipites semitas; útque paucis rei summa attingatur ad rectè vivendum, & ad æternam consequendam salutem. Ego sanè licèt summam esse fatear virium imbecillitatem, qua post hæreditarium primi parentis lapsum humanum genus laborat; nullam tamen rationem invenio, cur quisquam de ea conqueri debeat. Imò statuo, & palàm pronuntio mœrorem, quo multi indè affliguntur, nasci ferè semper sive ex modica divinæ bonitatis cognitione, sive ex nimio propriæ excellentiæ appetitu. Nam, cùm extra omne dubium sit, facillimum DEO esse humanam infirmitatem necessariis subsidiis juvare; vel prædicti homines metuunt, nè

nè hæc subsidia à DEO sibi negentur, & hoc metu palàm ostendunt, nequaquam se illum pro vero, & fideli amico habere; vel, quamvìs id non metuant, ægre tamen ferunt, haud promptum se habere, insitúmque in se ipsis, quidquid ad suam felicitatem requiritur, sed pro rerum, ac temporum opportunitate ab eo semper sibi esse expectandum, quæ ægritudo originem ducit à propriæ, nativæque excellentiæ appetitu rerum creatarum conditioni penitùs dissentaneo, alienissimo etiam à legibus perfectæ amicitiæ, quæ non permittit, ut cuiquam triste accidat, in cunctis vitæ usibus ab amici beneficentia pendere. Siquidem opis externæ indigentia molestè à nobis ferri consuevit, vel respectu nostræ inopiæ, quæ per eam occasionem manifestatur; vel ratione obligationis, qua benignitati succurrentis obstringimur. Quæ utraque ratio deficit, quoties auxilium ab homine non extraneo; sed amico præstatur. Deficit prima, quia, quidquid amicus possidet, pro solenni inter amicos bonorum cõmunicatione, nostra ìtèm possessio est, nec propterea aliquid ab eo necessariæ opis accipere plùs facit ad nos pauperes declarandos, quàm indicium paupertatis in principis viri filio sit, quòd, quidquid

quid ad vitam, & dignitatem opus sibi est, à patre accipiat. *Sicut enim* (Doctoris Angelici conclusio est) *quæ per amicos possumus, per nos aliqualiter possumus, ùt dicit Philosophus; ità, quod ab amicis habetur, à nobis aliqualiter habetur.* (L. 3. *con. Gent. c.* 134.) Sed neque altera minùs deficit ratio: quia amicus, amico opem suppeditans, rem non omnino arbitrariam, sed ex jure amicitiæ debitam facit, nec proinde novam obligationem alteri imponit. Quemadmodum (ut in allato suprà exemplo maneam) pater filio subveniens suæ potiùs erga illum obligationi facit satis, quàm ut nova sibi illum, & majori obligatione devinciat. Quamobrem jure Ciceroni scribere Brutus potuit, (*In Lib. Ep. ad Brut*) *Noli expectare, ut tibi gratias agam; jam pridem hoc ex nostra necessitudine, quæ ad summam benevolentiam pervenit, sublatum est.* Eandémque in sententiam Cicero quoque alteri scripsit, (*L. 3. Ep. Fam.*) *Confirmatâ amicitiâ, & perspecta fide commemoratio officiorum supervacanea est.* Imò ulteriùs affirmo, bonum quodvis debere nobis gratius accidere, cùm à vero, & fideli amico in nos proficiscitur, quàm si illud vel casu aliquo nacti, vel nostrámet opera consecuti essemus. Nam in his casibus vel unica, vel præcipua delectatio-

tionis materies esse consuevit boni acquisitio, & possessio: cùm in illo præter hanc alia quoque nobis suppetat, & illa quidem teste Cicerone jucundior, experimentum videlicet amoris, quem amicus in bono illo conferendo erga nos præfert. *Non enim tam utilitas parta per amicum, quàm amici amor ipse delectat.* (*Idem de amic.*)

4 Quorsum igitur de nostra imbecillitate pergimus queri? Ah nimiam DEO injuriam facimus, si amico illo utentes imbecillos nos esse, non dicam, querimur, sed vel censemus. Quorsum plus desideramus virium? Perinde quasi non ad omnes usus nostros omnipotentia illius sufficeret. Tantundem nobis est in illo, pérque illum posse omnia, quàntùm, si per nos ipsos, pérque nostras vires possemus. Non minùs ab eo protegemur, & juvabimur, quàm si idoneam à natura haberemus nosmet protegendi, & juvandi virtutem. Nemo trepidat, quòd inermis sit, ubi alter præstò est, qui illum possit, & velit suis armis contra hostiles quosque incursus tueri. Nemo queritur, numos sibi ad victum comparandum deesse, quando non deest, qui hunc sibi sumptibus largè, affluentérque suppeditet. Nemo ægre fert, quòd longum, ne-

ces-

ceſſariúmque iter emetiri ſuis pedibus nequeat, ſi in promptu habet, qui ſuo illum curru ad itineris uſque metam commodiſſimè tranſvehat. Age jam, nónne his omnibus paternæ providentiæ officii erga ſuos ſervos, atque amicos DEUS fungitur? At quid, rogo, aliud ſuaviſſima illa nomina innuunt, queis à Regio Propheta, *Refugium, & virtus, illuminatio mea, & ſalus mea, turris fortitudinis à facie inimici,* DEUS *auxilii mei, Salvator meus, protector vitæ meæ, adjutor noſter in æternum,* paſſim in Pſalmis vocatur? Quidve aliud ea comparatio bonæ ipſius voluntatis cum clypeo impenetrabili, & nos undique tegente, quam in Pſalmo quinto idem inſtituit, canens: *Domine, ùt ſcuto bonæ voluntatis tuæ coronâſti nos?* Nónne Principem Apoſtolorum audimus, jubentem, ut *omnem ſolicitudinem noſtram projiciamus in eum, quoniam ipſi cura eſt de nobis?* (*Ep.* 1. *c.* 5.) Imò nónne & ipſummet humani generis Servatorem audimus, vetantem, nè anxii ſimus de futuro neceſſariorum commeatuum proviſione, utpote quibus ad omnimodam ſecuritatem ſatis ſupérque eſt, noſtram eorum indigentiam DEO eſſe perſpectam? (*Matt.* 6.) *Nolite ſoliciti eſſe, dicentes: Quid manducabimus? aut quid bibemus? ſcit enim Pa-*

ter

ter vester, quià hù omnibus indigetis. Esto, à multis oppugnemur, iisque validissimis hostibus. Sat valet, ut eorum omnem vim flocci pendamus, amica illa promissio, (*Lib. 2. Paral. 20.*) *Nolite timere, neque paveatis multitudinem hanc. Non est enim vestra pugna, sed* DEI. *Non eritis vos, qui pugnabitis. Sed tantummodo confidenter state, & videbitis auxilium Domini super vos.* Magna, & continua rerum necessariarum egestate urgeamur. Quid tum? si tanti est, quæcunque opus sunt, obtinere; quanti rogare, dicente ipso Domino, (*Luc. 11.*) *Petite, & dabitur vobis. Omnis enim, qui petit, accipit.* Ardua, & periculis undique obsita sit nostræ salutis via. Cur animos idcirco despondeamus? En DEUM, ad nos per eam tutò deducendos paratum, instar veteris populi sui, quem per desertum *portâsse in humeris suis, & custodisse, quasi pupillam oculi sui,* (*Deut. c. 31.*) legitur. Ità profectò, en illum tale nobis amantissimæ genus providentiæ in paternis illis apud Isaiam verbis spondentem, (*c. 46. & 43.*) *Audite me, domus Israël, qui portamini à meo utero. Usque ad senectam ego ipse, & usque ad canos ego portabo. Ego feci, & ego feram, ego portabo, & salvabo. Noli timere Israël, quia redemi te, meus es tu.* Cùm

tran-

transieris per aquam, tecum ero: & flumina non operient te. Cùm ambulaveris in igne, non combureris, & flamma non ardebit in te. Quia ego Dominus DEUS, Salvator tuus. In summa, ut uno verbo omnia complectar; satìs esto, quòd professus disertè est, amicum nobis se esse: (*Joa. c. 15.*) *Vos autem dixi amicos.* Nam, si Porus Rex Indiæ roganti Alexandro Macedoni, quonam modo tractari vellet, respondit unico verbo: *regaliter*, nimirum prout Regem tractari par est, instantíque, num quid aliud desideraret? nihil sibi superesse addendum, subjecit, quod unica illa voce non contineretur: *Omnia*, inquit, *verbum regaliter compleditur*; (*Plut. in Alex.*) haud dissimiliter ego quoque hìc dixerim, nihil posse vel nos à DEO petere, vel eum nobis præstare, quod in amicorum suorum nomine non promiserit. Quocirca non vulgarem injuriam ipsi faceret, qui post hæc de sua etiamnum imbecillitate, atque inopia pergeret queri: tanquam si amicum hujusmodi habens non promptum, paratúmque in eo haberet, quidquid opum, & præsidiorum ad plenam felicitatem requiritur. *Quidni* (ait D. Bernardus) *omnia possibilia sint, inuitenti super eum, qui omnia potest? Nihil omnipotentiam Verbi clariorem facit, quàm quòd omnipo-*

potentes faciat omnes, qui in se sperant. Denique omnia possibilia sunt credenti. An non omnipotens, cui omnia possibilia sunt? (*Serm. 85. in Cant.*)

5. Fateor quidem, si à nostramet natura, & citra externæ ullius benignitatis opem haberemus, quidquid noster usus desiderat; majorem futuram nativæ nostræ conditionis præstantiam. Sed, cùm præstantia hujusmodi, ùt paulò antè indicavi, ultra entis creati limites sit; qui eâ se carere indignanter ferret, perinde faceret, ac si indignaretur, ens creatum se esse. Nec præterea DEUM amaret sinceriſſimo illo, & nîl proprii respiciente affectu, quo eum amabat D. Paulus, cùm diceret: (*2. ad Cor. c. 12.*) *Libenter gloriabor in infirmitatibus meis, ut inhabitet in me virtus Christi*: nempe ideo, quòd cogeretur non suæ, sed DEI adjuvantis virtuti suæ omnia felicitatis instrumenta, & præsidia debere. Quem imitata in prædicto integerrimæ charitatis sensu B. Catharina Genuensis, usque adeò ipsa etiam gaudebat, omne nostrum bonum expectandum nobis à DEO esse; ut si in eventu impossibili, & merè imaginario, vel minimam boni particulam apud quempiam vidisset, quæ à se ipso illi inesset, professa sit, (*In Vit. c. 10*) eam se illi per vim ablaturam, nè quid usquam

propriæ bonitatis extra DEUM omnis boni fontem extaret. Cæterùm si hæc divini auxilii necessitas nos naturaliter minùs perfectos, haud certè etiam minùs tutos, ac divites reddit. Imò per æternam, & immobilem hujusmodi legem, ut non nisi à DEO expectanda nobis sint, quæ ad nostram salutem, & felicitatem pertinent, certiores sumus, ea nobis cumulatè obventura, quàm si iisdem comparandis sat virium in nostra natura haberemus. Quamobrem absurdæ præter omnem, & vix non impiæ illæ mihi quorumdam voces videntur : timeo de mea prædestinatione, & salute, eò quòd non à me tantùm, sed à DEO quoque illa pendeat. Si totum hoc negotium in mea unius manu esset, securus de illa agerem. Nunc autem cogor in metu esse, quando felix illius exitus *non est volentis, neque currentis, sed miserentis* DEI (*Ad Rom. 9*) Tace, tace, ô quicunque ità differis. Nè unquam deinceps seu in mentem tibi veniant, seu ab ore tuo prodeant sensus tam præposteri, támque injurioſi DEO, qui se Patrem profitetur, & amicum tibi esse. Timere te ais de sempiterna tua salute, eò quòd non illa à te uno, sed à DEO itèm pendeat? Ineptissimum consequens : imò tunc potiùs author tibi essem

sem timendi, si nullæ hoc in negotio partes DEI essent, sed tu solummodo illud posses, ac deberes peragere. Unica solicitudinis, ac trepidationis ratio tibi est, quòd illud non tantùm à DEO, sed à te etiam pendeat. Felicem te enim verò, si DEUS totum hocce opus arbitrio tuo prorsus excluso sibi uni curandum sumeret, certus omnino de secundo illius exitu fores. Nunc saltèm gratias ei age, quòd non totum in tua manu relinquere, *nec volentis, & currentis* tui, sed *sui* esse *miserentis* voluerit. Cùm tuum *velle*, tuúmque *currere* nequaquam certum æquè sit, ac suum *misereri*. Si nullius, præterquam volentis, & currentis esset, justissimam de illo metuendi causam haberes. Tanta siquidem vecordia tua est, ut forsan omitteres *velle*: & tanta itèm ignavia, ut facilè negligeres *currere*. Nunc verò, cùm sit *miserentis DEI*, tam firmam concipere de prospero illius eventu spem potes, quàm extra omne dubium est, DEUM pro natura habere misericordiam, neque posse hujus magis, quàm suæmet oblivisci naturæ. *Miror homines* (scribit D. Augustinus) *infirmitati suæ se malle committere, quàm firmitati promissionis DEI.* (*De Prædest. Sanct. c. 11.*) Qui alibi etiam colligit, tantò unicuique justiùs confidendum in

DEO esse, quantò minorem habet causam confidendi in se ipso. (*De Bono Persever. c.* 22.) *Absit autem à vobis, ideo desperare de vobis, quia spem vestram in ipso habere jubemini, non in vobis. Maledictus enim homo, qui spem habet in homine: & bonum est confidere in Domino, quàm confidere in homine: quia beati omnes, qui confidunt in eo.* Idque quàm compertum, & persuasum haberet egregius ille DEI servus Joannes Avila, perilluſtri declaravit exemplo. Cùm enim aliquando ob iniquas delationes in sacrorum fidei Quæsitorum custodia detineretur, & judex, quasi rem humanitus desperatam significans, ei dixisset: Joannes, causa tua jam in DEI manu sita est; hilari vultu respondit, atqui, si ibi illa est, meliore in loco esse nequit. (*In Comp. Vit. c.* 3.)

6. O Altissime DEUS! qui, cùm supremum in creatas res universas dominatum obtineas; non tamen dedignaris inauditæ benignitatis prodigio amicum te nobis offerre; absit à me, injuriosum adeò tibi esse, ut timeam, nè verbo tenus, & meram in speciem id nominis præferas, minúsque ideo promptam, quandocunque usus poscat, laturus nobis opem sis, quàm fidissimus quisque ferret ex amicis nostris mortalibus. Nimis, ah nimis à

suspi-

ſuſpicionibus tam indignis abhorret cognitio, quam de ineffabili bonitate tua mihi impertîſli: nimíſque itèm diſcrepant luculentiſſimæ de eadem teſtificationes, quæ in ſacrarum Literarum monumentis ad ſingulos penè greſſus occurrunt. Timeat ergo, quiſquis vult, naturalis impotentiæ ſuæ causâ. Ego quippe amicum te habens ſatìs me munitum, & validum tua omnipotenti virtute arbitrabor. Novi quidem, & fateor, nihil me infirmius ſecundùm nativam conditionem meam eſſe. Sed nihil indè ſolicitudinis, moleſtiæque capio: eodem quippe loco ponens, quæ uſui ſunt, per auxilium tuum, ac per propriam meam virtutem aſſequi poſſe: imò charius habens, tutiúſque exiſtimans, quòd vires neceſſarias à te debeam accipere, quàm ſi eaſdem per me ipſum haberem. Charius quidem, quia quodvis meum bonum plus mihi affert oblectationis, ſi amicum ſit benignitatis tuæ munus, quàm ſi meæ decus naturæ. Tutius verò, quia major mihi ratio eſt confidendi de voluntate tua nunquam non fidiſſima, & optima, quàm de mea plerumque infida, & perverſa. Quamobrem nihil dubitaverim illa Apoſtoli verba uſurpare, (2. *ad Cor.* 12.) *Cùm infirmor, tunc potens ſum*: tantúmque abſum ab expoſtulan-

do de mea naturali imbecillitate, ut eam potiùs amem, atque exoſculer: quippe quæ nec ulli periculo me objicit, cùm in dubio quovis rerum cardine à te fulciatur, & continuæ materiam mihi præbeat lætitiæ, efficiendo, ut in ſingula temporis momenta novos tui erga me amoris effectus experiar. Si æternam meam ſalutem meæ duntaxat voluntati, & virtuti procurandam relinqueres, deprecarer te, nè tam gravi damno affectum me velles. Manifeſti ſiquidem damni genus filio prodigo eſſet, ſuæ potiùs temeritatis, quàm paternæ providentiæ auſpiciis vitam gubernare. Proh quantùm gaudeo, quòd nihil nisi per te poſſim, quòd ſingulis vitæ momentis ope tua indigeam, quódque, veluti quidquid aſſecutus bonorum ſum, non mihi, ſed tibi debeo; ſic & quidquid deinceps aſſequar, non mihi debebo, ſed tibi. Non poſſum in meliori uſquam loco, quàm in tuis manibus degere. Nisi naturalis creatæ meæ eſſentiæ conditio me ibi neceſſariò conſtituiſſet, egomet ipſe per ultroneam, & liberam electionem iis me totum committerem. O manus parentis! ô manus amici! ô manus non minùs largæ, quàm divites, non ad ſubveniendum minùs promptæ, quàm validæ! Cuinam plùs me decet, quàm vo-

vobis fidere? In quem ſecuriùs, quàm in vos reclinare omnem mearum ſeu præſentium, ſive æternarum rationum ſummam? *In manus tuas, Domine, commendo ſpiritum meum. In te Domine ſperavi: non confundar in æternum.*

7. Atque ex hac cum DEO, tanquam intimo amico, rerum omnium communicatione fiebat, ut fideles illius ſervi nîl dubitarent opera ſæpe aggredi, humanam vim excedentia, ùt quando pro poteſtate edixerunt jam inſanabilibus morbis, ut languentes artus extemplo deſererent; jam animabus corporeo nexu per mortem ſolutis, ut ad priſtinas ſedes poſtliminio redirent; jam elementis, & aliis ſenſu carentibus corporibus, ut conſuetam operandi rationem, & propriam quodammodo naturam mutarent. Neque id moderatè duntaxat, gravíque, & extraordinaria ratione impulſi, tanquam ſi vererentur poteſtate à DEO ſibi indulta juſto largiùs, & prodigè uti: ſed pluries ſinè ulla parcitate, levibúſque de cauſis more hominis, qui opulentiſſimi theſauri claves à Domino acceperit cum omnimoda poteſtate ſumendi indè, quantumcunque opum libeat. Cujus libertatis complura in ſacris Hiſtoriis videre eſt, nec illepida exempla. Quale putà illud magni Abbatis Ma-

carii, cùm leæna catulum ſuum viſu orbum ſupplicanti ſimilis ante illius pedes depoſuit. Quem vir ſanctus DEO invocato, ſupráque cæci animalis oculos expuens, lælabundæ matri integrum, ac videntem reſtituit. (*Ribad. in Vit.*) Quale itèm à P. Bernardo Colnago noſtræ Societatis viro editum: (*Tanner in Soc. Eur. El. 87.*) cùm ad ſedandos pueruli de volucri ſibi elapſa inconſolabiles fletus dexterâ intrà ſinum inſertâ aliam indè non ſinè magna præſentium admiratione venuſtiorem aviculam protulit, & lugenti in manus porrexit. Quale illud denique (ut de aliis pluribus taceam) admirabilis viri, & noſtri itèm Sacerdotis, Joſephi Anchietæ, cùm arbiter lectus inter duos competitores, qui in anſeris ludo eam volucrem ſibi uterque contendebant deberi; puſionem quinquennem naturâ mutum prodire in medium juſſit, ſuóque calculo controverſiam decidere. Qui DEI famulo obtemperans auditus illico eſt obſtrictam eatenus linguam in voces reſolvere, cúmque incredibili circumſtantis totius populi plauſu feſtivam hanc ſententiam proferre: Meus eſt, mihíque anſer debetur, ut meæ parenti illum feram. Atque in hunc modum, nemine non approbante, dijudicata lis eſt: domúmque ipſe

se lætus de anfere, multóque adhuc lætior de acquisito loquendi usu discessit. (*In Vit. Ital. c. 14.*)

8. Hinc etiam oriebatur familiaritas, qua iidem res necessarias à DEO interdum poscebant, ritu debitum potiùs exigentis officium, quàm gratuitum munus petentis: nec subtimidè instar ejus, qui Domino supplicet, sed confidenter, ceu qui ad amicum confugiat. Adeò ut, nisi ocyùs exaudirentur, haud timerent de impetrationis mora cũ eo queri, exclamantes: *Usquequo Domine, oblivisceris me in finem? Exurge: quare obdormis Domine? Ubi sunt misericordiæ tuæ antiquæ? Clamo ad te, & non exaudis me: sto, & non respicis me. Mutatus es mihi in crudelem.* (*Ps. 12. 43. 88. & Job. c. 30.*) Imò etiam ad minandum, & ad vim quodammodo intentandam progrederentur. Et verò nónne audax, & libero spiritu plena est illa Moysis, dum causam populi sui ageret, pactio, (*Exod. 32.*) *Aut dimitte eis hanc noxam, aut, si non facis, dele me de libro tuo?* Nónne cogentis, & minabundi speciem præfert illa Jacobi Patriarchæ denuntiatio, (*Genes. 32.*) *Non dimittam te, nisi benedixeris mihi?* Nónne eandem observare vim licet in commination illa, qua religiosus vir è sacra Prædicatorum

Familia, ſubmiſſiore antea oratione in caſſum petitam, valetudinis integritatem à DEO tandem obtinuit, diſertè conteſtatus: *Profectò, niſi me ſanaveris, Domine JEſu, accuſabo te apud piiſſimam Matrem tuam.* (*Bin. Prax. Am. div. c.* 25.) Quibus piæ libertatis exemplis ſimilia adjungi merentur, tum B. Catharinæ Genuenſis: (*In Vit. c.* 29.) quæ, ſi à DEO quid optaret, audiebat ſe interiùs moneri: jube, nam amor rei præſtandæ vim habet; tum memorati paulò antea Bernardi Colnagi, eò uſque interdum progreſſi, ut ſi tardiùs conſequeretur, quod à DEO poſtulabat, infantuli JEſu effigiem arcâ, velut carcere includebat, denuntians, non niſi poſt exauditas ſuas preces, ſe eum indè educturum. Qui, tam confidenter cum cæli Domino agens, nîl mirum eſt, quòd erga Cælites ipſius famulos pari confidentia uteretur. Prout videre licuit, cùm piſcatui aliquando intereſſet, néve otioſum tantummodo ſpectatorem ageret, hamum ipſe etiam in mare jecit, D. Antonium Patavinum precatus, ut jactum ſuum anguillæ capturâ ſecundaret. Educto enim paulò pòſt hamo, cum anguilla quidem, ſed minuſcula; heus, inquit ſubridens, hiccíne, Antoni, piſciculus dignũ tibi te munus videtur? Reddo illum tibi, ut ali-

alium majorem à te obtineam. Et obtinuit revera, vix priore abjecto, & hamo in undas rursus demisso, anguillam videlicet tantæ magnitudinis, ut in prandium cunctis sufficerit, qui piscatûs gratiâ eò loci convenerant. Utque aliàs evenit, cùm accito ad se puerulo lapidem tradidit, jubens cum eo ad Franciscanorum Patrum templum, ejusdémque S. Antonii aram proficisci, & divo aræ Præsidi dicere, B. Antoni, P. Bernardus Colnagus dicit, te cor lapide hoc durius habere, utpote qui adhuc moreris homini illi, à se tam instanter tibi commendato opem ferre. Quam legationem cùm simplex puer rite obiisset, prodeuntem ex ara Franciscanum vidit, qui placido vultu, age, inquit, P. Bernardo suum lapidem refer, dicitóque, ejus duritiam ipsius cordi veriùs inesse: cùm post tot contraria argumenta eum tarditatis in se exaudiendo accuset, qui homini, quem commendaverat, prompta, & præsenti ope adfuit, licèt rei eventus non ità protinus ab eo resciri potuerit. (*Tan. sup. cit. & in Comp. Vit. p. 2. c. 7.*)

9. Sed enim verò amica hæc cum DEO agendi libertas, & quasi authoritas, illius opes, virésque respiciens, quasi per mutuam amicitiæ communicationem suas, nequaquam, ut ani-

animadvertit D. Bernardus, cuivis animæ convenit: sed earum tantummodo propria est, quæ perfectæ cum supremo illo Domino amicitiæ jura ad unguem servantes certissimè nôrunt, multò eadem accuratiùs servatum ab ipso pro parte sua iri: atque ità (*Serm. 46. in Cant.*) *nimiæ confidentiâ charitatis nihil ejus, quem valde diligunt, à se existimant alienum: audacter se in possessionem associantes, cui junctas non dubitant in amore.* Quò igitur hæc, de qua loquimur, communicatio integra utrinque existat, posítque anima liberum sibi in bona cælestis amici jus sumere; debet ipsa quoque, ceu initio proposui, plenam eidem in quævis sua bona potestatem permittere; adeò ut, quomodocunque his usus ille fuerit, nihil indè commoveatur, neque id pro re nova, & insolenti habeat, sed pro æquissima potiùs, & quam ipse amicitiæ fœdus cum eo primùm iniens, ratam simul esse in futurum omne tempus volucrit. Et sanè hujusmodi esse amoris, quanquam non mutui, ingenium, documento est mirum illud indulgentis, prolixíque animi specimen, quod refert Plutarchus, (*In Vit. Alcib.*) ab Anito perillustri Athenis cive proditum fuisse erga Alcibiadem. Nempe hic ferox, ac prætumidus juvenis, quamvis

vis ab Anito medullitus, efflictimque amaretur, vix ullam tamen amatoris sui rationem ducebat, nec aliud ei exhibebat amici signum, præter confidentiam, qua ejus amore in sua emolumenta utebatur. Hinc invitatus ad sumptuosum, & geniale epulum, quod Anitus domi suæ adornaverat; renuit quidem adesse? sed, cùm convivium jam celebraretur, improvisus supervenit, non conviva, sed raptor. Pari siquidem libertate, ac si Dominus, & in domo sua esset, vasa quædam argentea ex abaco, ubi ad usum, splendoremque convivii prostabant, à famulis, quos secum duxerat, auferri jussit, iisque spoliis onustus è conspectu Aniti, rem totam observantis discessit. Quantum admirationis, & stomachi in omnibus, qui discumbebant, excitârit tam impudens facinus, pronum cuique sit æstimare. At vix ulli videatur credibile, quàm tranquillo illud Anitus vultu, atque animo exceperit. Ipse, qui unus injuriâ, damnóque affectus fuerat, usque adeò nullam indignationis vocem contra iniquum prædonem emisit, ut eum potiùs à reliquorum convivarum jurgiis tuendum susceperit: tanquam non modò nullius in eo facto injustitiæ, ac petulantiæ reum, sed magnæ insuper æquitatis, ac mo-

de-

destiæ laudandum: utpote qui, cùm plenissimam sui erga eum amoris causâ in omne convivii argentum potestatem obtineret, non nisi partem indè auferre contentus fuisset. Si itaque tam liberali ille animo fuit erga amicũ mortalem, imò neque amicum, quia amori suo ingratum; quo nos, rogo, esse oporteat erga DEUM, quoscunque inter amicos & maximè amari dignum, & in redamando fidissimum? non existimantes nimirum contra ullum jus nostrum, & proprios amicitiæ ritus ab illo agi, dum aliqua earum rerum utitur, in quas ipsi, tanquam intimo amico plenissimum jam arbitrium concessimus: imò admirantes ipsius moderationem, quòd ea tantùm parte contentus sit, & liberrimam ei rursus facientes, reliqua itèm omnia pro suo arbitratu usurpandi potestatem, B. Catharinæ Genuensis exemplo, quæ quanta cum largitate totam se, suásque res omnes DEO permisisset, quámque non securo duntaxat, sed hilari quoque animo exciperet, quidquid de se visus ipsi esset statuere, ex sequenti hac testificatione intelligi potest: *Ego clavem domûs meæ amori tradidi cum amplissima facultate, ut, quidquid opus facto èrat, libere ageret, nil parcens seu animæ, seu corpori, seu rei, seu cognatis, atque amicis.* Cúmque vi-

vidiſſem ſuſceptam ab eo eſſe hujuſmodi curam, miſſam à me illam penitùs feci: obſervans tantummodo ſumma cum animi jucunditate mirum, quo inte im ſingula ab eo peragebantur, decorem. (*In Vit. c. 41.*)

10. Neque verò, quòd noſtras omnes facultates unà cum divinis in commune contulerimus, & contenti ſimus, DEUM parte à nobis congeſta pro arbitratu ſuo uti, liberales nobis poſſumus erga ipſum videri. Poſt mutuam quippe hujuſmodi communicationem, quantumcunque ille rerum noſtrarum ex eo cumulo accipiat, incomparabiliter ditiores remanemus, per ſumam ab ipſo viciſſim contributam; quàm ſi noſtrum omne peculiolum nobis privatim poſſidendum retinuiſſemus, nec DEUS vel minimam ex eo partem delibâſſet. Quemadmodum, ſi ego, & magnus Rex aliquis noſtra bona omnia in commune conferamus: ego nempe exiguum id, quod mihi ad quotidianos vitæ uſus vix ſufficit; ipſe verò quidquid poſſeſſionum, cenſuúmque recipit principalis ſuæ fortunæ amplitudo; licèt Rex partem eam omnem, quam ego contribui, in ſuos uſus abſumeret, ſemper tamen plus incomparabiliter in communi acervo opum reſtaret; quàm quod antè bonorum commu-

municationem in privato censu meo fuerat: ac proinde, cùm totus ille acervus à me quoque communiter possideatur, opulentior sinè ulla comparatione ego indè essem, quàm si nullo inito communionis fœdere totum mihi uni meum peculium servâssem. O cõmunionem, supra quàm æstimari possit, quæstuosam, ac divitem! cujus ratione & DEUS animæ dicit, quod dicere interdum solebat fideli suæ sponsæ Teresiæ, (*In Vit. c. 35.*) *Jam tu mea es, egóque sum tuus*; & anima de eo usurpat illa Sponsæ in Canticis verba, (*c. 2.*) *Dilectus meus mihi, & ego illi.* Uterque nostrûm ab altero possidetur, & alterum vicissim possidet. Nullum jam est inter mea, & illius bona discrimen: sed tam hæc, quàm illa, unum quid sunt totum illius simul, & meum quasi unum commune peculium ex duobus diversis conflatum. Felices enim verò animæ, quæ hoc fœdus inierunt cum DEO! Imò felices, quotcunque hominum sunt, cùm DEUS ad illud omnes invitet. Miserrimi verò illi, qui cæca, & vecordi retinente avaritia inire illud timent; vel non tam ex toto ineunt, quàm ad veram, perfectámque amicitiam requiritur.

)(o)(

CA-

CAPUT XXXII.

De alia intimiori communione, imò unitate, quam perfectus DEI amor inter noſtram, & illius voluntatem conſtituit. Cujuſmodi ea ſit? quæque rationes nos ad eam poſſint impellere?

PArùm eſt amicis, externa ſua bona in unum conferre, nisi idem etiam de ſe ipſis, déque præcipua ſui parte, voluntate videlicet, faciant, volendo uterque, quidquid velle alterum noverit. Idque adeò neceſſarium ad perfectam amicitiam Ariſtoteli eſt viſum, ut neget, poſſe inter eos hanc exiſtere, (*L. 9. Eth. c. 3.*) *qui non iiſdem gaudeant, & doleant.* Nam & perfectè amici, quemadmodum ipſe alibi ſcripſit: (*Lib. 7. Evdem. c. 7.*) *Una anima ſunt*; & unius animæ plùs quàm una eſſe nequit voluntas. Debet itaque, quiſquis Deum verè amat, & ſolidam cum eo inſtituere amicitiam expetit, ſuam illi voluntatem donare, & ſuæ locò illius voluntatem ſumere: ità ut plùs divina voluntate moveatur, quàm ſua; imò ſuâ nullo pacto moveatur, ſed dun-

taxat divinâ, posítque cum Apostolo dicere: (*Ad Gal.* 2.) *Vivo autem jam non ego, vivit verò in me Christus.* Cùm enim nihil aliud uniuscujusque vita, & anima sit, nisi quod principium ei est operandi, & volendi, verissimè dici potest, nequaquam in se ipso, nec per suammet animam, sed in DEO, pérque illius spiritum vivere, qui non à se ipso, neque à sua anima, sed à DEO ad operandum, & volendum movetur. Jam verò duobus modis possumus DEI voluntatem pro volendi principio habere, quemadmodum duplex secundùm Theologos DEI voluntas circa nos est: altera videlicet *signi*, in præceptis sita, & consiliis, per quæ ille, quid à nobis fieri velit, significat: altera verò *beneplaciti*, in æternis decretis consistens, quibus idem ante mundi creationem efficaciter voluit, quæcunque præter peccatum in eo evenerunt, & eventura sunt. Utramque igitur prædictarum DEI voluntatum perfectus DEI amor requirit, ut pro norma, & principio volendi sumamus. Primam quidem, exequendo cum omni alacritate, quidquid ipse per mandata, & consilia significat voluntatis suæ esse, ut à nobis fiat, quantumcunque id asperum sit, humanóque nostro sensui repugnans. Alteram verò, ex-

excipiendo cum pleniſſima approbatione, quidquid juxta æternum illius placitum in mundo evenit, quantumlibet noſtris rationibus, conſiliiſque adverſetur. Sed de prioris executione, tanquam de exercitio complectente quidquid maximè ardui in tota ſanctiori vita eſt, heroicos nempe omnes actus virtutum, qui ad perficiendam eam pertinent, in ſequenti libro, tanquam magìs proprio ejus loco, mihi agendum ſepono, circáque ſolam poſterioris approbationem me hìc continebo, oſtendens, quàm proprium amantis DEUM animæ ſit velle, & complecti, quidquid ipſius nutu accidit, non aliter, quàm ſi ipſamet illud antea deſiderâſſet, atque elegiſſet.

2. Et multa nos quidem ad DEI voluntatem in quibuslibet rerum eventis amplectendam, & plenè approbandam impellunt. Nam ut hinc ordiar, an non ille, ùt libro præcedenti explicavimus. abſolutiſſimus creatæ totius univerſitatis, rerúmque omnium in ea exiſtentium Dominus eſt? Quídni ergo ſummum indè jus habeat, ſtatuendi de omnibus, quomodocunque ſibi libuerit? Aut quis jure indignari poſſit, quòd ſuis rebus arbitratu ſuo utatur? *Numquid dicet figmentum ei, qui ſe finxit:*

xit: quid me feciſti ſic? an non habet poteſtatem figulus luti ex eadem maſſa facere aliud quidem vas in honorem, aliud verò in contumeliam? (*Ad Rom. 9.*) Quidnam, quæſo, tu diceres, ſi aliquis tibi litem intenderet, eò quòd in hoſce, aut illos uſus tuam pecuniam, réſque alias tuo dominio ſubjectas inſumas? Nónne illum injuſtè agere clamitares? Nónne inſolens, & alienum ab omni ratione tibi videretur, quòd tuam ità libertatem coërcitum iret? Nónne illum moneres, ut contentus ſit, ſua in domo eſſe dominus, téque in tua dominari ſinat? Quanam igitur fronte DEUM in jus vocare audeas, quòd de hac mundi univerſitate, quæ domus ejus eſt, déque rebus creatis, quarum non tibi, ſed illi dominatus convenit, non ad tuum, ſed ad ſuum arbitrium decernat? *Dominus eſt: quod bonum eſt in oculis ſuis, faciat,* L. 1. *Reg. c. 3.*) unica, & juſtiſſima fuit Sacerdotis Heli reſponſio, cùm audîſſet ſupplicia, quæ DEUS familiæ ſuæ minabatur. Nec aliter, ſi quem rationis, & æquitatis ſenſum habes, dici à te quoque par eſt in omnibus, quæ per ejuſdem utpote naturalis tui domini voluntatẽ tibi accidunt. Ità, ità profectò: hoc unum ſufficit, hoc pro quavis ratione eſt. Nihil hìc poteſt dici, & ſubjun-

jungi aliud : *Dominus est ; quod bonum est in oculis suis, faciat.*

3. Præterquam quòd, etsi abesset DEO hic supremi, & universalis Domini titulus; satìs tamen valida ratio acquiescendi in quovis eventu illius voluntati esset, quòd nihil hac esse possit sapientius, & rectius, imò quòd ipsa princeps sit totius recti amussis, & norma : adeò ut decerni ab ea aliquid tantundem valeat, quantùm esse justum, sapiens, & rectum. Ex quo certissimæ veritatis principio hoc pariter certum consequens D. Thomas eruit, nostram scilicet voluntatem tunc solùm existimari rectam posse, cùm divinæ congruit: & quandocunque ab hac discrepat, non posse nisi pravam censeri, utpote à prima, & universali totius recti norma aberrantem. *In quolibet genere est aliquid primum, quod est mensura omnium, quæ sunt in eo genere, in quo perfectissimè natura generis invenitur. Et per hunc modum* DEUS *est mensura omnium entium. Tantum enim unumquodque habet de esse, quantum ei per similitudinem appropinquat, secundùm verò, quod ei dissimile invenitur, ad non esse accedit. Et sic de omnibus, quæ in* DEO, *& creaturis pariter inveniuntur, dici oportet. Unde & intellectus ejus omnis cognitionis est mensura, &*

bonitas omnis bonitatis : &, ut ſpecialiùs loquar, bona voluntas omnis bonæ voluntatis. Ex hoc ergo unaquæque voluntas bona eſt, quòd divinæ voluntati conformatur. (*De Vol.* DEI *art. 7.*) Quæro itaque ex homine, qui decretos à DEO eventus iniquo animo excipit ; ægréne illos fers, quòd tibi præter rationem videantur decreti ? & hoc eſſet adversùs orthodoxam fidem, imò & contra ipſa humanæ rationis principia ſentire ; an quia, etiamſi rectiſſimos arbitreris, velles tamen DEUM privatæ tuæ utilitatis reſpectu contraria iis decreviſſe ; & hoc foret duplici pravitate delinquere : unâ quidem, abhorrendo ab eo, quod eſſe rectum fateris, nec potes idcirco, nisi perperam nolle ; alterâ verò, exoptando, ut DEUS in perverſæ, atque errantis voluntatis tuæ gratiam, quod rectius eſt, noluiſſet. Quidnam igitur faciendum tibi eſt, quo utrumque horum ſcopulorum vites ? Diſce ex S. Auguſtino : (*In Pſ. 31. & 32.*) *Duæ voluntates ſunt : ſed voluntas tua corrigatur ad voluntatem* DEI, *non voluntas* DEI *detorqueatur ad tuam. Prava eſt enim tua, regula eſt illa. Stet regula, & quod pravum eſt, ad regulam dirigatur. Quantùm enim* DEUS *diſtat ab homine, tantùm voluntas* DEI *à voluntate hominis.* Sed quid te ad Auguſtinum mit-

mitto ? disce id ex Doctore Ethnico, Epicteto nimirum, cui, ut humanos quosque eventus æquo animo acciperet, sat erat, majorem in divina, quàm in sua voluntate bonitatem agnoscere, ùt ex his illius verbis colligi potest: (*L. 4. c. 7.*) *Ei, quod accidit, semper acquiesco. Melius est enim, quod* DEUS *vult, quàm quod ego volo.* Certè manifesta ratio exigit, ut, si duæ voluntates in contentionem veniant, summopere altera sapiens, & recta: qualem divinam esse constat; altera cæca, & præpostera, qualem esse humanam inficiari nequimus; secunda primæ potiùs dirigendam se præbeat, quàm illius sibi regimen poscat. Philosopho siquidem teste, (*In Lib. I. de An. c. 85.*) *Recto & ipsum, & obliquum cognoscimus, judex enim utriusque regula: obliquum verò neque sui ipsius, neque recti.* Et ubi opposita ratione ageretur, ità ut obliquum, pro eo ut se accomodaret ad normam recti, illius norma esse vellet; nemo utique non videt, quanta indè rerum perturbatio sequeretur, quámque similis mundus fieret fabuloso illi apud Plutarchum serpenti, (*In Vit. Agid. & Cleom.*) cujus cauda, pro eo ut cæca, & oculorum expers sequeretur capitis ductum; illud potiùs instar ducis anteire, & post se trahere vo-

luit. Nè multis: *Placeat homini*, inquit Seneca, *quidquid placuit* DEO. (*Ep. 74.*) Meminerit quisque, se hominem esse, animal scilicet, quàm veri ignarum, tam pravi appetens, ideóque dupliciter cæcum: & satìs hoc illi erit, ut pleno assensu approbet, quidquid sapientissimo, ac rectissimo humanarum rerum moderatori placuerit, suæ licèt voluntati contrarium: repetat, inculcétque sibimet ipsi prudens illud Epicteti monitum: (*Arria. L. 2. c. 7.*) *Ignavissime homo, aliúdne expetis, quàm id, quod melius est? Num verò aliud quidpiam melius, quàm quod visum* DEO *fuerit?* Et Filii DEI humana carne amicti obsequentissimas voces, (*Luc. 22.*) *Pater, non mea voluntas, sed tua fiat.* Æquissime mundi arbiter, naturalis quidem meus sensus huic decreto à te eventui repugnat; sed quoniam certò novi, voluntatem tuam non posse esse in ulla re, quam statuat, jubeátque, nisi omnino justam, & rectam, meam verò in plerisque suis placitis imprudentem esse, ac perversam; libenter fero, boníque consulo, non id fieri, quod ego voluissem, sed quod tu vis, quódque, quia volitum à te est, ego itèm jam volo.

4. Id quod tantò etiam alacriùs profiteri nos decet, quantò certiores sumus, decreta illius omnia,

omnia, præterquam quòd infinita æquitate, & sapientia temperentur, non minorem adjunctam sibi habere erga nos charitatem; nec aliò, quàm ad majus servorum suorum bonum collineare. Cùm enim per infinitam perfectionis, & beatitatis suæ plenitudinem, nihil ille ulterioris boni intrà se assequi possit, nihil etiam propriæ utilitatis in ulla earum, quas decernit, & facit, respicere potest; adeò ut hujus causâ nîl pensi habeat, (ùt sæpe homines faciunt) vel cum rerum nostrarum incommodo, & detrimento operari. Quòd si in quavis sua operatione jus habet quærendi, & quærit re ipsa suam gloriam, nempe ut cognoscatur, honoretur, & ametur à nobis; hæc tamen ipsius gloria, quemadmodum à vero, summóque nostro bono dividi nequit; ità nequit illum impellere ad decernenda, & agenda, nisì quæ majoris nostri boni usibus serviant. Si ergo constituti sub gubernatione, & regimine nostrimet Genitoris, vel fidissimi cujuspiam amici, nîl dubitaremus, quin ipse in nobis gubernandis nostram utilitatem respiceret, quamvìs humanæ conditionis suæ causâ proprias ille habere utilitates, & rationes possit, à quibus aliorsum impellatur; cur cælestem nostrum Patrem tan-

tò minùs noſtri amantem putemus; ut, quamvìs nulla boni proprii ratione impulſus, ex mera duntaxat incuria facturus aliquid ſit, quod noſtræ utilitati adverſetur? Næ ità de illo ſentire, ad indignationem provocare illum eſſet, auferendo ipſi eam paternæ erga nos charitatis laudem, cujus ipſe ſtudioſum ſe inprimis exhibuit, quámque tot argumentis probatam eſſe, ac certam nobis voluit; quot, quámque luculentæ ſunt teſtificationes, quas paſſim de illa in ſacris eloquiis nobis reliquit. Nempe hìc quiſquam objiciat, haud ſibi apparere, quid majoris boni ex hoc, vel illo terrenis ſuis rationibus incomodo eventu poſſit referre: nam & pleroſque ægrotantium latet, quomodo, unde præſcriptum ſibi à Medico pharmacum ſe à morbo expediendi vim habeat: quin ſæpe etiam contingit, ut poſteaquam illud ſumpsêre, graviùs ad aliquod tempus perturbari ſe experiantur, quàm antea: nec tamen idcirco, ſi cordati, & prudentes viri ſint, queruntur de medico: ſed peritia, & fide illius freti, ſperatam magìs futuri temporis valetudinem, quàm præſentis intemperias, & perturbationem attendunt. Si ergo, quamvìs & moleſta ſæpe experiamur, quæ nobis præſcribuntur remedia, & incerti

ple-

plerumque de utilitate indè percipienda ſimus; imò fieri poſſit, ut eadem propter medici vel inſcitiam, vel infidelitatem obſint nobis potiùs, quàm proſint, ſolemus ea nihilominus tanquam ſalutaria, & providè imperata confidenter accipere, quantò congruentiùs rationi eſt, ut promptè, alacritérque excipiamus, quaſi medicamenta ſenſui quidem ingrata, ſed ſaluti opportuna, eas ærumnas, quæ nobis interdum eveniunt: cùm, licèt minùs exploratam earum propriam utilitatem habeamus, certiſſimè tamen noverimus, à DEO illas nobis immitti, qui neque ùt amantiſſimus pater, & plenè in ſe ipſo beatus, aliud in decretis ſuis omnibus præter verum noſtrum bonum reſpicit, neque ùt infinitè ſapiens errare in providentia ſua poteſt? *Nîl agis dolor*: (rèpetebat Poſſidonius Philoſophus inter ſæviſſimos articularis ſui morbi cruciatus) *quamvìs ſis moleſtus, nunquam te eſſe confitebor malum:* (*Cic. 2. Tuſcul.*) ſapienter nimirum animadvertens, non quia aliquid perpeſſu aſperum ſit, poſſe etiam verè malum vocari. At ſapientiùs David, utpote ſupernaturali divinæ fidei luce illuſtratus, infortunia à DEO ſibi decreta nedum pro malis non habet; verùm de iis etiam, tanquam de veriſ-

ſi-

simis bonis, suæque lætitiæ, & consolationis materia, loquitur hilariter canens: (*Ps.* 22.) *Virga tua, & baculus tuus ipsa me consolata sunt*: perinde quasi diceret, fateor quidem, insectationis Saulis, perduellionem Absalonis, & Semei convicia virgam esse, quæ secundùm se dolorem afferre percusso, & tristitiam valeat; sed enim, cùm virga hæc tua sit, & paterno à te affectu *ad emendationem, non ad perditionem* (*Judith. c.* 8.) vibrata; satis id est, ut ejus plagæ consolandi me potiùs, quàm contristandi vim habeant; neque enim potest, nisi è re mea esse, & ad verum meum bonum spectare, quidquid ex tam benevola manu mihi accidit.

5. Quando itaque humanus tuus sensus de eventu aliquo adverso conqueritur, nec aliam in eo nisi mali rationem agnoscit; corrige perperam opinantem, dicens ei: falleris, ô bone! in casu isto iniquiùs ferendo: quia, cùm luscus sis, non vales in præsenti ejus molestia jucundos, & optabiles fructus perspicere, quos suo tempore pariturus est. Quòd si percontaris, quænam sit ratio expectandi ab eo hujusmodi fructus; en tibi illam meridiana clariorem luce, & nulli negabilem. Quia nempe iste casus eo volente, ac jubente evenit,

nit, qui & paterno te amore complectitur, & omnes indè proventuros effectus præsentissimo visu intuetur: quémque ideo incredibile omnino est, hujus tibi molestiæ authorem futurum, nisi prævideret, eam tibi, modò velis, utilem fore; vel ratione amplioris boni, quod indè consequêris, vel respectu gravioris mali, quod illius occasione vitabis. Satis ergo tibi sit ad excipiendum libenti animo, & boni locò ducendum, quidquid duri accidit, à Patre tam provido, adeoque tui amante id decerni. *Quid sit Pater, nescit: nescit se filium, qui non credit Patri. Si ergo* DEUM *credis, & confessus es Patrem; quidquid jusserit, quidquid in te elegerit, crede satis esse salutiferum, satis esse vitale.* Ità in rem nostram scripsit Petrus Chrysologus. (*Serm.* 7. *&* 55.) Nec aliter sensit quædam novæ Galliæ mulier, verè *mulier fortis*, & *cujus pretium procul, & de ultimis finibus.* Cùm enim decumbentem ex morbo jussisset medicus bono animo esse, utpote cui nulla signa mortem portenderent; admirata ejus sermonem quæsivit, scirétne medicus, Christianam se esse, auditóque, probè id ab eo sciri; cur ergo, subjecit, facta spe vivendi me consolatus es? Perinde quasi Christiano, qui firmissimè credit, DEUM Patrem si-

sibi esse, suámque juxta mortem, ac vitam ex paterna illius manu pendere, terroris, ac tristitiæ causa esse mors posset. *Nónne* DEUS *Pater mihi est? Nónne is est, qui de vita mea decernit? Cur igitur tristarer ob ea, quæ Pater meus facturus est? Pro voluntate sua cuncta moderetur. Christiana sum: tristitiâ nulla torquébor.* (*Le Blanc. in Psalm. 121. art. 1.*) Illustre profectò exemplum, nec parva erubescendi nobis occasio, qui in Christianæ Ecclesiæ quasi centro nati, educatíque, sæpe non habemus tantum fidei, ut DEUM Patris locò ducamus, neque tantum alacritatis, ut paterna illius scita approbemus, quantum habuit, quæ in extrema illa barbarie vix fortè plus acceperat, sciebátque de rebus divinis, quàm quod opus erat, ut baptismi suscipiendi esset capax. At fidamus, quæso, paternæ DEI providentiæ, qui nec minùs, quàm nos, vult, & meliùs, quàm nos, perspicit, quæ nobis expediunt: neque certam ei præscribamus, qua nos dirigat, viam, sed totos penitùs amantissimo illius regimini nos permittamus. *Et qui estis vos, qui tentatis* DEUM? *Posuistis tempus miserationis Domini, & in arbitrium vestrum diem constituistis ei. Dicamus flentes Domino, ut secundùm voluntatem suam sic faciat nobiscum misericordiam suam.* (*Judith. c. 8.*)

6. Ad-

6. Adde, quòd, quamvis minimè nobis constaret, singula quæque DEI placita & justissima esse, & ad majus nostrum bonum referri; iniquo tamen animo illa accipere, nihil nobis, prout D. Augustinus observat, ad eorum onus excutiendum, sed tantummodo ad gravius sentiendum valeret. (*In Ps. 99.*) *Noli servire cum murmure. Non enim id agunt tua murmura, ut non servias, sed ut malus servus servias.* Cùm è contrario, si libenter, amicéque illa ferimus; & minùs gravia experiamur, & præclarissimos ex iis fructus capiamus, utilissima per voluntariam hujusmodi subjectionem ea nobis reddentes, & si talia cæteroquin non forent. Quæ certè ratio nequit non maximi esse ad cordatum quemque hominem impellendum momenti, ut talis sit, qualis à D. Joanne Chrysostomo adducitur: dum interroganti, quonam modo tranquillus permanere, & hilaris possit inter adversos quosque eventus, respondet: *Si cogitaveris, quòd, seu velis, seu nolis, illa tamen patieris: sed, si gratè quidem, maxima lucraberis: sin verò ægre ferens, neque calamitatem ità minorem facies, & minorem reddes procellam. Hæc itaque cogitantes, quod necessitatis est, hoc nostræ voluntatis faciamus, Domino benedictionem referendo.*

Ità

Ità mala non voluntariè illata fient liberæ merita voluntatis. (*Hom. 46. ad Pop.*)

7. Utque aliquos fructuum ex amica hac divinis decretis ſubmiſſione provenientium referam; conſequetur hinc primò tranquillitas animi, nullis fortunæ vicibus obnoxia, nec pro accidentium varietate mutabilis, ſed ſibi ſemper conſtans, ceù immotum ſtat ſemper fundamentum, quo nititur, nempe impoſſibilitas, ut quidquam in mundo eveniat, niſi à DEO volitum, vel permiſſum. Et ſanè quamnam radicem omnium perturbationum, & mœrorum eſſe dixeris, unde animus hominis inquietari, affligíque conſuevit, non aliam, niſi quia voluntatem ſortiti ſumus infirmam, nec omnibus parem conſequendis, quæ appetit: nam ſi alicujus voluntas ità omnipotens foret, ut nihil obſtare illius votis poſſet; næ is ſublatâ omni triſtitiæ, ac perturbationis materiâ inter perpetua tranquilliſſimæ pacis alcidonia vitam traduceret. At numquid non omnipotens voluntas hominis eſt, qui nihil volens, niſi quod DEUS vult, hujus voluntatem ſuam fecit? Dubitari minimè poteſt, reſpondet D. Bonaventura, niſi dubitetur, an omnipotens voluntas DEI ſit. (*In Dict. Sal. tit.* 8. *c.* 1.) *Qui ſunt divinæ voluntati*

tati conformes, sunt quasi Dii suæ voluntatis omnipotentes. Ergo neque dubitari potest, quin idem omnium inquietudinum, à quibus perturbari posset, radicem uno ictu amputaverit, jugíque, & placidissima quiete animi perfruatur. Cùm enim in nulla re aliam à divina voluntatem habeat, quàm impossibile est contra divinam, tam & contra ipsius voluntatem quidquam accidere: útque DEUS apud Isaiam, sic & ipse gloriari jure optimo potest, (*c. 46.*) *Omnis voluntas mea fiet.* Unde illud porrò est Abbatis Dorothei paradoxum: Neminem magìs arbitratu suo vivere, quàm qui non suo, sed arbitratu DEI vivit: neminem suæ magìs voluntati satìs facere, quàm qui divina duntaxat movetur voluntate, & sua sese omnino abdicavit. (*Serm. 19.*) *Qui propriam non habet voluntatem, suam ipsius semper agit voluntatem.* Paradoxum quidem mirabile, sed minimè dubium, cujúsque veritatem etiam Epictetus se expertem testatur, affirmans: nulla externa se vi aut impulsum fuisse, ut contra voluntatem suam ageret, aut præpeditum, nè eidem obsequeretur, eò quòd nunquam voluisset, nisì quod volebat DEUS. (*Arria. L. 3. c. 26.*) *Ego prohibitus, aut impeditus re fui nulla, cùm vellem aliquid,*

nec vi coactus, cùm recusarem. Sed fieri istud, qui potuit? Quia subjeci voluntatem meam DEO. *Si volet me febricitare, & ego volo: si aggredi quidpiam, non refugiam. Si appetere quid præcipiat, non respuam. Si adipisci, non recusabo. Sin verò nolit, detrectabo ego quoque.*

§. Nescio, num aliquando examinandum apud vos sumpseritis, cur aër nunquam esse soleat, quàm sub diei, & noctis medium quietior. Aristoteles, qui nihil ex effectibus naturalibus inobservatum prætermisit, nihilque observavit, quin ejusdem causas indagaret, re in medium proposita, ait: (*Probl. Sect.* 25.) posse id contingere, eò quòd aër, & meridie ob majorem solis præsentiam quàm maximè victus, & noctis medio præ majori ejusdem absentia quàm maximè victor sit. Nam, cùm non ultrà repugnet, qui victus omnino jam est; nec inveniat victor, qui sibi ultrà repugnet, in utroque casu necesse est certamen desinere, eóque cessante certantem quiescere. Quotus ergo quisque non videt, eandem hanc causam non minùs, imò etiam ampliùs, quia ex utroque prædictorum capitum valere ad hominis quietem probandam, qui se totum divinæ voluntati permisit. Nempe victus hic usquequaque est secundùm nativam,

vam, humanámque ſuam voluntatem, utpote quam DEO penitùs ſubdidit, nè ullis illius decretis repugnet: ſed & victor ſimul omnino eſt ſecundùm voluntatem ſupernaturalem, ac divinam, quam ſuæ locò ſibi induit, utpote cui nihil poteſt obſiſtere. Quapropter, cùm neque ipſe ulli rei, neque ulla res ipſi obſiſtat; palàm eſt, procul omni eum certamine in perfectiſſimæ pacis ſtatu quieſcere. Ità profectò, hæc illa pax eſt, quæ naſcente olim DEI Filio annuntiata cælitus eſt *hominibus bonæ voluntatis*, voluntatis nimirum cum divina, quæ unica omnis bonitatis regula eſt, congruentis. Hoc illud *juge convivium*, (*Prov.* 15.) cui *ſecura mens*, terrenarum ſcilicet cupiditatum, & ſolicitudinum expers, quia divino ſe regimini totam permittens, jucundiſſimè accumbit. Hoc illud *gaudium*, quod juxta Verbi divini promiſſionem, (*Joa. c. 16.*) *nemo tollet à nobis*: cùm illæ ipſæ calamitates, & jacturæ, quæ humanam extinguere, aut perturbare lætitiam ſolent, conſideranti eas, ceu divinæ voluntatis effectus in gaudii materiam vertantur. Hæc demum quæpiam quaſi prælibatio integerrimæ illius, pleniſſimæque jucunditatis, qua Cælites perfruuntur: ideò, ùt probat D. Thomas, expertes omni

sensu tristitiæ, quia, cùm voluntatem DEI pro sua habeant; certò sciunt, nihil posse voluntati suæ contrarium accidere. (1. *p. qu.* 113. *art.* 7.) *Tristitia enim, & dolor, secundùm Augustinum, non est, nisi de his, quæ contrariantur voluntati. Nihil autem accidit in mundo, quod sit contrarium voluntati Angelorum, & aliorum Beatorum, quia voluntas eorum totaliter inhæret ordinationi divinæ Justitiæ. Nihil autem fit in mundo, nisi quod per divinam Justitiam fit, aut permittitur. Et ideò simpliciter loquendo nihil fit in mundo contra voluntatem Beatorum.* Quæ cùm ità sint, manifestè cuivis elucet, quàm efficax incitamentum hìc habeat suæ voluntatis accommodandæ in omnibus ad voluntatem divinam: quando, qui se ità composuit, certò scit, nihil posse evenire, nisi quod ipse voluerit; nec proinde afficiendi se tristitiâ, suæque pacis perturbandæ vim habeat.

9. Nec parvi faciendus est alter fructus, ex eadem nostræ voluntatis conformatione ad divinam proveniens: nimirum, quòd hoc pacto consequimur, ut DEUS se vicissim nostris votis accommodet. Proprium quippe illius est, talem se nobis exhibere, quales erga illum nos sumus, & consequenter tam prompto, & indulgenti favore velle, ut fiant, quæ

quæ nobis cordi sunt; quàm prompto, & libenti nos animo factum volumus, quidquid ipse decreverit. Alioquin amicitiæ leges, atque officia videri possent accuratiùs erga ipsum à nobis impleri, quàm ab ipso erga nos impleantur. Quod ipse nullo modo pati potest: utpote qui nulla ex tot incomparabilibus naturæ suæ prærogativis, quàm benignitate gloriatur magis: & cui multò veriùs convenit, quod de Cyro Persarum Rege Xenophon prædicat, (*Cyrop. L. 8.*) *Nihil magis veritum esse, quàm ut nè officiis vinceretur ab amicis.* Quòd si, juxta Regii Vatis sententiam, *voluntatem timentium se faciet;* (*Ps. 144.*) quídni facturus sit voluntatem se amantium, & ità amantium, ut nihil, nisi quod ipse vult, velint? Ipsiusmet testimonium habemus in his ad B. Gertrudem sponsam suam verbis: (*Insin. L. 4. c. 60.*) *Si quis mihi cooperatur, ut eum mihi coaptem secundùm beneplacitum cordis mei; necesse est, ut ego me illi conformem secundùm omne beneplacitum cordis sui.* Expertus id est pius ille agricola, qui, ùt in vitis Patrum refertur, vicinis rogantibus, undenam illius ager finitimis omnibus frugum ubertate antecelleret; causam esse respondit, quòd ipse anni tempora semper pro voto, & usu suo ha-

beret. Cúmque illi admirarentur, & jocari hominem crederent; haud joci gratiâ, ſubjecit, ſed ex animo, & ſeria fide ſic loquor. Anni tempeſtates nunquam mihi, nisi pro arbitratu meo ſunt, quia nunquam alia eſſe volo, quàm quæ DEUS advenire jubet. Ideóque, cùm ego velim tempora, prout ab eo ſubmittuntur; ipſe quoque mihi fructus largitur, prout à me optantur. (*Rodr. p. 1. tract. 8. c. 8.*) Neque aliter cuidam virgini evenit, ipſi quoque pro unica volendi norma divinam voluntatem habenti. (*Ibid.*) Cùm enim ad eam multi ob inſignem ipſius famam confluerent, poſtulatum, ſua ut DEO commendaret negotia; contingebat interdum, id ab ea officium per oblivionem præteriri, & negotia nihilominus è ſententia ſuccedere. Quare voti compotes ad eam mox redibant, de illo ſuarum, ùt arbitrabantur, precum fructu ipſi gratias agentes: non ſinè ejus rubore, quæ noverat, & palàm profitebatur, nullum ibi eſſe ſuis precibus gratiæ, ac meriti locum. Donec, expoſtulans aliquando cum DEO, accepta ſibi referri illa munera, quæ ipſe, quamvis à ſe non rogatus, ex mera ſua liberalitate impertiverat; reſponderi ab eo ſibi audiit: Vide filia, quo primùm die tuam mihi vo-

voluntatem donâsti, meam tibi ego quoque viciſſim deſpondi Et, quamvis de hoc, vel illo peculiari munere nullas à te certas preces accipiam, ſi tamen gratum tibi illud eſſe intelligam; ità præſto, ac ſi conceptis, diſertíſque verbis petitum à me eſſet. O præclaram ſanè hominis ſortem! qui volens quæcunque vult DEUS, viciſſim conſequitur, ut DEUS itidem omnia ipſi grata velit, & faciat. Nónne hoc eſt anticipare in via Cælitûm conditionem in patria? de quibus ſcribit D. Anſelmus: (*Proſol. c. 25.*) *Sicut DEUS poterit, quidquid volet per ſe ipſum; ità illi poterunt, quidquid volent per illum. Quia, ſicut illi non aliud volent, quàm quod ille: ità ille volet, quidquid illi volent. Et quod ille volet, non poterit non eſſe.* Quapropter, in pauca rem colligens, meum Lectorem ſic alloquor. Vel amas voluntatem tuam, vel amore illius cares. Si hoc alterum, nihil habes jam cauſæ, quin te totum divinæ voluntati ſubjicias: cùm huic ſubjectioni, præter propriæ voluntatis curam nîl obſtet. Sin verò te amare illam dicis, hoc ipſum cauſam tibi præbet, ut te penitùs divinæ voluntati ſubmittas: quando neque aſſequi potes, quæ vis, niſi DEUS votis tuis morem geſſerit; neque ut ille his morem gerat,

ulla certior est ratio, quàm se totum illius voluntati subijcere. *Scitote* (edictum à Salaminio Rege subjectis imperio suo est, multòque veriùs à supremo mundi Moderatore suis famulis, atque amicis edicitur) *Scitote, iis, qui meæ voluntati maximè servire studuerint, vivendi prout ipsi velint facultatem futuram.* (*Isocr. in Nicocle.*)

10. Denique præstantissimus exercitationis hujus, de qua agimus, fructus, & ad illam omnibus persuadendam solus sufficiens haberi jure optimo potest, quòd sibi deditos non plano duntaxat, & facili, sed & delectabili itinere ad eximiam sanctitatem perducit: nemo quippe hominum est, quin vitæ sanctimoniam & maximo habet in pretio, & impensè assequi cupiat. Sed plurimos ab ea sectandæ difficultates, salebræque deterrent, quibus obsitum illius iter videtur. Quòd si aliqua ipsis demonstraretur semita, nedum citra difficultatem, molestiámque, verùm etiam cum jucunditate, & delectatione ad eam ducens; quotusquisque non alacri hanc sibi animo capessendam putaret? Atqui talis exercitatio hìc proposita est. Nam, quòd sanctos, à quibus usurpatur, ea reddat, tam nemini esse dubium potest, quàm omnibus constat,

ſtat, nec alibi magis ſanctitatem, quàm in perfecto DEI amore eſſe poſitam, neque ullum certius exiſtere perfecti argumentum amoris, quàm velle, atque nolle, quidquid alter velit, aut nolit. Sed neque dubitari poteſt, quin eadem perquam facilis ſuapte natura, imò etiam jucundiſſima omnibus ſit: nam ad facilitatem quod attinet, quidnam cuivis hominum ſeu egeno, ſeu diviti, ſeu idiotæ, ſeu doctrinis exculto, ſeu ægroto, ſeu bene valenti promptius factu, magiſque ſub manu eſt, quàm velle, quæcunque DEUS velit? Si verò attendatur jucunditas, ubinam, rogo, inveniri illa poteſt, quàm in propria voluntate ſemper explenda, adeò ut nihil queat homini accidere, nisi ex ejus ſententia, nisi ipſi gratum? Cujuſmodi eſſe conditionem eorum vidimus, qui voluntatem DEI pro ſua habentes, quidquid per eam in mundo accidit, tanquam à ſe pariter volitum, læto, & gratulanti animo excipiunt. Quidnam igitur ardui, moleſtíque in hac propriæ voluntatis ad divinam penitùs conformandæ tam eximia cæteroqui ſanctitate invenitur, ſi nihil demum ea eſt, nisi omnem adverſorum caſuum diſplicentiam ab animo excludere, nisi quovis rerum eventu delectari,

nisi inter assiduos gaudendi actus vitam traducere? Aut quisnam queri ultrà potest, laborandum plùs nimio homini esse, ut sanctè vivat; si nihil ad hoc aliud requiritur, nisi semper tranquillum, semper contentum, semper hilarem vivere? Ubi ad aliquid persuadendum summa hinc honestas, párque indè facilitas, & animi delectatio conspirant; non piger, sed omni carens sensu meretur dici, qui illud nihilominus respuit.

11. Hæ itaque rationes sunt, quæ nedum omnes simul, verùm etiam seorsum singulæ sat movere quemque hominum possent ad volendum, & pleno consensu approbandum, quidquid rerum DEO volente contingit. Anima tamen, quæ ex professo, & peculiari studio ad perfectum DEI amorem incumbit, nulla ex iis indiget, utpote quæ ad omnimodam suæ voluntatis cum divina consensionem, incitamentum ex hactenus dictis nobilius, & sui magis proprium intrà se habet, arctissimum nempe illud perpetuæ, intimæque amicitiæ fœdus, quod cum DEO iniit; super omnia illum amans, plúsque, quàm in se ipsa, in eo vivens. Hujusmodi enim amore concepto, & penitùs cordi insito, necesse jam est, ut non ipsum solummodo, sed quidquid eti-

etiam ab eo fit, & decernitur, charum habeat, delectabiliter ſpectet, plenéque & omnino approbet. Solennis quippe amantium mos eſt, quæcunque ab amatis fiunt, tanquam viſu decora, concinnéque, & lepidè facta intueri: quin imò nonnullis etiam perſæpe illorũ actionibus, & qualitatibus delectari, quæ non amanti abſurdæ, prout revera ſunt, ac deformes videntur. Unde illa exiſtunt ſpecioſa, & blanda cognomina, quibus à paterno amore naturalia filiorum vitia cohoneſtari, Horatius obſervat. Nempe *Strabonem appellat Pætum pater: & pullum, malè parvus ſi cui filius eſt, ùt abortivus fuit olim Siſyphus. Hunc varum diſtortis cruribus; illum balbutit Scaurum, pravis fultum malè talis.* (*Sat. 3. L. 1.*) Et quamvis id genus hallucinationes, præſtigiæque humani duntaxat amoris ſint propriæ, nec DEUS, utpote ens perfectiſſimum, ullo hujuſmodi fuco pulchriorem in ſpeciem effingi à ſuis amatoribus queat; dici tamen poteſt illius quoque amor eorum, in quibus flagrat, oculos alio quodam modo præſtringere: adeò ut illa ejus decreta, quæ illum non amantibus ingrata, & moleſta accidunt, amabilia ipſis videantur, & omnino jucunda. Neque hic modus veſtigatu difficilis, cognitúque eſt. Qui aliquid to-

toto pectore amat, tam penitùs solet in eo mentem defigere, ut de aliis rebus cogitandi impos penè interim sit. Nam, Philosopho teste, (*L. 5. de Gener. Anim. c. 1.*) *Vehementior motus leviorem expellit. Quare, qui à sole in opacum se transferunt, non cernunt. Motio enim, quæ jam vehemens inest, impedit eam, quæ extrinsecùs accidit.* Hoc itaque constituto, in quovis humano infortunio plures considerari diversæ illius proprietates, aliæ naturâ suâ invisæ, aliæ amabiles possunt. Vel enim spectare illud possumus, tanquam nostris inimicum commodis, & ità spectatum, nequit nisi triste, atque exosum videri; vel possumus intueri, tanquam à cælesti nostro Patre decretum, & sub hac specie nequit nisi amorem, ac lætitiam ciere. Serpens ille, qui paulò antè humi discurrens virus spirabat, terroríque erat spectantibus; manu apprehensus à Moyse, virga evasit, prodigiorum populo Judaico salutarium effectrix: adversíque illi casus, qui secundùm se ipsos nullam nisi contristandi vim habent, observati, prout à paterna DEI manu gubernantur, nativum horrorem suum exuunt, lætitiáque intuentem afficiunt. Quid ergo hinc consequitur? Nempe hoc, ut qui DEUM modicè, séque ip-

ipsum valde amat, quemadmodum in contrariis eventibus noxiam magis eorum indolem, quàm divinam eos decernentem voluntatem considerat; sic magis ratione illius tristes, quàm hujus respectu experiatur jucundos. Cùm è contrario, qui nihil præter DEUM, vel propter DEUM amat, quidquid sibi evenerit, non aliter spectet, quàm ùt divinæ voluntatis effectum. Qui titulus flagrantissimi sui erga DEUM amoris causâ adeò illum oblectat, & totum in se detinet, ut reliquas ejusdem eventûs conditiones naturaliter molestas, & tristes vel minimè animadvertat, vel fortè etiam animadversas prævalente amabilioris objecti dulcedine haud sentiat.

12. Tale igitur est artificium artificii expers, quo verus DEI amator ea quoque sibi reddit suavia, quæ animas sui amantiores, quàm DEI lethali mœrore obruunt, inque extremam consternationem dejiciunt. Nempe illa in quotidianis rerum eventis haudquaquam tempus frustrà absumit, observans qualia secundùm naturam suam sint, amaráne sensui, an dulcia, terrenísque suis commodis opportuna, an contraria: sed omni hac consideratione ablegata, unum id meminit, unum animo versat, à DEO illa proficisci, DEO pla-

placere, DEUM esse illorum authorem; unde fit, ut ratione hujus tam eximiæ, atque amabilis notæ nequeat ea, non probare, non jucunda experiri, non amanter complecti, non hilari vultu, atque animo excipere. Gratus est hyberna tempestate ignis, ubicunque ardeat, dixit olim S. Remigius, (*Sur. in Vit.* 13. *Januar.*) placidè se calefaciens juxta suarum frugum incendium, quando illud nulla vi restingui jam posse animadvertit. Nec aliter, quisquis DEUM toto corde amat, gratam, & amabilem in quavis licèt tristi materia experitur illius voluntatem. Quapropter, si ex hujusmodi quopiam scisciteris, undenam illius quies, & lætitia inter rerum jacturas inter hominum injurias, intérque corporis ægritudines profluat. At respondebit, quid tu mihi rerum jacturas, quid hominum injurias, quid corporis ægritudines memoras? locúsne de his cogitandi videtur, si præsens adsit voluntas Numinis, non in se ipso duntaxat, sed & in omnibus, quæ ab ipso proficiscuntur, infinitè amabilis? Hanc enim verò, hanc pulcherrimam, perfectissimam, jucundissimam, amabilissimámque voluntatem unam ego hìc intueor: unáque hæc sibi totum me vendicat, nihil rerum cæterarum adver-

vertere interim, aut ſentire permittens. Ah injuria! ah corporis ægritudo! quàm te mihi charam facit eſſe divina in te apparens voluntas? Quis amico te vultu, animóque non excipiat, quando commendatitiam hujuſmodi epiſtolam geris? Etſi millies amarior fores, quàm naturâ tuâ es, quavis tamen ambroſia mihi dulcior accideres, dum ab eo mitteris Domino, qui amor unicus, & tota eſt mei cordis voluptas. Ità planè loqui ſolet in adverſis ſuis caſibus, quiſquis perfectè DEUM amat: non æquo duntaxat, ſed & gaudenti animo accipiens, quæcunque ab eo decernuntur, ídque hac tantùm de cauſa, quòd decreta ab eo ſint, quem veluti ſuper omnia diligit; ſic fieri non poteſt, quin ab hoc amore impellatur ad omnia itèm diligenda, & probanda, quæ probari, & placere ipſi viderit.

13. Aliquódne charitatis tam perfectæ exemplum deſideras? En tibi ſacrorum amantium ideam, JEſum Chriſtum DEI Filium in Gethſemani horto. Quidnam ille habet cauſæ, cur amariſſimum mortis ſuæ calicem inhianter exſorbeat? Nihil utique aliud, niſi quòd à cæleſti Patre ſibi porrigatur. Hoc unum de illo ſepoſita omni alia mentione exprimit, unúmque hoc ſatìs ipſi eſt, ut majori

cum

cum aviditate illum exhauriat, quàm si esset nectaris poculum. (*Joa.* 18.) *Calicem, quem dedit mihi Pater, non bibam illum?* Ità se res habet. Calix hic, qualiscunque demum sit, à dilecto meo Patre mihi exhibetur. Nequit igitur à superiore animi portione, nisi sapidissimus, ipsóque nectare dulcior existimari. Neque, credo, ille indignabitur, si suo huic exemplo aliud dilectæ suæ sponsæ Catharinæ Genuensis subjungam, quæ à doloribus naturæ intolerandis lectulo affixa eorum acerbitatem festivis hisce vocibus leniebat. (*In Vit. c.* 50.) *Fausto advenerit pede hic, & quicunque alius corporis labor à dulci illa* DEI *providentia submissus. Etenim sex ferè, ac triginta anni sunt, cùm tuam, ô amor dulcis! lucem mihi affudisti: totóque hoc temporis spatio nihil mihi reperisse visa sum perpessu asperum, sed omnia te supremam eorum causam intuenti acciderunt suavissima. Nunc ad extremum deveni tam immensis doloribus toto corpore afflicta, ut nullam naturæ esse vim credam sustinendis iis parem. Sed, quamvis corpus immaniter adeò discrucietur, animus tamen supra sensum mali eminet, nec perpeti quidquam videtur, sed jucunditate veriùs frui, quam nullis verbis sat exprimere, imò neque cogitando assequi liceat.* Audiatur demum Jobus, è sterquilinii sui cathe-

dra

dra disputans, mira quadam argumentandi ratione, nec unquam in peripato audita. (c. 1. & 2.) *Si bona de manu Domini suscepimus, mala quare non suscipiamus? Dominus dedit, Dominus abstulit. Sicut Domino placuit, ità factum est; sit nomen Domini benedictum.* Argumentum, solam illius superficiem intuenti, nîl videtur conficere. Jámque complures mundi asseclas audio, qui interrogatione illa audita: *si bona de manu Domini suscepimus, mala quare non suscipiamus?* Admirantes, & vix non irridentes respondeant, nemini non patere rationem discriminis; quia nempe illa erant bona, hæc verò sunt mala: illa amoris, desiderii, ac lætitiæ; hæc contra odii, aversionis, & mœroris objectum. At non ità, qui in divini amoris metaphysica eruditus est, præcisionésque, secundùm hanc à Jobo in iis verbis usurpatas, observat. Noverat quidem consultissimus ille fortiter, hilaritérq patiendi magister, bona à malis, si secundùm naturam spectentur, toto cæle differre; sed tam in his, quàm in illis nihil præter divinam voluntatem spectabat, à nativa, diversáque eorum indole mentem abstrahens, nec ea, nisi sub unica, & communi ambobus ratione considerans, tanquam nempe à DEO volita, & missa.

Quare scientis Dialectici ritu arguebat, æquum esse, ut veluti bona olim gaudens susceperat, non quia naturaliter bona essent, sed quia sibi à DEO mittebantur; sic eadem illa ratione in malis quoque existente, tanquam & ipsis à DEO missis, pari cum gaudio hæc quoque in præsenti susciperet. Perinde quasi dicens: *Bona, & mala dedit, & abstulit*, discrimina sunt nullius in mea æstimatione momenti, utpote in quibus cælestis Metaphysica nihil nisi eorum authorem intueri me docuit. Si ergo Dominus est, qui *dedit*, & Dominus item, qui *abstulit*, eadémque illius manus, sicut antea cumulârat me bonis, ità nunc malis; nihil causæ occurrit, cur quidquam diversi inter bona, & mala, intérque dedisse, & abstulisse agnoscam: nec in utroque potiùs statu eosdem sensus foveam, eandem consequentiam eliciam, idémque laudis, & lætitiæ canticum moduler: *Sit nomen Domini benedictum.*

CA-

CAPUT XXXIII.

Per quos actus, & quibus in materiis exerceri debeat plenissima hæc nostræ voluntatis cum divina consensio.

Superest jam, ut perspectis rationibus nostræ voluntatis penitùs conformandæ ad divinam, proprios itèm recenseamus actus, qui prædictæ conformationis praxim constituunt. Primus, omnino necessarius, & quasi fundamentalis est, ut firmissimè persuasum, altéque menti impressum unusquisque habeat, quidquid in hac rerum universitate evenit, (si peccatum tantummodo excipias) DEO authore evenire, quæcunque demum sit peculiaris causa, ex cujus effectrice vi profluit, & quomodocunque ad illius productionem creatæ voluntatis actus, seu boni, seu indifferentes, seu etiam perversi concurrant: totúmque id à supremo Domino ante mundi creationem ab æterno singillatim prævisum, ac volitum esse: nec volitum ægre, aut vi ullius necessitatis, quasi prohibere illius existentiam nequiret; sed omnimoda cum libertate,

& quamvis mille haberet præ manibus modos efficiendi, ut locò eventuræ cujuslibet rei alia omnia contingerent.

2. Quod ut clariùs pateat, ſtatuenda hìc ſunt quædam certiſſimæ veritatis principia. Et primò quidem, mundi univerſitatem potuiſſe à ſapientiſſimo, & omnipotenti ſuo artifice innumeris modis fieri longiſſimè ab hoc differentibus, quo illam creavit: vel quod individuorum in ea exiſtentium locò diverſa alia exiſterent; vel quòd nunc exiſtentia aliter diſpoſita, & conſerta inter ſe eſſent; vel quòd diverſæ à præſentibus qualitates, propenſiones, & habitudines cujuſque individui forent. Poterat exempli gratiâ DEUS ità mundum conſtituere, ut ego (déque alio quovis homine idem cogites) locò naſcendi, quando, & ubi natus ſum, in alia quacunque ex tam multis ævi totius tempeſtatibus, terrarúmque orbis partibus naſcerer: locò harum corporis qualitatum, & affectionum, quæ mihi obtigerunt, quaſcunque alias ſortirer: locò perſonarum, quibuſcum vixi, inter alios vitam agerem, naturâ, inſtitutis, moribúſque, & religione prorſus diſſimiles: locò denique eventuum, qui in ſingulas vitæ horas mihi acciderunt, alios longè ab iis diſcrepantes, pro diverſa rerum conditione experirer.

3. Se-

3. Secundò: DEUM, quando mundi creationem decrevit, ſumma cum perſpicuitate, & diſtinctione ſingulos quoſque ex innumeris iis, ac diverſis modis vidiſſe, quibus uti in condendo illo poterat, intérque alios hunc quoque, ad cujus normam re ipſa illum condidit: ſecundùm quem ſcilicet non alia in eo exiſterent, quàm præſentis mundi individua, neque ex his ullum à ſe ipſo, quale nunc eſt, ſive in reſpectu ad cætera omnia, ſive in naturæ dotibus, ſive in adverſis, & proſperis caſibus, ſeu in quavis re alia differret: omnes, inquam, hujuſmodi mundorum diſſimilium formas ante artificis ſupremi oculos tunc diſtinctè explicatas fuiſſe: &, quamvis æquè promptum, liberúmque illi foret, quacunque ex iis uti, cæteris tamen omnibus repudiatis, hanc unam, quæ in præſenti rerum univerſitate cernitur, eligendam putâſſe: formam nimirum, juxta cujus ſeriem (ut in ſuperiori exemplo hæreamus) non alibi, aut alio tempore ego in lucem prodirem, quàm ubi, & quo tempore prodii: non aliam corporis indolem, ſpeciémque, & conſtitutionem ſortirer, quàm quæ naſcenti obvenit; nec aliis vitæ meæ curſus contexeretur caſibus, quàm quibus in præſenti contextus eſt.

4. Tertiò : non minùs ſpontaneo, diſtinctóque, & expreſſo actu volitum id temporis à DEO eſſe quodvis peculiare individuum, & quidquid eventurum ei erat, quàm totam creandæ rerum univerſitatis ſeriem. Atque ità pleniſſimè advertens ultro elegit, ac voluit, decrevítque, ut ego tantum, nec amplius nobilitatis, famæ, opum, valetudinis, virium, eloquentiæ, atque ingenii obtinerem : ut meæ molitiones, vota, & conſilia non meliorem ſortirentur exitum, quàm qui hactenus iis reſpondit, & reſpondebit deinceps : ut hoc, atque illo vitæ meæ tempore certis quibuſdam infortuniis conflictarer : putà iter agens ex equo deciderem, publico actu quopiam minùs proſpere, & honorificè fungerer, jámque morbo laborarem, jam mercium, pecuniæve jacturam facerem. Voluit, inquam, æternóque conſilio ſancivit, ut talis omnino eſſet totius vitæ meæ ſeries ; quamvis pleniſſima ei adeſſet libertas, aliam mihi aſſignandi meæ magis voluntati conſentaneam, affluentem nimirum iis bonis, quæ nunc mihi deſunt, eorúmque immunem malorum, quibus nunc premor. Unde manifeſto colligitur, ſi hoc, aut alio boni genere careo, non aliam eſſe hujus inopiæ princi-

pem,

pem causam, nisi quòd ab eo mihi decreta tunc est: & si hæc, aut illa infortunia mihi accidunt, non aliunde id etiam provenire, nisi quòd ipsi tunc placuit, ut ea ego perferrem. Et ideò unicuique intrepidè possum, liberéque dicere ea Christi ad Romanum Præsidem verba: (*Joa.* 19.) *Non haberes potestatem adversùm me ullam, nisi tibi datum esset desuper.* Nihil profectò improvisi, nihil temerarii, & fortuiti hìc est. Quidlibet ab infinitis retro sæculis distinctè animadversum, ínque trutina ex adverso sui contrarii perpensum, & libera electione prælatum ei fuit. *Decernuntur ista, non accidunt.* (*Senec. Ep.* 96.)

5. Quartò denique statuendum præter supradicta principia est: licèt fieri prorsus nequeat, ut DEUS directè velit peccata, nullum ex his tamen patrari, nisi quia DEUS id permittit: utpote qui, quamvìs pleniſſimam quævis peccata impediendi facultatem haberet; nihilominus ob nobis occultas rectiſſimæ, sapientiſſimæque voluntatis suæ causas minimè vult ea omnino impedire, sed pati potiùs, ut quàm plurima à creatis voluntatibus ex præpostero libertatis suæ usu patrentur. Ubi etiam adverto, dum negatur, peccata esse posse objectum voluntatis divinæ;

de illo id duntaxat pravo actu negari, in quo propriè, ac formaliter eorum malitia consistit, interiori nempe actu, quo voluntas liberè in vetitum fertur. Nam, quod ad externa attinet mala, quæ nonnunquã ex peccato vel in authorem, vel in alios redundant; hæc non modò à DEO permittuntur, verùm etiam sæpenumero id sunt, cujus ille gratiâ movetur ad ipsamet permittenda peccata. Hinc displicet ei quidem malignus adversarii mei erga me animus, quódque is indè impellatur ad me dictis, & factis lædendum. At non itèm ei displicet meæ famæ, vel rei diminutio ex illius malignitate proveniens. Imò hanc vult, atque diligit, tanquam mihi utilem, ratione amplioris suæ gratiæ, atque gloriæ; cujus occasionem æquo illam animo excipienti suppeditat. Idémque dicendum est de paupertate, de morbis, déque aliis hujusmodi ærumnis, in quas sæpe ipsimet sontes per improbitatem suam incidunt. Has siquidem, utpote haud necessariò, & naturâ suâ malas, sed ità indifferentes, ut majoris boni causa, vel occasio esse possint, DEUS directa voluntate amat, probátque. Neque objicias, complures ex hujus generis perpessionibus nunquam posse à peccato disjungi, ùt exempli gratiâ

Mar-

Martyrum cædes, à Christianæ fidei in eorum interfectoribus odio: nec proinde fieri posse, ut si DEUS aversatur peccatum, illas amet, ac velit. Respondeo enim, nihil novi, & absurdi in hoc esse, ut objectum quodpiam ametur, simúlque aliud necessariò ipsi conjunctum odio habeatur. Cùm quisquis virtutem Pœnitentiæ amat, nequeat non odisse peccatum: quanquam impossibile omnino sit, absque peccato illam propriè virtutem existere. Juxta quem modum fieri itèm potest, ut DEUS amet suorum neces servorum, simúlque detestetur scelera, unde extiterunt: volens exempli gratiâ, ut lapides à Judæis jacti vulnerarent Protomartyrem Stephanũ, neque ideo hunc eorum effectum impediens, sed de illo gaudens ob invicti Athletæ sui gloriam: quamvis cæteroqui eodem tempore impiam Judæorum in eo lapidando sævitiam odisset.

6. Constitutis itaque his principiis, quisquis voluntatem suam conformare ad divinam ubique, & in omnibus studet, necesse est inprimis, ùt suprà affirmavi, ut quàm firmissimè sibi persuadeat, nihil prorsus in mundo fieri, quòd supremus ille Moderator, & Dominus indè ab æterno non præviderit, &

vel absolutè decernendum, vel saltèm permittendum putaverit: veritatem sanè certissimam, pluribúsque sacrarum Literarum testimoniis disertissimè comprobatam: ùt illo Ecclesiastici, (*c.* 11.) *Bona, & mala, vita, & mors, paupertas, & honestas à DEO sunt*: & illis Prophetæ Amos verbis, (*c.* 3.) *Si erit malum in civitate, quod non fecerit Dominus*: imò tam cuique obviam, & naturæ ipsius lumine manifestam, ut neque Homeri cæcitatem fugerit: quemadmodum perspicere est in proœmio ejus Iliadis, ubi facta damnorum mentione, quæ ex Achillis ira in cõmunem Græcorum rem promanaverant, principem, ultimámque eorum causam ad DEI providentiam refert, pulcherrimum illud epiphonema subjungens: *Jovis autem perficiebatur consilium.*

7. Postquam verò prædicta universalis veritas penitùs infixa animo fuerit, curandum secundò est, ut eandem in particulari quovis eventu recognoscere, & observare assuescamus: neque si quid sinistri contigerit, tempus inutiliter conteramus, huic, vel illi hominum culpam rei attribuentes, & nobiscum mussantes: incuriâ illius factum est, ut hoc damnum subirem: nisi illiud obstitisset malignitas, consilium hoc è sententia mihi evenisset:

set: inque alia ejusdem generis lamenta erumpentes, sed obtutu in DEUM unum defixo perinde quasi nemo, præter nos, & ipsum, in mundo esset, nec aliter, quàm si eum cerneremus, suâ tantummodo operâ, & citra cujusvis causæ alterius consortium, rem illam efficere; dicamus intrà nos: DEUS, DEUS unus princeps hujus rei author, & causa est. Ipse ab omni retro æternitate suæ gloriæ, meæque utilitatis ergo illam voluit, delegítque. Si secùs visum ipsi esset, nulla inferiorum causarum vis eam potuisset efficere. Quorsum igitur de incogitantia, vel malevolentia eorum queror, qui ad illius effectionem operam suam contulerunt: quasi verò illi plùs quàm instrumenta infortunii mei essent, nec supremus rerum arbiter justissimis de causis volens eorum ministerio in sua voluntate exequenda uteretur? Quid mea interest, quòd, cùm posset statuere, ut sic vexarer à rebus sensu, & vita carentibus, maluit permittere, ut vexationis meæ causa esset hominum scelus? Hoc certè nullam vim habet reddendi seu graviorem physicè ærumnam, quæ à me toleratur, seu minùs beneficam voluntatem, qua decreta mihi à DEO est: cùm neque secundùm suam interiorem malitiam spe-

ſpectatum ulli queat, nisì ſuo authori nocere; neque, ſi extrerior illius efficientia attendatur, ullo pacto hæc impediat, ſed producat magìs eos fructus, quos per illud mihi Deus deſtinavit. Quapropter, ſi facillimum mihi foret mercium in mari jacturam, ſeu impactum per fortuitum lapſum capiti vulnus, tanquam caſus à divina providentia mihi miſſos accipere; cur idem minùs facilè experiar, quia illæ merces non naufragio, ſed furto perierunt: nec improvida offenſio, ſed hoſtilis rabies illud vulnus inflixit? Nemo ægrotantium penſi habet, aut referre ſua putat, quòd hirudo ad ſuperflui ſanginis detractionem ſibi à medico admota, ſuum illud miniſterium non aliâ, nisì explendæ ingluviei ſuæ causâ obit: gnarus nempe animalculi illius aviditatem nihil obeſſe, imò famulari veriùs medici propoſito, & ſuæ ſanitati. Quidni igitur ego quoque boni conſulam, amica divinæ providentiæ circa me decreta ad effectum perduci, tametſi homines ejus adminiſtri non meæ, ſed ſuæ tantùm utilitatis ſtudio exequantur? Si quid ab ipſis peccatur, diſplicere mihi quidem poteſt eorum culpa, at non etiam, qui ortus indè eſt effectus: cùm hic à DEO potiùs authore primario, quàm

ab

ab ipsis executoribus, & instrumentis proveniat; nec per interiorem eorũ malitiam mutari, quantùm ad me ex utili in noxium queat: sed talis sit, qualem DEUS paterna mihi voluntate sua destinavit, & qualis foret, si ab ipso sinè ullius hominis vel creatæ alicujus causæ operâ fuisset productus. Tali, inquam, ratione in unoquoque nostro eventu philosophari debemus: nîl de via cogitando, per quam ille ad nos venit, sed de æterno duntaxat principio, unde est profectus: nullámque instrumentorum rationem habendo, quæ ad illius productionem sunt adhibita, sed totam considerationem in prima ejus causa, rectissima scilicet, amantissimáque, & providentissima Numinis voluntae figendo. Ità sanè res est, inquit Augustinus: *Quamvis ille*, (id est homo) *iniquè fecerit*, DEUS *tamen iniquè hoc non permisit. Voluntas injusta damnetur: permissio justa glorificetur.* (*In Ps. 61.*)

8. Et talis profectò mos fuit, quo veri omnes DEI famuli in suis se ærumnis, casibúsque adversis gessêre. Exemplo sit Job, qui, licèt à satana, & spoliatus fortunis suis omnibus, & *ulcere pessimo à planta pedis usque ad verticem percussus fuerit*; utriusque tamen calami-

mitatis non alium cognovit authorem, quàm DEUM: cùm loquens de prima, nequaquam, ceu bene obſervatum à D. Auguſtino eſt, (*In Pſ.* 31.) dixerit: *Dominus dedit, diabolus abſtulit*, ſed *Dominus dedit, Dominus abſtulit*; & alterius mentionem faciens, pro eo ut diceret, ſe ab hoſte percuſſum, veriùs, propriéque locuturum ſe putavit, ſi diceret, (*c.* 19.) *Manus Domini tetigit me.* Exemplo ſanctus Rex David, cùm à Semei conviciorum, & lapidum jactu impetitus, non aliter tamen petulantiſſimum nebulonem aſpexit, quàm ùt divinæ voluntatis miniſtrum: huic ſe totum ſubjiciens, ſuóſque, qui ultionem anhelabant, iis vocibus cohibens: (L. 2. *Reg. c.* 16.) *Dominus præcepit ei, ut malediceret David; & quis eſt, qui audeat dicere, quare ſic fecerit? dimitte eum, ut maledicat, juxta præceptum Domini.* Exemplo Patriarcha Joſeph, qui à fratribus mancipii inſtar alienigenis venditus, neque in eo ipſo tam barbaræ immanitatis facinore benevola agnoſcere prætermiſit divinæ providentiæ conſilia: poſt hæc demum impleta, ſic eos alloquens: (*Geneſ c.* 45. & 50.) *Non veſtro conſilio, ſed* DEI *voluntate huc miſſus ſum. Num* DEI *poſſumus reſiſtere voluntati? Vos cogitâſtis de me malum, ſed* DEUS *vertit illud in bo-*

bonum. Quem ritum referendi ad ſupremam cauſam ea, quæ hominum operâ, ac miniſterio eveniunt, iidem quoque ipſius fratres ſervaverunt. Cùm enim redeuntes ab Ægypto inter frumenta, quæ ibi emerant, pecuniam pro iis perſolutam reperiſſent; inopinatæ rei ſpectaculo attoniti, quamvis ejus cauſam venditorum ſeu fraudi, ſeu liberalitati, ſeu errori attribuere poſſent; nihil tamen aliud dixerunt, nisi: *Quidnam eſt hoc, quod fecit nobis Dominus?* (*Ib. c. 42.*) Unde apparet, cõmunem inter vetuſtiſſimæ illius ætatis homines hanc ſentiendi, & loquendi rationem fuiſſe. Quid plura? Ullúmne totius mundi ævo immanius extitit nefas, quàm mors ipſimet DEI Filio conſcita? Et tamen Apoſtolorum Princeps, de conſpiratione differens, quam tanti ſceleris perpetrandi causâ Judæi, Ethnicíque inierant, utrorúmque improbitatem Dei adminiſtram in altiſſimo humanæ redemptionis opere peragendo fuiſſe ait. (*Act. 4.*) *Convenerunt verè, inquiens, in civitate iſta adversùs ſanctum puerum tuum JEſum, Herodes, & Pontius Pilatus cum gentibus, & populis Iſraël, facere, quæ manus tua, & conſilium tuum decreverunt fieri.* Quamobrem aſſueſcamus nos quoque, in contrariis quibuſque eventis ſpectare non ope-

operam quidem, quam inferiores cauſæ pro ſua parte illò conferunt, ſed DEI tantummodo placitum, cujus inſtrumenta ipſæ ſunt: *Ignis, grando, nix, glacies, ſpiritus procellarum, quæ faciunt verbum ejus.* (*Pſ. 148.*) Namque hinc potiſſimùm conformandi ſeſe ad divinam voluntatem facilitas pendet, contráque ex hujus animadverſionis neglectu noſtræ ferè omnes iræ, querimoniæ, ac perturbationes exiſtunt. Quarum uno ictu amputaretur radix, ſi quemadmodum S. Franciſcus Borgia, (*Bart. in Vit. L. 3. c. 2.*) pluviæ, & nivis tempore DEUM ſibi repræſentabat, ludentis ritu iis ſe aquis reſpergentem, confertóſque illos floccos ſupra ſe jactitantem; ità & nos, quandocunque moleſti aliquid, ingratíque accidit, imaginaremur à DEO ipſo coram ſpectabili, tanquam à propria, unicáque cauſa id fieri: ab ipſo exempli gratiâ cieri illum ſtrepitum, unde noſter ſomnus, & noſtra inter ſtudendum attentio præpeditur: ab ipſo incitari illam muſcam, ut importuno cum ſtridore circa nos volitet, jámque noſtræ fronti, jam naſo, jam genis inſideat: ab ipſo manum noſtro capiti imprimi, dum hujus dolore, aut gravedine laboramus: ipſum eſſe, qui adminiſtris domeſticis cogitationem, ac me-

memoriam hujus, vel illius rei ad noſtros uſus pertinentis ſubducat : ipſum, qui calamum nobis obtundat, & atramentum conſpiſſet, dum feſtinæ ſcriptionis neceſſitate urgemur: ipſum, qui quaſi per amicum, & familiarem lusũ gaudeat, candelam vix à nobis accenſam ſufflando extinguere, aut quod manu apprehendimus ex improviſo in humum excutere: atque ità de aliis quibuſque minutiſſimis caſibus. *Sic cogita illum* (ait Triſmegiſtus) *præſentem ſemper, agentem omnia, voluntate ſua cuncta conſtituentem.* (*Pim. c.* 4.) Neque id erit falſi quidpiam comminiſci, nóſque ultro deludere. Nam hujuſmodi effectuum tam verè, propriéque author DEUS eſt, dum ordinariis, & naturalibus cauſis ad eorum productionem utitur, quàm ſi eoſdem præter naturæ ordinem abſque ullius creati inſtrumenti opera iqſe ſolus produceret.

9. Sed enim, quæ hactenus commendavimus, præludia ſunt potiùs, quàm formales, & proprii exercitationis quæſitæ actus: cùm & blaſphemi adversùs DEUM homines huc perveniant, nec ſinè hujuſmodi perſuaſione illi ſuccenſere, & obloqui in ſuis calamitatibus poſſent. Ulteriùs itaque progredi ne-

ceſſe eſt: & poſtquam modo ſupradicto animadvertimus DEUM, utì quorumvis humanorum eventuum, ſic & hujus, qui moleſtiâ in præſens nos afficit, principem cauſam eſſe; eum confeſtim excipere, non patienter ſolummodo, (nimis enim ibi conſiſtendo deficeremus à perfectæ charitatis ingenio) verùm etiam, ceu præcipua inter ſuperioris capitis rationes perſuadet, omnimoda cum approbatione, nihilóque geſtientes minùs, quàm ſi idem à nobis multò antea exoratus, noſtráque ſponte electus fuiſſet. Nam, ſi juxta veræ amicitiæ leges, idem cum DEO volumus, noſtrámque illius voluntatem fecimus, perinde omnino erit nobis DEUM velle, & decernere, ut aliquid fiat, ac ex noſtra voluntate, & decreto illud fieri. *In omnibus, quæ adverſa videntur, ac dura* (profitetur de ſe Seneca) *ità formatus ſum: non pareo* DEO, *ſed aſſentior. Ex animo illum, non quia neceſſe eſt, ſequor. Nihil unquam mihi accidet, quod triſtis excipiam, quod malo vultu.* (*Ep. 96.*) Quapropter, cæteris quibuſque conſiderationibus ab animo relegatis, nec nobiſcum reputantes, cujuſmodi ſuapte natura ſit eventus, qui accidit, quantùm ſcilicet noſtræ rei familiari, noſtris commodis, noſtro honori, aliiſque ter-

terrenis rationibus adverſetur, ſed unum id intuentes, quòd volitus, miſsúſque à DEO ſit; amplectamur illum cum pleniſſimo voluntatis aſſenſu, cúmque iis feſtivæ approbationis vocibus, quas Hipponenſis olim populus reddidit, cùm à D. Auguſtino ſuo Præſule proponi publicè audîſſet, quem is, ceu apprimè idoneum elegerat, ut ſibi vitâ functo in Paſtorali officio ſuccederet: unanimi ſuffragatione, & plauſu acclamans decies ter, *Judicio tuo gratias agimus*; quinquies, ac vicies, *fiat, fiat*; vicies, octiéſque, *dignum eſt, juſtum eſt.* (*In Epiſt.* 110. *D. Aug.*) Tali, inquam, & nos animi ſenſu, quandocunque durior aliquis eventus acciderit, tanquam ſi DEUS ibi præſens unicuique diceret: voluntatis meæ eſt, ut tu pro mea gloria, & ſpirituali tua utilitate ærumnam hanc feras; acclamemus protinus, & pluries, ac pluries, quoad ſpiritus, vóxque ſuppetit, repetamus. *Ità Pater, quoniam ſic fuit placitum ante te, judicio tuo gratias agimus. Juſtum eſt, dignum eſt. Fiat mihi ſecundùm verbum tuum. Paratum cor meum* DEUS, *paratum cor meum. In capite libri ſcriptum eſt de me, ut facerem voluntatem tuam:* DEUS *meus volui.* Proh quantùm, mi Domine, de hoc eventu gaudeo, quámque toto corde illum

complector, eòquòd, licèt molestum, nativóque meo sensui repugnantem, novi esse rem tuam, tibi placere, à te mitti. Nullis eum fortunis, nulla terrenæ sortis prosperitate commutatum vellem. Tantùm ab eo iniquiùs ferendo absum, ut, si sinè mea opera nequivisset contingere, ultro hanc illi impendissem: &, si tamdiu illum velis durare, quamdiu vita mea prorogabitur, jam nunc ipsum in omne tempus libens accipiam. Si priùs, quàm accideret, tuam de illo voluntatem exploratam habuissem; tam ardenter tunc optâssem venturum, quàm lætus nunc amplector præsentem. Quin imò dici possum & antea, si minùs specialiter, expresséque, at saltèm implicitè, & generatim illum optâsse. Cùm enim antea nihil desideraverim, nisi ut semper, & quomodocunque tua de me impleretur voluntas; objectum universalis illius desiderii fuit, quidquid tu volebas, & consequenter hic etiam peculiaris eventus. Quare, cùm jam pridem illum expetierim; fieri non potest, quin de illo præsente gaudeam, quin ei applaudam, quin chariſſimum habeam. In summa, scio à te illum esse, nec unquam non fuisse volitum. Idque unum sat est, ut ego quoque illum velim, imò ut semper etiam voluerim. *DEUS meus volui.*

10. Ta-

10. Talis igitur perfecta noſtræ voluntatis cum divina conſenſio eſt, híque actus, per quos propriè exercetur: toties iterandi, quoties aut novi quid evenit noſtræ humanæ voluntati contrarium; aut aliquis triſtitiæ ſenſus de ordinario rerum noſtrarum ſtatu nos mordere incipit: adeò ut in ſingulis his occaſionibus familiares illas pleniſſimæ approbationis formulas repetamus: bene eſt, nihil melius. *Ità Pater. Fiat, fiat: ſicut Domino placuit: ità factum eſt: ſit Nomen Domini benedictum.* Ad B. Catharinæ Genuenſis exemplum, quæ, quandocunque, & in quovis rerum ſtatu interrogaretur, quid vellet: nihil reſpondere aliud noverat, (*In Vit. c. 31.*) nisì, volo, quod nunc eſt. Et ſi de hac, vel illa particulari re ſingillatim percontatus fuiſſes, nihil ab ea diverſi elicuiſſes reſponſi. Ubi addendum exiſtimo, hanc rerum omnium, quæ accidunt, utpote à DEO decretarum, approbationem, non debere à nobis in animo duntaxat contineri, ſed in quovis etiam cum aliis ſermone exprimi: adeò ut de quotidianis vitæ eventis loquentes, nunquam excidere nobis patiamur voces quaſdam minùs contenti animi indices; putà: ô tempus triſte! ô pluviam importunam! ô anni curſum exlegem!

utpote voces nimiùm quàm abhorrentes ab homine, qui fatetur, omnia jubente DEO fieri: dignas proin, quæ ſeverè corripiantur, prout dilecta cæteroqui DEI famula Maria Diazia ob ſimilem loquendi modum correpta olim fuit: audiens nimirum, cùm de nimia hyberni frigoris inclementia quæreretur, ſibi reponi: *Ego hoc facio, & tu quereris?* (*In Vit. Baltaſ. Alvar. c.* 10.) Cur enim nos quoque ſimiliter objurgare ibi nequeat: Itáne ſubjiciens, triſte audes tu tempus vocare, quod mihi placet? importunam pluviam, cujus ego ſum author? exlegem anni curſum, qui nutu meo regitur? *Ego hoc facio, & tu quereris?* Nè, quæſo, unquam in verba adeò inconſulta, & noſtræ profeſſioni tam contraria erumpamus: ſed in quavis moleſtarum nobis rerum ſupremi Domini voluntatem agnoſcentes, dicamus cum Pſalmiſta: *Obmutui, & non aperui os meum, quoniam tu feciſti.* (*Pſ.* 38.)

11. Quamvìs verò præipua ſacræ hujus exercitationis materies videantur caſus ii eſſe, qui noſtræ voluntati repugnant; non tamen ad eam minùs pertinent ii etiam, qui ſuapte natura jucundi ſunt, & delectationem homini afferunt: nec minùs, imò forſan magis difficì-

ficile eſt in his, quàm in illis divinam voluntatem amare. Aliud quippe eſt hilari animo caſus excipere, unde nobis honor, ſeu commodum, ſeu utilitas provenit, quod dubitari minimè poteſt, quin cuilibet facillimum ſit: & aliud eos hilari animo excipere, non quia naturaliter honorifici, commodi, & utiles ſunt, ſed quia merè DEO placiti, nihil in iis aliud, præter divinam voluntatem intuendo, & amando: quod tantò difficilius videtur, quàm in primi generis caſibus, quantò majori propenſione ad delectabilia, quàm triſtia objecta intuenda animus fertur, quantóque enixiori conatu indiget, ut illorum, quàm ut horum ſenſu, & curâ ſe exuat. Atqui in lætis ſucceſſibus omni eorum ſenſu, atque cura exuere ſe animus debet, ſi perfectè DEUM amat: ità ut nihil ibi attendat, & diligat, nisì puram putam DEI voluntatem, unicam nimirum rationem, ſub qua ſanctiſſimus illius amor exigit, ut confundamus peculiaria quorumvis eventuum diſcrimina: nequaquam diſtinguentes nativas eorum proprietates, ſecundùm quas alii ab aliis prorſus diverſi, nempe hi voluptuoſi, & amabiles, illi contrà triſtes, digníque odio apparent, ſed hoc in iis unum ſpectantes, quòd DEO placeant,

rectiſſimáque ab illius providentia immittantur: ſub quo titulo, aſpectúque omnes gemelli, omnes æquè jucundi, & amabiles ſunt: *Sicut tenebræ ejus, ità & lumen ejus.* Exemplum eſto Abrahamus, qui utì in rebus à Deo præſcriptis nihil præter ſanctiſſimæ illius voluntatis executionem ſpectabat; ità cùm juſſus eſſet unicum filium immolare, móxque ab ejus jam parato holocauſto deſiſtere; nihil diſcriminis inter præceptum, ac præceptum poſuit: ſed, quamvìs hæc adeò diverſa invicem forent, eâdem vultûs, animíque æqualitate, & primum tam triſte, & alterum tam delectabile excepit. *Abraham* (verba ſunt D. Zenonis) *cum tanta lætitia obtulit arietem, cum quanta volebat & filium, nec eſt ejus facies mutata, cùm eſſet victima commutata.* (*Serm. 2. de Abr.*)

12. Neque ſolùm eandem habere cum divina voluntate debemus circa res, quæ jam acciderunt, vel in præſenti accidunt, ſeu proſperæ, ſeu adverſæ illæ ſint, ſed etiam circa porrò eventuras: nulla nos præoccupari ſinentes, quantùm ad eas vel nimia cupiditate, vel ſolicita, anxiáque formidine, ſed parati ad excipiendum æquè hilari animo, quidquid acciderit. Cùm omni procul dubio

bio noverimus, nihil posse nobis contingere, nisi per voluntatem DEI, quam ipsum amando, nostram penitùs fecimus: & consequenter, quàm impossibile est, ut quidquam contra ipsius, tam esse impossibile, ut quidquam contra nostrum placitum fiat: sed quidquid demum eveniat, id semper futurum, quod prædicta voluntatum unione posita, quia ipse ex omni æternitate voluit, nos quoque nunc volumus fieri. Et verò, quàm rationi congruens hoc animi æquilibrium sit ad quoscunque divinæ voluntatis effectus indifferenter parati, sat scitè Epictetus demonstrat viatoris exemplo, qui medio in itinere ad bivium devenerit. (*Arr. L. 2. c. 7.*) Nam, *quemadmodum hic ex obvio sciscitatur: quanam via sibi sit incedendum? eam, quæ ad dexteram est, non magis appetens hac, quà ad lævam dirigitur: utpote cùm non velit alterutrâ istarum ingredi, sed eâ tantùm, quà possit pervenire ad destinatum locum; ità sanè conveniebat, nos quoque accedere ad DEUM:* haud scilicet exoptando, ut hoc, vel illo, qui nobis arridet, tramite, sed ut eo potiùs, quem rectissimum ipse novit, nos ducat. Quanquam multò adhuc meliùs suis idem monstrârunt exemplis veri DEI servi, atque amici: quos fideles illius ministros fuisse D.

Augustinus affirmat, quòd suam potiùs voluntatem divinæ, quàm divinam suæ aptare studuerint. (L. 10. *Conf. c. 26.*) *Fidelis minister tuus est, qui non magis intuetur, hoc à te audire, quod ipse voluerit, sed potiùs hoc velle, quod à te audierit.* Talis fuit Sacerdos Heli, post auditas à Samuele terribiles DEI contra domum suam minas, nihil aliud respondens, nisi: *Dominus est; quod bonum est in oculis suis, faciat.* (L. 1. *Reg. c.* 3.) Talis David paratum se offerens, dum Absalonis vim fugeret ad excedendum regno, si illud ablatum sibi DEUS vellet. *Si invenero gratiam in oculis Domini, reducet me. Si autem dixerit mihi, non places, præsto sum: faciat, quod bonum coram se est.* (L. 2. *Reg. c.* 15.) Talis heros fortissimus, Judas Machabæus, qui periculosum initurus certamen, suos hortabatur, ut, quod in ipsis erat, strenuè dimicarent, dimicationis verò exitum, seu prosper, seu contrà esset futurus, compositis in utramque sortem animis, DEI arbitrio permitterent: *Accingimini, & estote parati in manè, ut pugnetis adversùs nationes has. Sicut autem fuerit voluntas in cælo, sic fiat.* (L. 1. *c.* 3.) Talis magnus Monachorum Pater, D. Antonius: ideo contra quævis dæmonum terriculamenta, & molimina impa-

pavidus; quia, quàm certus nihil eos posse, nisi quòd DEUS permisisset; tam animi promptus, quidquid permissum ab hoc esset, libenter subire. Unde erant animosæ illæ voces, quibus eos provocabat: *Si Dominus vobis potestatem in me dedit, ecce præsto sum, devorate concessum.* (*Athan. in Vit.*)

13. Advertendum postremò est, nostræ hunc voluntatis cum divina consensum versari debere sinè ullo discrimine, circa omnia, quæ in mundo eveniunt, & fiunt, nec peccatum formaliter sunt, quæcunque peculiaris illorum sit causa, & ad quascunque personas pertineant. Parùm ergo refert, undenam illa existant: utrùm nempe à casu, ùt offensiones, lapsus, errores; an ab elementis, ùt venti, frigora, æstus, grandines, pluviæ, alluviones, incendia; an à brutis animantibus, ùt importuni canum latratus, morsus serpentum, vastationes locustarum, molestiæ muscarum, & culicum; an ab hominibus, ùt damna, & incommoda, quæ eorum nobis vel inconsiderantia, vel improbitas affert. Parùm itèm, quodnam ex nostris lædant bonis: num scilicet fortunas, rémque familiarem, ùt lites, sterilitates, naufragia; an famam, ùt improsperi actionum publicarum

suc-

ſucceſſus, evulgatio noſtrorum criminum, ignominiæ, objugationes, convicia; an corpus, ùt naturalia ejus vitia, fames, ſitis, laſſitudo, morbi, dolores; an denique animum, ùt ingenii tarditas, mentis confuſio, dubia, ſolicitudines, metus. Parùm etiam, ad quos peculiariter ſpectent: ad nóſne, an ad eos, qui conjuncti nobis ſunt amicitiæ, vel ſanguinis nexu: & num uni, an paucis noceant; an communia ſint provinciarum, & populorum mala, ùt bella, terræ motus, contagio. Parùm tandem, num temporariis duntaxat præſentis vitæ utilitatibus, fructibúſque obſint, qualia pleraque ex commemoratis hactenus ſunt; an ſupernaturales, atque æternas hominis rationes aliquo modo lædere videantur: veluti tentationes dæmonis, mentis inter orandum evagatio, crebri, & validi naturæ inſtinctus ad malum, difficultas, & reniſus animi in exercitiis virtutum, anxii conſcientiæ æſtus, dotium ad juvandos proximos neceſſariarum penuria. Omnia id genus diſcrimina nullius momenti ſunt apud hominem, qui nihil in rerum eventis præter voluntatem Dei ſpectat. Quæ idcirco neque nos penſi habere debemus: ſed, ubi aliquid prædictorum occurrit, qualiacunque ſecundùm materiam,

&

& nativam conditionem ſuam ſint; ad DEUM protinus mentem reflectere, qui ab omni retro æternitate præ oculis illud habuerit, &, quamvis velle aliud contrarium poſſet, ipſum tamen juſtis de cauſis hoc elegerit, útque certo hoc tempore, & cum peculiaribus hiſce adjunctis eveniret, decreverit. Unde confeſtim ſequatur, ut nos quoque illud velimus, probemúſque, & contenti illo ſimus, ùt explicatum ſuprà eſt.

14. Sed, quoniam fortaſſe non deerunt, qui regulam hìc à nobis propoſitam, volendi tam univerſaliter, & ſinè ulla exceptione, quidquid DEO volente, ac jubente in mundo evenit, tanquam aliis Philoſophiæ Chriſtianæ principiis minùs conſentaneam reprehendant; operæ pretium me futurum exiſtimo, ſi ad concluſionem hujus materiæ contrariis eorum argumentis reſpondeam. Quod in ſequenti capite, utpote prolixiori diſputatione indigens, mihi faciendum ſepono: præjactis hìc ſolummodo duobus noſtræ illius regulæ fundamentis, quàm ſecundùm ſe certis, & firmis, tam idoneis ad eam quoque talem reddendam, & ad diluendum, tanquam indirecto, & univerſali reſponſo, quidquid ſpeciatim, pérque partes ei objici poteſt. Primum fundamentum eſto id, quod ſub capitis præ-

præcedentis initium cum Angelico Doctore ſtatuimus: nimirum voluntatem divinam non rectiſſimam tantùm eſſe in omnibus, quæ vult, verùm etiam omnis rectæ voluntatis menſuram: adeò ut tantò quævis alia voluntas ſit rectior, quantò ad eam conformatur exactiùs. Ex quo indubitato principio apertiſſimè ſequitur, non poſſe ullo modo contingere, ut noſtra voluntas per conſenſionem cum divina fiat prava, rectior alioqui futura, ſi ab hac diſſentiret: útque DEUS nobis præcipiat, ſuadeátve, aliquid ſe nolle, quod efficaciter velit. Hoc enim pacto nobis præciperet, ſuaderétve, ab univerſali, & primaria volendi norma diſcedere: quod ſummæ divinarum præceptionum, & ſuaſionum ſanctitati omnino adverſatur. Alterum fundamentum ſit alia ejuſdem D. Thomæ doctrina: beatos nempe Cælites aſſenſu pleniſſimo velle, quidquid DEO eſſe placitum videant. *Voluntas Beatorum, qui ſunt in continua contemplatione divinæ bonitatis, & ex ea regulant omnes ſuas affectiones, conformatur divinæ voluntati in quolibet ſuo volito. Omne enim quod ſciunt* DEUM *velle, abſolutè volunt, & ſinè ullo motu in contrarium.* (*De Volunt. DEI art.* 8.) Unde colligitur, impoſſibile omnino eſſe, ut nos operan-

rando ad exemplar rectissimorum illorum spirituum pravè operemur. Imò evidenter indè apparet, si plena omnium, quæ DEUS vult, approbatio, & voluntas singularis perfectio, nec aliud quàm perfectio in illis censetur, talem esse & in nobis censendam. Cùm nulla occurrat ratio diversa, vi cujus haberi hìc pro vitio possit, quod ibi assignatur virtuti.

CAPUT XXXIV.

Diluuntur nonnulla argumenta adversùs omnigenam materiæ amplitudinem, in qua diximus nostræ voluntatis cum divina consensionem versari oportere.

ORdiamur ab eorum oppositione, quibus prædicta amplitudo displicet, eò quòd intrà suum orbem proximorum quoque ærumnas, & calamitates contineat. Circa quas se omnimodis conformare ad voluntatem divinam, perinde esse, ipsi dicunt, ac misericordiæ virtutem funditus è vita hominum tollere. Cùm enim proprium hujus sit, tristem

ſtem eſſe cum triſtibus, & *flere cum flentibus*; conformatio ad voluntatem divinam, ſi in hujuſmodi caſibus exercenda eſſet; juberet nos, contraria prorſus ratione aliorum lacrymas læto vultu intueri, tótque inter paſſim obvia humanarum cladium exempla, non alias emittere, nisì plausûs, & gratulationis voces: Amen, bene eſt, fiat, ſit nomen Domini benedictum. Sed nihil negotii eſt, talia objicientes refellere: tum quia, etſi per latiſſimam illam noſtræ voluntatis cum divina ubique conſenſionem, haud poſſet miſericordia innatos ſibi affectus exercere in externis proximorum malis, quæ DEUS vult, atque immittit; at poſſet nihilominus eos exercere, quantùm ad interiora vitiorum mala, quæ amari, & decerni à DEO nequeunt: tum quia, cùm prædicta virtus non tam conſiſtat in ſenſibili ægritudine animi de aliorum ærumnis, quàm in efficaci voluntate, has pro viribus depellendi, aut levandi; quemadmodum omnimoda cum DEI voluntate conſenſio nihil nobis impedimenti affert, quò minùs proximos conſolari, & juvare in quibuſcunque illorum ærumnis conemur; ſic nequaquam ei verè objici poteſt, quòd miſericordiæ actus circa exteriores, à DEO volitas, proximorum ærumnas

rumnas impediat. Præterea vel ii, qui triſti quopiam caſu afflictantur, calamitatem ſuam cum plena divinæ voluntatis approbatione læti, & gratias agentes excipiunt; vel quòd minùs, quàm par eſſet, DEUM ament, iniquo, & reluctanti animo ferunt. Si primum, non jam commiſerationi, ſed potiùs gratulationi locus eſt: neque, cùm eos videamus de ſua ſorte lætari, charitas poteſt nos impellere *ad flendum cum flentibus*, ſed *ad gaudendum* potiùs *cum gaudentibus*. Atque ità, ſi contingat Martyrem intueri, qui diriſſimè excruciatus, nedum nullo gemitu fateatur ſe pati, ſed hilari etiam voce, atque vultu, tanquam ſupra omnem doloris vim animo eminens, Deum laudet, inſultet tortoribus, & in ſuis plaudat ſuppliciis; nemo eſt circumſtantium, qui miſericordia potiùs, quàm admiratione, & invidia afficiatur tam invictæ, hilaríſque patientiæ; ſin autem duri aliquid ſuſtinentes, pro eo ut ferant id cum gaudio, tanquam à DEO ſibi miſſum, ex defectu juſti erga ipſum amoris, ſuæ ſorti iraſcantur; commiſerandi certè ſunt, non tam ratione exterioris infortunii, quo ad majus ſuum bonum ab amica DEI providentia exercentur; quàm interioris morbi ſui causâ, imbecillis nempe a-

nimi, inordinatæque, & parum Christianæ tristitiæ, qua illud patiuntur. Idque adeò etiam humanæ rationi consentaneum est, ut neque à Seneca ignoratum fuerit: qui propterea amicum objurgans de nimio in rebus adversis mœrore: *Tamen*, ait, *tu indignaris, & quereris: & non intelligis, nihil esse in istis mali, nisi hoc unum, quòd indigneris, & quereris.* (*Ep.* 96.) Atque hic procul dubio sensus est, quo superi è cælo intuentur sua ægre infortunia ferentem, imò quo DEUS ipse illum spectat: volens nempe, & approbans sortem, quæ ab eo sustinetur, simúlque nimis mollem in ea ferenda illius animum improbans. Quapropter cuilibet istiusmodi hominum possumus cum Chrysostomo dicere: (*Serm. 2. in Ep. ad Phil.*) *Dignus es lacrymis, non ideo, quòd eges, sed quòd te ipsum pro misero habes. Deploramus enim eos, qui cùm nihil mali habeant, molestè sortem suam ferunt, non quòd malè habeant, sed quòd, cùm non habeant, malè habere se putant. Ità & ipse dignus es lacrymis ob hoc, quòd miserum te ipsum existimas, non ideò, quòd pauper es. Paupertatis enim gratiâ etiam beatissimus es.* Respondeo postremùm cum D. Thoma, (*De Vol. DEI a. 8. ad 4. & 1. 2. qu. 19. a. 10. ad 2.*) in temporariis proximorum calamitatibus con-

considerari duo posse: nativam hinc nempe illarum vim afflictandi, & lædendi, quæ secundùm se unam DEO causa non est, ut eas amet, velítque; indè verò bona ex iis profluentia, quorum tantummodo gratiâ à DEO, tanquam ab amante medico decernuntur. Quemadmodum igitur divina voluntas præsentis vitæ calamitates nequaquam, prout molestæ, sed prout merè utiles sunt, evenire hominibus jubet; ità se quilibet perfectè conformare ad eam potest, si talia proximorum mala secundùm posteriorem rationem velit, & grata habeat, quamvìs eadem secundùm primam ægro animo ferat.

2. Non absimilis, nec diverso in genere aliorũ oppositio est, qui perpendentes, quàm solicitè connixi omnes sancti viri fuerint, ut proximos à morbis, à paupertate, & à quovis alio mali genere vindicarent, neque existimantes fieri posse, ut qui adversos quoque eventus non aliter intuetur, quàm utì à DEO volitos, & proinde ùt amabiles, cúmque gaudio amplectendos, eos simul omni studio propulsare, & amoliri conetur; pro certo indè colligunt, nostram cum divina voluntate consensionem, si sinistros proximorum casus pro materia haberet, perfectæ erga proximos

charitati repugnantem futuram: adeò ut ambæ obtineri ab eodem nequeant; quantúmque uni adderetur, tantum alteri perfectionis dedeceret. Et certè admittenda hæc eorum concluſio eſſet, ſi verum foret id, unde eruitur; nimirum haud poſſe, qui adverſos quoſque caſus quatenus à DEO volitos amet, ſua ſtudia, & ſuas vires ad eoſdem ex humanis rebus tollendos impendere. Imò ex propoſitionis hujus veritate ſequeretur, omnimodam noſtræ voluntatis cum divina conſenſionem non ſoli erga proximos charitati, ſed neceſſariæ inſuper tum principum erga ſibi ſubjectos, tum parentum erga filios, tum cujuslibet erga ſe ipſum providentiæ obſtituram. Nego itaque, hæc duo inter ſe repugnare: ut ſcilicet quiſpiam ex amore voluntatis divinæ gaudeat de omnibus, quæ DEUS vult in mundo evenire; & tamen optet ſimul, contendátque, quantùm poteſt, depellere, quæ vel ſibi, vel reliquis mortalibus mala per divinam voluntatem evenerint. Et ratio negandæ hujus repugnantiæ eſt: quia ſtudium conformandæ voluntatis noſtræ ad divinam non alibi locum habet, quàm circa effectus, quos à DEO volitos, decretóſque eſſe novimus: nec de aliis id nobis conſtat, ni-

nisi de iis, qui prohiberi nostris viribus nequeunt. Cùm itaque malum quodpiam impendet, ceu nondum mihi tunc liquet, decretum absolutè à DEO esse, ut re ipsa contingat, sic possum salvo amore voluntatis divinæ optare, & conari, nè eveniat. Quòd si post omnes impediendi illius causâ à me adhibitos conatus illud tamen evenerit; utì tunc evidenter perspicio, in omni æternitate illud absolutè à DEO volitum, & sancitum fuisse; ità debeo ipse quoque meam voluntatem divinæ accommodans omnino illud velle, déque illius eventu gaudere. Sed, quia non omnia, quæ DEUS vult contingere, vult etiam permanere; cùm post illius mali eventum me lateat, utrùm DEUS permanfionem ejusdem voluerit; fas mihi est, celerem illius exitum desiderare, & quibus possum modis urgere: cum indifferentia tamen, & præparatione animi ad acquiescendum in DEI voluntate, si fors adverterem, ei placere, ut id perseveret; hoc est, si omnes à me adhibitas artes nihil viderem valuisse ad illud è medio tollendum. Et quoniam inter artes ad malorum depulsionem idoneas, una, & quidem honestissima est oratio; licèt mihi sinè ullo perfectæ conformationis ad volun-

tatem DEI detrimento ipsum orare, ut à malo, quod in præsens ferre me vult, liberare me in posterum velit, animo tamen, ceu paulò antè dictum est, in utramvis partem composito, & simul profitendo, hac tantùm de causa me id petere, quòd ignorem, an ipse contrarium absolutè decreverit. Nam si ità se res habeat, me precibus jam nuncupatis alias subrogare omnino diversas, totóque animo illum obsecrare, nè quod ab eo petis, sed quod sibi gratius est, faciat. *Non, sicut ego volo, sed sicut tu.* D. Remigius, de quo suprà mentionem feci, auditô, injectum esse ignem suis frugibus, accurrit quàm celerrimè ad eum restinguendum; sed cùm videret, ulteriùs progressam esse illius vim, quàm ut ulla cohiberi humana ope jam posset; æquo, & libenti animo eam jacturam de manu Domini accepit: aliquamdiu subsistens, depellendi saltèm frigoris causâ, juxta illud tam noxium incendium, non minori cum tranquillitate animi, quàm si se calefaceret ad caminum domesticum.

3. Tertiò, à multis objicitur, tranquillum, & hilarem, quam nos commendavimus, decretarum à DEO rerum acceptionem saltèm locum non habere, nec usurpari laudabi-

biliter posse in publicis populorum calamitatibus, putà annonæ caritate, pestilentia, terræ motibus, bellis. Cùm immanitas videatur, nimiùm quàm barbara, & potiùs Timoni cuipiam Misanthropo, quàm DEI servo conveniens, hujus generis clades, etiam ùt à DEO missas, velle, & probare. Sed enim verò in hac oppositione, quamvis secundùm speciem magis invidiosa, atque tragica, nihil ego novæ difficultatis, & cui nova reprehensione occurrendum sit, video. Si enim foret impium mala publica, etiam prout à DEO volita amare; impium itidem foret, vel erga privata sic affici: neque alio hic & ille amor distingueretur, nisi majoris duntaxat, & minoris impietatis discrimine. Cæterùm vel prædictæ totius populi, & plurium sæpe populorũ calamitates solis eas subeuntium corporibus nocent, ceu pestilentia, & frugum inopia; nec apparet, cur circa eas non eodem affici debeamus sensu, quo circa peculiares unius hominis, vel paucorum ærumnas: gaudendo videlicet, quòd sanctissima DEI voluntas ibi impleatur; & dolendo, quòd non omnes eam ament, neque ab æterna sua clade interiores illos fructus percipiant, quorum gratiâ subire hanc ab ipsis

DEUS voluit. Vel earum quædam conjunctam secum habent animarum etiam perniciem, ut bella, in quibus maxima scelerum vis patrari consuevit; & in his cum approbatione noxiorum corpori effectuum, qui ex divina voluntate proveniunt, copulandam esse ajo displicentiam spiritualium malorum, quæ divinæ vnluntati adversantur: similiter ac beati Cælites faciunt, qui non aliam suorum affectuum normam habentes, quàm DEI voluntatem, quemadmodum ei vident placere, ut prædictæ calamitates eveniant, sed simul displicere, quòd per earum occasionem à multis peccetur. Ità ipsi quoque & de primo effectu gaudent, & iniquo alterum animo ferunt. Consulatur Alphonsus Rodericius in suo de hac materia tractatu, ubi disertè asserit, satis quidem DEO esse, si publicas id genus ærumnas absque contradictione, & lamentis feramus: sed plus tamen ei placiturum, qui easdem non solùm patienter sustineat, verùm etiam diligat, prout decretæ ab eo sunt, & majori ipsius gloriæ subserviunt. Neque enim fieri posse, quin laudabile admodum sit, velle, quod vult, & qua de causa vult DEUS. Ità egregius ille sanctioris vitæ magister in tractatu prædicto, su-

ſuam hanc ſententiam confirmans: (*c.* 22. & 23.) tum gravium Theologorum ſuffragiis, tum exemplo D. Lupi Trecenſis Epiſcopi, qui, cùm Attila Hunnorum Rex Trecis è propinquo immineret, progreſſus ille obviam cum pontificali ornatu. Quiſnam cedo tu es, ait, qui terrarum orbem tot ſtragibus, atque excidiis funeſtas? Illóque reſpondente, ſe Attilam flagellum DEI eſſe. Si ità eſt, ſubjecit, ultro & volentes te excipimus: neque enim nos decet, cæleſtis Domini flagro tergum ſubducere, & cum dicto recludi urbis portas juſſit: quæ tamen nihil noxæ paſſa eſt, DEO illius viſum Barbarorum oculis penitùs intercipiente: adeò ut per illam, non ſecùs ac per nudum, & patens æquor ſinè ullo hoſtili inſultu tranſierint.

4. Quartò, impoſſibile factu, & perceptu aliis videtur, ut quiſquam ex divini amoris inſtinctu ſuas velit, & amet ſpirituales miſerias, illa nempe accidentia, illóſque defectus, unde impeditur, nè poſſit DEI gloriam latiùs extendere, néve ulteriores progreſſus in ſanctioris vitæ curriculo habeat: cujuſmodi ſunt donorum ſupernaturalium inopia, exigua ad procurandam animarum ſalutem habilitas, perturbationes animi, ora-

tionis fastidium, pravarum cogitationum importunitas, terrenorum affectuum vis, & quidquid aliud interiori perfectioni obest: præsertim quando nonnullæ harum imperfectionum, etiamsi minimè nunc foveantur, neque ad præsentem illius culpam pertineant; ex sua nihilominus præteriti temporis negligentia, & perversitate originem ducunt. Nam quomodo aut DEUM amare ex toto corde aliquis possit, quin ardenter desideret, quàm perfectissimè illi inservire; aut id desiderare, quin molestè ferat, quæ huic desiderio obstant, illúdque magna ex parte frustrantur? Obiectio non exiguam prima specie urgendi vim præfert. Sed, ut ejus futilitas deprehendatur, sat erit, nonnullis veritatibus, quas hìc subjicio, mentem advertere. Prima est, nemini contendendum esse, ut plùs DEO, & aliter serviat, quàm ipse ab eo sibi velit serviri: prout videre est in servitute etiam Dominorum mortalium, ubi non tam heri amans, quàm cerebrosus, & pervicax haberetur, qui ad prædiorum suorum procurationem ab eo missus, vellet potiùs ei semper adstare: vel omnia domûs officia unus invaderet, quando herus magìs amat, plures administros domi habere, qui sin-

singula singuli obeant. Secunda veritas est nostræ perfectionis substantiam haudquaquam consistere in sensibili charitatis fervore, in tranquillo animi statu, in spiritualium consolationum affluentia, in perspicua rerum divinarum cognitione, aliisque id genus donis: imò neque in oratione diu protrahenda, in divexando extraordinariis afflictationibus corpore, in nefariis hominibus ad meliorem frugem revocandis, in orthodoxa fide apud Ethnicos propaganda, & similibus externis operibus: sed in eo revera esse positam, ut voluntatem DEI usquequaque impleamus, nihil non præstando, quod à nobis præstari ipse vult. Unde tertia mox consequitur veritas: nimirum propriæ perfectionis substantiam in cujusvis manu esse positam, neque intercipi ullo casu hominibus posse. Cùm enim non alibi consistat, quàm in eo, quod ab unoquoque DEUS vult, cúmque DEUS nihil à quoquam velit, nisi quod præstari ab eo potest; consequens planè est, ut sicut quisque in potestate sua habet, quidquid ab ipso DEUS vult; sic & quisque perfectionis propriæ substantiam in potestate sua habeat, neque per ullam adversorum casuum vim eâ possit invitus fraudari.

Nam,

Nam, si casu fortè aliquo ad hanc, vel illam rem agendam inhabilis fiat; apertè jam constat, eam rem haud ultra ex iis esse, quæ ab ipso agi DEUS vult, neque ad perfectionis substantiam ipsius propriam spectare Utque id luculentiùs demonstrem, quidnam, rogo, præpedimenti ad solidam perfectionem mihi affert impotentia procurandæ animarum salutis, vel quia necessariis ad id munus dotibus careo, vel quia moderatores mei aliis fungi ministeriis me jubent: cùm certus sim, in tali rerum conditione DEUM nolle, ut animarum saluti operam navem? Quid etiam ad eundem finem mihi obest, si valetudinis imbecillitate prohibeor, rerum divinarum contemplationi diutiùs vacare, & majori jejuniorum, ac vigiliarum severitate corpus atterere: Cùm DEUS opportunas ad pia id genus exercitia vires mihi negando, sat declaraverit, non esse voluntatis suæ, ut tali ratione ipsi serviam? Quam demum neneſſariæ perfectionis mihi auferendæ vim quæcunque aliæ haud voluntariæ imperfectiones meæ habent: putà quòd sublimi rerum cælestium intelligentia, & dulci, vividóque pietatis sensu caream: quòd crebris adversùs orthodoxam fidem, adversùs pudi-

ci-

citiam, & adversùs proximorum charitatem tentationibus stimuler: quódque inordinatos mille motus jam iræ, jam invidiæ, jam gulæ, jam supervacuarum solicitudinum, jam inanis lætitiæ, aut mœroris suboriri in animo sentiam: cùm inter hæc omnia possim tamen DEI auxilio, nihil plenè advertens, & volens, seu quod ipse aversatur patrare; seu quod gratum sibi esse profitetur omittere? Quarta veritas est, DEUM, licèt perfectè se amari, & sibi serviri ab omnibus velit, non ab omnibus tamen æquales progressus in perfectione sui famulatûs, atque amoris requirere. Certum quippe est, nunquam fore, ut tot ego, támque perfectos amoris divini actus edam, quot, quales DEI para edebat: útque ab omni etiam minima labe tam purum, & integrum, quàm ipsa animum servem: imò nunquam fore, ut sanctissimum quoque ejus Sponsum Josephum; aut Joannem Baptistam Præcursorem Domini, aut *vas electionis*, Paulum Apostolum in hisce prærogativis adæquem. Neque id ex mea tantùm ignavia, & quòd conari pro viribus negligam: sed quia noluit me DEUS ad eorum excellentiam pertingere, nec proinde illa mihi impertitur peculiaris gratiæ ad-

adjumenta, quibus eos largissimè instruxit. *Nemo est*, (ità D. Gregorius) *qui tantum virtutis apprehendat, quantum desiderat. Quia omnipotens* DEUS *ipsis modum spiritualibus profectibus ponit: ut ex hoc homo, quòd apprehendere conatur, & non valet, in illis se non elevet, quæ valet.* (*L. 12. Mor. c. 2.*) Quare hoc etiam in genere omnino acquiescere illius voluntati debeo, & libenter pati, quòd non nisi mediocrem mihi destinaverit suos inter famulos locum, neque ad eam perfectionis sublimitatem extollendum me putet, ad quam alios complures suppeditatis ab eo sibi viribus perveniisse intueor. Quinta veritas est, DEUM, quamvis peccata velle nequeat, effectus tamen velle, qui ea sequuntur, & in hominis animo contra ejus voluntatem supersunt: quales sunt propensio ad peccandum, charitatis refrigeratio, ariditas in orando, aliique hujus generis. Quos propterea, non secùs, ac quoscunque alios vitæ eventus, utpote ipsos quoque à DEO volitos, æquo animo à nobis ferri, damnatâ solummodo eorum causâ, par est.

5. His itaque veritatibus extra controversiam positis, difficultati suprà objectæ juxta earum doctrinam respondeo: perfectum

ctum DEI amorem exigere, ut ei ſerviamus, eo prorſus pacto, quo ſibi à nobis ſerviri vult: omne ſcilicet peccati genus vitando, & omnia, quæ poſſumus, perfectionis impedimenta à nobis amovendo: cùm hæc duo ab omnibus ſuis ſervis requirat. Quantùm verò ad imperfectiones, quæ alicujus quidem ſpiritualis damni occaſionem afferunt, ſed neque peccata formaliter ſunt, nec quantumcunque nunc conemur, excindi à nobis protinus queunt; quandoquidem ex hac ipſa eas removendi impotentia ſatis apparet, DEUM velle, ut nobis nunc inhæreant; dico, amorem divinum exigere, ut nos quoque idem velimus, neque ſolùm nullo eas cum mœrore, verùm etiam contenti, & plenè approbantes feramus: ceu qui neque ſanctiores eſſe, & perfectiùs ei ſervire poſcimus, quàm ipſius ferat voluntas. Cùm enim perfectè quempiam amare, ſit eadem velle, & nolle cum ipſo; neceſſariò indè ſequitur, tam impoſſibile eſſe, ut quiſquam ab alterius amore impellatur ad nolendum, quod ille vult, aut volendum, quod ille non vult; quàm impoſſibile eſt, ut ab illius amore impellatur ad eum non amandum: ac proinde nullo modo fieri poſſe, ut quiſquam à puro

DEI

DEI amore impellatur, ſive ad eas perfectiones volendas, quas DEUS habere ipſum noluit; ſive ad eos nolendos defectus, quos DEUS ineſſe ipſi vult. Si ergo dilectus meus Dominus noluit, qualitatibus, & præſidiis me ornare ad res magnas in illius gloriam efficiendas idoneis; debeo ex ejus amore meam hujuſmodi inopiam libenter amplecti, contentúſque eſſe, quòd valeam in iis ei rebus ſervire, ad quas plus mihi habitudinis contulit, & in quibus ſerviri à me ſibi voluit. Si viſum ei non eſt, ad extraordinariam contemplationem me extollere, nec eam mihi, qua complures alii fruuntur, à pravis affectibus, & turbulentis eorum motibus quietem largiri; neceſſe eſt, ſi eum perfectè amo, ut hanc quoque illius voluntatem pleno conſenſu approbem, nihil ægritudinis capiens de prædictorum ejus munerum, eſto cæteroqui ad majorem meam perfectionem conducentium defectu: ſed ſtudens, quem maximum ſaltèm poſſum, ex ordinaria meditatione fructum referre, & in ſpirituali via progredi, ſi minùs ſuaviter, at majori fors cum merito, ob aſſiduas cum iracundia, cum concupiſcentia, cúmque aliis animi perturbationibus pugnas. Si in iis me circumſtantiis con-

constituit, quas animæ infestas experiór, tum ratione culparum venialium, quas propterea interdum committo; tum quòd charitatis meæ ardor ibi intepescit, dolendum quidem mihi est de spiritualibus id genus dispendiis, utpote ex mea negligentia profectis: sed ità, ut eorum occasionem simul amem, tanquam nec suapte natura malam, nec mihi voluntariam, & à DEO rectissimè volitam. Si demum plectit mea crimina subductione eorum luminum, piorúmque sensuum, ac solatiorum cælestium, quæ mihi antea infundebat, & sinè quibus languidum, debilémque ad ei, prout par est, serviendum me sentio; debeo has quoque illius pœnas libenti animo excipere: curans solummodo, nè quòd ex iis, quantùm ad perfectionis substantiam, detrimentum capiam, sed per eas potiùs ad majorem virtutis firmitudinem, patientiámque, & humilitatem proficiam.

6. Hæc tamen animi quies, & lætitia circa modò dictos divinæ voluntatis effectus non nisì præteritum, ac præsens eorum tempus respicit, quo nimirum nè sint, néve fuerint, impediri nunc à me nequeunt: neque obstat proinde, quin hoc ipso temporis puncto, quo de præterita, præsentíque illorum

existentia gaudeo, optare, & à DEO poscere, conarique modis omnibus possim, nè iidem in futurum tempus pergant existere. Neque enim certi quidquam argumenti habeo, unde colligam, num cælestis Dominus satiùs existimet, prædictis me malis in posterum quoque affici; an contrà velit, statuerítque ab iis me subducere, si ego ad hujusmodi effectum orationis instantiam, & reliquos meæ solertiæ conatus adhibeam. Quamvìs igitur contentus omnino esse debeam de spiritualibus iis miseriis, quas in præsenti experior, eò quòd certò mihi constet, DEUM velle, ut illis nunc afficiar; cùm tamen haud pariter mihi constet, eandem pro tempore etiam futuro voluntatem ipsius esse, recta exigit ratio, & ipsemet vult, ut omni studio contendam, tum ea impedimenta amoliri, quæ me hactenus retardârunt in perfectionis curriculo, tum ea comparare subsidia, quæ ad illud alacriùs porrò emetiendum me adjuvent. Quapropter desiderandum, & exposcendum mihi à DEO est, ùt instrumentis, & adminiculis ad perfectam illius servitutem quàm maximè opportunis me muniat, ut pravos habitus, & affectiones terrenas ex meo corde eradicet: ut spiritualem mihi lætitiam, quietem ani-

animi, dulcem præsentiæ suæ sensum, & facilitatem recta agendi concedat: ut vividum semper tum in mente veritatum supernaturalium lumen, tum in voluntate charitatis suæ ardorem conservet: ut meas culpas externis potiùs pœnis, quàm spiritualium suorum munerum privatione castiget. Ità profectò omnia hujusmodi sinè ullo perfectæ cum divina voluntate consensionis detrimento petere possum, ac debeo: dummodo tamen illorum desiderium non sit justo vehementiùs, anxiúmque, & inquietum, (quale esse consuevit, cùm ex innato magìs propriæ excellentiæ appetitu, quàm ex pura DEO placendi voluntate oritur) sed in medio ejus ardore suam animus tranquillitatem retineat, nec recuset, vel deinceps in eadem humilitate, & imperfectione, ac pauperie sua permanere, si Domino ob justos suos fines haud placeat ei dicere: *Amicè ascende superiùs*; disertéque coram ipso profiteatur, etsi in potestate sua foret ex abjectione præsentis statûs ad excelsissimam vel Apostolorum, imò etiam sanctissimæ ipsius Matris perfectionem subitò eniti, nequaquam se tamen usurum hujusmodi arbitrio contra ipsius voluntatem: utpote quam suis quibusque etiam superna-

turalibus emolumentis præponit, próque unica volendi, & agendi regula habet.

7. Poſtremò ſciſcitari aliquis poſſet, num univerſale hoc ſtudium volendi, quæcunque DEUS vult, circa ipſum quoque verſari debeat ſempiternum noſtræ animæ interitum, ſi hunc fors mereremur: adeò ut, quemadmodum DEUS perpetuis tunc damnare ſuppliciis nos vellet; ſic nos itidem ad noſtram ejuſmodi damnationem in prædicto caſu approbandam, & volendam eſſe oporteat paratos; ut nec ibi ab illius diſſideamus voluntate, quæ debet nobis noſtro quovis, licèt ſummo bono eſſe charior. Priuſquam ſciſcitanti reſpondeam, duo ſtatuenda eſſe cenſeo, quæ animadverſa, & probè intellecta, planiorem reſpoſioni ſecuturæ viam ſternent.

7. Primum eſt, DEUM univerſali, & abſoluta, quanquam inefficaci, voluntate ſalutem omnium hominum velle: nempe ut univerſi ſupremum diem gratiæ ſuæ compotes obeant, æternámque vitam, cujus gratiâ procreati ſunt, conſequantur: ceu ipſemet ſuis apud Ezechielem teſtatur verbis; (*c.* 18.) *Numquid voluntatis meæ eſt mors impii, & non ut convertatur à viis ſuis, & vivat?* At verò nullius interitum velle, niſi ſub conditione, quòd

quòd lethalem is culpam commiserit, éque vita inexpiatus discedat. Ex quibus duabus voluntatibus prior vocatur à D. Thoma (*De Vol. DEI art. 2.*) *Antecedens, & prima intentio*; posterior autem, *Consequens, & de secunda intentione.* Unde palàm sequitur, quòd aliquis in reproborum catalogo sit, non posse DEO attribui, sed uni esse imputandum ejus malitiæ, qua factum est, ut DEUS ab æternitate præviderit, ipsum absque scelerum pœnitentia obiturum, próque tali suo merito in eorum gregem rejecerit, qui æternis inferorum pœnis adjudicandi erunt. *Non enim* (prout subdit citatus modò Angelicus Doctor) *vult DEUS ex parte sua aliquem damnare, sed secundùm quod ex nobis est.* (*Ibid. art. 8. ad 2.*) Quemadmodum igitur quivis judex, licèt debitas sontibus pœnas statuat, potest nihilominus unicuique eorum dicere, si supplicio afficeris, non mihi, aut meæ sententiæ, sed tibi tantummodo, & improbitati tuæ id debes adscribere. Tu primariam posuisti damnationis tuæ causam, ego non nisi illius instrumentum fui, neque ex motu proprio, sed ex mero tuorum maleficiorum impulsu ad eam decernendam processi; ità DEUS quoque affari similiter impiorum quemlibet potest, quan-

do illum vel æterno decreto ſuo reprobat; vel ſuprema dein ſententia condemnat. Et re ipſa illis omnibus ſub perſona, & nomine Iſraëlis id profeſſus eſt, dicens apud Oſeam: *Perditio tua ex te Iſràël; tantummodo in me auxilium tuum.* (*c.* 13.)

9. Alterum ex ſtatuendis eſt, DEUM non poſſe *de potentia ordinaria*, licèt poſſit *de potentia abſoluta*, reprobationem ſuam ulli hominum palàm facere, alioquin eum cogeret, de rebus ſuis deſperare: imò, etſi cuipiam diſertiſſimè eam revelaret, non debere hujuſmodi revelationem, nisì conditionaliter, & in comminationis ſenſu ab illo accipi. Ità expreſsè D. Thomas, addens, etiamſi ab eo acciperetur veluti *prophetia præſcientiæ*, non tamen æquum fore, ut idem *vellet damnationem ſuam abſolutè, ſed ſecundùm ordinem juſtitiæ, quo* DEUS *vult perſiſtentes in peccato damnare. Non enim vult* DEUS *ex parte ſua aliquem damnare, ſed ſecundùm id, quod ex nobis eſt. Unde velle ſuam damnationem abſolutè, non eſſet conformare voluntatem ſuam voluntati divinæ, ſed voluntati peccati.* (*Ibid.*)

10. His ergo præmiſſis reſpondeo, ceu à nemine ſciri, nec humano indagatu, nec per divinam revelationem poteſt, num ſe DE-

DEUS reprobârit, ac velit æternum damnare; ſic à nemine itèm poſſe ſuam circa id voluntatem abſolutè conformari ad divinam: ſed ità ſolummodo, ut conditionaliter ſuo in animo dicat: ſi DEUS novit, me in lethalis culpæ ſtatu obiturum, vúltque ideo æternæ mortis damnare; contentus omnino de tali voluntate illius ſum, eámque ùt infinitè ſanctam, & amabilem pleniſſimè approbo. Quin ego ipſe, ſi meæ judex cauſæ eſſem, audirémque ab ipſo, meam damnationem cum ſua voluntate, & juſtitia congruere; nîl cunctarer, triſtem adeò in meum caput ſententiam protinus ferre. Quem actum quiſnam, rogo, arguendum putabit, tanquam Ethicæ Chriſtianæ principiis adverſum, nec potiùs ùt ſupremum charitatis integerrimæ ſpecimen admirabitur: quippe ubi anima incomparabili exuperatione plùs DEUM, quàm ſe amat, cuilibet etiam æterno, ac ſummo ſuo bono illius voluntatem anteferens? D. Thomas certè tum in citato ſuperiùs: tum in eo, qui paulò infrà citabitur, loco illum approbat. Nec minùs ei favet celeberrimus Doctor Franciſcus Suarius, affirmans: *Si quis velit id, quod DEUS vult, ſub ea ratione, vel facta hypotheſi, quod DEUS id vult, vel pro-*

pter hunc finem, ut voluntas divina impleatur; nunquam esse prohibitum talem affectum, etiamsi objectum materiale ejus sit extrema damnatio: quod DEUS non vult, nisi sub ratione justitiæ punitivæ ex præscientia peccati finalis. (*In 1. p. Tract. 3. Disp. 11. Sect. 3.*) Et ego quidem nullus dubito, quin Cælites universi ejusmodi actum, saltèm *implicitè, virtualitérque* concipiant: utpote qui non aliam habentes suorum affectuum regulam, præter DEI, & sanctissimæ illius voluntatis amorem; nequeunt profectò erga suam beatitatem ità affici, quin compositi semper animo sint, ad eam, si ipsi placeret, cum æternis inferorum suppliciis mutandam. Sed neque eorum desunt exempla, qui in terris, circa hoc longè gravissimum, perennis vel miseriæ, vel felicitatis negotium, divinæ voluntati sese omnino subjecerint. Duo mihi proferre sat fuerit, sed dignitatis tam eximiæ, ut multorum locò esse possint. Primum B. Angula Fulginiensis suppeditat, testificans, (*In Vit. Vis. 5.*) adeò sibi pulchrum, & suave quodvis DEI decretum videri; ut si etiam certissimè sciret, ad æternos se tartari cruciatus ab eo esse damnandam, nihil tamen indè posset mœroris concipere, nec præsentem suam ei

ser-

ſerviendi voluntatem ulla ex parte minuere. Alterum à Monacho eſt editum, cujus nomen intercidit, virtus verò in æterna admiratione apud poſteros erit. Nempe hoſtis tartareus, ut quem aliis tentationibus fruſtrà oppugnârat, in deſperationis ſaltèm barathrũ mergeret, ſpirituali ejus magiſtro ſub Angeli ſpecie intuendum ſe exhibens, actum omnino eſſe de illius ſui alumni ſalute nuntiavit. Miſerrimum juvenem immutabili divinæ providentiæ decreto ad reproborum gregem pertinere, fruſtráque vitæ aſceticæ operam dare. Quidquid recti ageret, ſempiterno periturum exitio. Sed irritæ ceciderunt præſtigiatoris nequiſſimi fraudes. Nihílque ſuo aſtu profecit, nisì ut augeret illius meritum, cui extremam moliebatur perniciem. Cum enim pius juvenis magiſtri relatu certior factus eſſet de tam triſti ſua ſorte nihil propterea ſeu animo dejectus, ſeu vultu perturbatus, æternùm DEUS laudetur, reſpondit, in omnibus, quæ de me ſtatuit, & facturus poſtmodum eſt. Ego ſanè, qualiſcunque in præſenti ſim, & qualemcunque in futura æternitate exitum me ſortiri contigerit, non omittam, quoad poſſum, debita illi laudum, obſequii, & amoris vectiga-

lia

lia persolvere. Ità tunc ille: meritus enim verò tam heroica æquitate animi, ut DEUS, nova verè cælesti revelatione priorem commentitiam refutans, deluso ab ea seni aperiret, quàm eximiè sibi charus, nedum in Electorum numero discipulus foret. (*Nierem. Vit. Div. c. 12. Solt. Direct. L. 3. c. 3. Sect. 3. & alii.*) Audiatur postremò D. Anselmus in libro (*De Commens. Crucis.*) ità cum DEO loquens: Qui, ô Domine, propria sese abdicavit, ut ex tua duntaxat voluntate vivat, etiamsi illum damnare tu ad inferos velles; *semper tamen de te in bonitate sentiret, paratus sustinere, quod velles, nec diceret, cur ità facis?* suámque hanc propositionem sic claudit: *Cui prædicta sententia non placet; da ei Domine, se abnegare, ut intelligat.*

11. Duo tamen sunt, de quibus admonendos Lectores hìc puto. Primum, debere eos, quibus in hac quoque materia voluntatem suam conformare ad divinam cordi est, damnationem suam conditionaliter velle, non alio, quàm quo DEUS modo illam vellet: nempe non quantùm ad blasphemias, & alia, quæ indè oriuntur, peccata, neque prout illa extremum malum sum est, sed solùm ceu pœnam suis criminibus

bus debitam, divinæque justitiæ ordini consentaneam: cùm neque DEUS nisi hac ratione illam fontibus velit. *DEUS non vult damnationem hominis*, (ait D. Thomas) *sub ratione damnationis, sed sub ratione justitiæ. Quapropter ad conformitatem nostræ voluntatis cum divina sufficit circa talia, quòd homo velit* DEI *justitiam servari.* (*1. 2. qu. 19. a. 10. ad 2.*) Alterum monitum est, mediocris doctrinæ, ac virtutis homines consultiùs facturos, si ab hoc damnationis suæ casu sibi proponendo abstineant: contenti, suum voluntatis divinæ studium in tot aliis materiis, casibúsque exercere, ubi & præstantis meriti ferax, nec ullis conscientiæ tricis perplexa illius exercitatio est. Quod si ille aliquando nihil tale cogitantibus sua sponte se objiceret, nec satìs constituere apud animum possent, quid, & quomodo velle ibi liceat; caveant, se ulteriùs in eum quasi labyrinthum induere: sed prout in tentationibus adversùs fidem faciendum suadetur, quantocyus indè mentem abducant, generali duntaxat hoc actu DEUM alloquentes: O quàm recta, quàm sancta, quámque amabilis Domine in quibuslibet suis decretis voluntas tua est? Ego illam sinè ulla exceptione approbo, comple-

plectórque, ac totum me ipsi, & meas omnes tum præsentis, tum æternæ vitæ rationes subjicio. *Paratum cor meum, DEUS, paratum cor meum. Fiat voluntas tua sicut in cælo, & in terra. In manus tuas, Domine commendo spiritum meum.*

FINIS.

2 Th
3178